

CALVINISMUS
Detectus, & dedoctus
à
IOANNE FEDERER,
Eleutheropolitano, Theologo Catholico, & Sacerdote, olim Rhætiæ incola,

Ex Occasione duplicis Scripti, quorum primum in lucem edidit

VIR ILLUSTRIS,
D. IOANNES GEORGIUS, Rhætus,
ex Reformato Conversus Catholicus:

Alterum typis vulgavit

D. Joannes Jacobus VEDROSIUS, itidem Rhætus, apud Curiam Rhætorum primarius Verbi, uti vocant, Minister.





Definitio Calvinismi, & libri summa:

Calvinismus est totius Christianismi Exterminium.

Cum Facultate Superiorum.

ŒNIPONTE,
Impressit JACOBUS CHRISTOPHORUS WAGNER, Archiducalis Typographus.
anno M. DC. LXXII.

AD LECTOREM.

Quæſo te, ſalutationis loco, amice Lector, ut ne legere ſequentem Præfationem negligas, utpote quæ ſummam continet Libri. Vale.



SECTIO I.

Prælimmaris.

SUMMARIUM EJUSDEM.

I. Gesta inter D. Joannem Georgium, Nobilem Rhœtum, & Ministerium Reformatum, ut vocant, enumerat D. Vedrosius.

II. Expendit Apologista.



PPonitur hæc prima mea Sectio, primæ item Sectioni Vedrosianæ pag. 1. in qua D. Vedrosius ea enumerat, quæ inter D. Georgium ante eius conversionem, ut apparet, & Ministros Reformatos, tum in Synodo Porthenienſi, tum post illam ſunt gesta, occaſionémque utrique ſcripto, & Georgiano, & deinceps Vedrosiano dedêre.

Hac totâ Sectione hoc unum agit D. Vedrosius, ut dilaudet ampliter ſuos Comministros, Hartmannum præſertim Schvvarzium, Decanum, & Joannem Danzium Cancellarium, ut vocat, Synodi. Hos fuiſſe coortos, ait, contra præſentem D Georgium, & in ipſa quidem Synodo ab Hartmanno in eas anguſtias conjectum eſſe, ut totis artubus tremeret, neque jam vellet, auderétve verbis ampliùs contra illum agere, ſed mallet ſcripto. Danzium verò hanc conditionem non gravatè accepiſſe; doctiſſimè exin mentem ſuam ſcripto expoſuiſſe, ſed ad illud reſponſionem, fruſtra à D. Georgio efflagitâſſe. Hucusque Vedroſius pag. 1. & 2. Hæc ita geſta ſint, nec ne, nemo niſi præſens illi Synodo ſtatuere queat. Ego, mi Vedroſi, præſens non fui; fortè neque tu. Nil itaque ſtatuere quoad hoc habemus. Catholici planè contrarium

Num. I.

Extollit ſuos D. Vedroſius: D. Georgium deprimit.

Sed immeritò, & dubia fide.

rium indicant, in Informatione de vita, & Conversione D.Georgij, operi eius præfixa. Ajunt enim, in dicta Synodo centum, & amplius Ministrorum Protestantium, ita animosè D.Georgium Conversionis suæ rationes propugnâsse, *ut non possent resistere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur ex eo.* Cur vobis itaque potius, quàm Catholicis nostris, fidem adhibeamus? Tunc facilè credo bonum D. Georgium *totis artubus contremuisse*, cùm à vestrum aliquo, validus ei fustis, in odium fidei, in caput impactus est, ut eadem narratio vitæ refert. His talibus tam nodosis argumentis, fateor, facilè est elidere adversarios, sed non perinde humanum. Ceterùm si omnino victum, in Synodo, D. Georgium gloriari vobis libet, hactenus & ego assensero, clamoribus plùs quàm centum Ministrorum, victum facilè unum illum fuisse, unde ad scripta provocandum ei fuerit: victum autem rationibus esse, non persuades. Invicta est Veritas. Vanitas semper in sensu suo victrix. Nec his amplius immoror, cùm facti sint; quod nisi probetur, non creditur. Hæc de prima parte Sectionis primæ. In altera verò, pag. 3. multa carpit Vedrosius in D.Georgio, quæ & ipsa veniunt examinanda.

An & quo modo a centũ Ministris victus sit D. Georgius.

II. Primo, Conversionem ipsius, quasi per convitium, *Fugam* appellat. Non convitium, sed encomium est. *Gloriosa fuga est*, inquit S. Ambrosius, *fugere à facie peccati.* Et si à facie omnis peccati, quantò fuga erit gloriosior, fugere à facie teterrimi omnium, quæ est hæresis?

An & quomodo fugerit D. Georgius.

Carpit deinde numerum Rationum, quas pro Conversione sua D. Georgius attulit, quem nimium credit D. Vedrosius, scilicet 36. Rationum. Imò angustus hic numerus est. Centum debebat ac poterat attulisse, quod doctissimus Thomas Bozius, in libro suo eruditissimo de signis Ecclesiæ, felicissimè præstitit. Nos Catholici contrà vel unicam tanto tempore à vobis efflagitavimus, & necdum obtinuimus, quæ movere ullum cordatum hominem posset, ut relictâ Catholicâ, ad vestras partes se transferret.

Numerum Rationum carpit D. Vedrosius, an rectè?

III. Carpit tertiò, quòd *valere jussâ sacrosanctâ Scripturâ, totum suum*

ſuum robur in auctoritate collocet humana D. Georgius: vetuſtate ſcilicet quinque primorum Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculorum, à Reformatis (verba ſunt Vedroſij) *orthodoxiæ & ſanctitatis laude condecoratorum*, id eſt, quæ quinque ſecula, Reformatis ipſis confitentibus, integram fidem cum ſanctitatis laude tenuerint. Cavillatur hîc D. Vedroſius. Non enim *valere jubet*, aut in poſtremis habet ſacroſanctam Scripturam D. Georgius. Cur enim id faciat? Scriptura nobis Catholicis *virga* illa *ferrea* eſt, Pſalm. 2. quâ *vaſa figulorum* veſtrorum, Calvini, Bezæ, Lutheri, &c. hoc eſt, novæ eorum, & erraticæ doctrinæ, validiſſimè *confringuntur*. Neque enim nobis Catholicis fortius contra vos telum, ſimul & ſcutum eſt ſacroſanctâ Scripturâ; cuius capita ſingula, Novi præſertim Teſtamenti (ita demonſtraturum me ſpondeo) errores veſtros damnant, doctrinas è contrario noſtras ſtabiliunt. Sed cùm panoplia, hoc eſt, armatura omnis generis, Catholicis nobis contra vos ſuppetat, alio, rurſúmque alio contra vos telo utimur: & modò ex ſacra Scriptura premimus vos, modò ex hiſtoria Eccleſiaſtica erroris convincimus; modò ex Patrum ſanctiſſimorum & vetuſtiſſimorum doctrinis, quæ cum noſtris conſentiunt, veſtris adverſantur, argumenta intorquemus.

An S. Scripturam valere jubeat D. Georgius.

Panoplia Catholicorum contra Sectarios.

Tale pugnæ genus etiam D. Georgio placuit, ultimum ſcilicet, ex vetuſtiſſima Patrum, maximè S. Auguſtini, doctrina: quod vel ipſe D. Vedroſius approbat pag. 3. *Primum quodq; veriſſimum eſt*, inquit, *ex veterum ſcito*. Hoc ergo *veriſſimum*, ſi ſecutus eſt Georgius, quid improbas Vedroſi? Suades ipſe, & rurſum tui immemor improbas. Quod autem ex tot Patribus S. Auguſtinum potiſſimùm elegerit, cauſam ab ipſomet D. Georgio annotatam pag. 20. Converſionis eius, & habes, & ipſemet pag. 3. refers. Ibi ipſum veſtrum Patriarcham Calvinum adducit, ita commendantem Auguſtini placita, & doctrinas, ut vocet eum *optimum ex tota antiquitate, & fideliſſimum teſtem*. Adducit & Danzii veſtri verba non abſimilia, iſta nimirum: *Auguſtinus eſt in Patrum numero præſtantiſſimus, Iſte igitur nobis eſſe inſtar omnium poteſt*. Quid ergo reprehendis, Vedroſi, quòd iſtum potiſſimùm

Quale genus armorum D. Georgio placuerit?

IV.

Cur S. Auguſtinum elegerit ex tot Patribus?

§. II.

Quinquaginta Articuli Fidei, quos Calvinismus aut integrâ fide non credit, aut perperam credit.

I. Credit Calvinismus, sive Ecclesia Reformatorum, in Deum Patrem omnipotentem, sed non absolutâ omnipotentiâ omnipotentem. *S.7.a.3.n.2.*

II. Credit in Filium Dei Jesum Christum, sed non in Deum de Deo, neque in Deum verum de Deo vero. *Ibid. n. 3.*

III. Credit in Christum natum ex Maria matre, sed non ex Maria Virgine. *Ibid. n. 4.*

IV. Credit in Jesum Crucifixum, mortuum, & sepultum, sed non in Jesum ad Inferos descendentem. *Ibid. n. 5.*

V. Credit in Christum Resurgentem ex sepulcro, sed non ex irreserato sepulcro resurgentem. *Ibid. n. 6.*

VI. Credit in Christum ascendentem ad cœlos, sed non penetrantem cœlos, quod Apostolus tamen asserit ad Hebr. 4. 14.

VII. Credit in Christum ad Judicium venturum, sed fidelium peccata in judicium non ampliùs adducturum. *Ibid. n. 7.*

VIII. Credit in Spiritum Sanctum, sed non in Spiritum Sanctum Creatorem. *S.7.a.4.n.4*

IX. In Spiritum Sanctum, sed non *manentem nobiscum in æternum*. *S.7.a.3.n.8.*

X. Credit *Ecclesiam* Christi *sanguine acquisitam*, sed non Unam in unitate fidei. talis enim Calvino ad finem usque mundi non erit. *S. 7. a. 6.*

XI. Ecclesiam, sed non Catholicam, sive toto terrarum orbe diffusã. *S.7.a.3 n.10*

XII. Ecclesiam, sed non Sanctam, verâ scilicet internâ sanctitate, & justitiâ. *S.7.a.3.n 12*

XIII. Ecclesiam, sed non visibilem in terris. *S.3. a. 1.*

XIV. Ecclesiam, sed solis prædestinatis constantem, Deo soli cognitam.

XV. Ecclesiam, sed fallibilem, & erroribus etiam in fide obnoxiam. *S. 4 totâ.*

XVI. Ecclesiam, sed *Communione Sanctorum* carentem. *S.7.a.3.n 11*

XVII. Remissionem peccatorum in Ecclesia, sed tantùm per non imputationem, non actualem deletionem. *Ibid. n. 12.*

XVIII. Carnis Resurrectionem, sed non in iisdem corporibus. Id enim fieri non potest salvis Calvini Principiis, unde etiam à nonnullis ejus sequacibus apertè negatur, à Calvino olim dubitabatur. *Ibid. n. 13.*

XIX. Vitam æternam, sed non in gloria inæquali, ita ut unius Beati claritas sit *claritas solis, alia claritas Lunæ, aut stellarum*, quod tamen Apostolus asserit, 1. Cor. 15. 41. *Sequitur ex negatione meritorum.* *Ibid. n. 14.*

XX. Non semper & continuò gignit Pater æternus Filium. Hoc enim credere, stultitiam vocat Calvinus. *Sect. 7. a. 13. n. 14.*

Præter ista, quæ ex parte tantùm credit Calvinismus, insuper alia sunt, quæ perperam credit, ac docet, súntque sequentia,

XXI.

S. 7. a. 13. §. 1. n. 2. *XXI.* DEUM esse auctorem primarium omnis peccati.

S. 6. a. 1. n. 2. & S. 7. a. 13 n. 9. *XXII.* DEUM ab æterno prædestinasse alios homines ad æternam damnationem, eorúmque plures; alios ad gloriam æternam, eósq; pauciores.

S. 7. a. 3. n. 3. *XXIII.* Christum, Filium DEI, non tantùm secundùm humanam naturam, sed etiam secundùm divinam Patre esse minorem.

XXIV. Eundem Christum in Cruce non tantùm saluti suæ timuisse, sed etiam reipsâ de ea desperasse. *Ita Calvinus l. 2. Inst. cap. 16. §. 12.*

S. 7. a. 3. n. 5. *XXV.* Eundem in eadem cruce pœnas damnatorum pertulisse, & hoc esse eum ad inferos descendisse.

S. 6. a. 2. n. 2. *XXVI.* Eundem secundùm humanã naturam fuisse in pluribus Ignorantẽ.

S. 4. c. 4. a. 5. *XXVII.* Eundem etiam secundùm naturam divinam fuisse generis humani mediatorem.

S. 4. c. 6. a. 1. *XXVIII.* Sanctos cum Christo regnantes invocari non posse sine injuria CHRISTI.

XXIX. Nescire, quæ nos hîc in terra geramus, oremus.

XXX. Nihil posse nobis intercessionibus suis prodesse.

S. 7. a. 9. pag. 345. *XXXI.* Romanum Pontificem non Vicarium Christi, sed ipsissimum illum à Prophetis descriptum Antichristum esse.

S. 4. c. 1. a. 2. *XXXII.* Primatum & supremam Jurisdictionem super omnes Ecclesias per injuriam sibi arrogare, & usurpare.

Ibid. n. 10. *XXXIII.* Primatum hunc, quem usurpet, non à Christo, sed à Tyrannico Imperatore Phoca eum consecutum esse.

S. 6. a. 4. *XXXIV.* Purgatorium meram esse fabulam ab avaris sacerdotibus instructã.

S. 4. c. 3. a. 3. *XXXV.* Limbum Patrum nullum unquam fuisse.

S. 6. a. 11. n. 5 *XXXVI.* Bona opera ad consequendam salutem nihil facere.

S. 6. a. 13. *XXXVII.* Merito omni vacua esse.

XXXVIII. Omnes fideles de sua justificatione certos esse.

XXXIX. Similiter de sua perseverantia in bono usque in finem.

XL. Et multò maximè de salute æterna.

S. 7. a. 10. n. 11. *XLI.* Transubstantiationem in SS. Eucharistia figmentum esse novum Concilii Lateranensis, & Innocentij III. Papæ.

S. 4. Cap. 2. a. 4. n. 2. *XLII.* Eodem modo Confessionem auricularem non Christi, sed hujus Innocentij III. opus & institutum esse.

S. 6. a. 7. *XLIII.* Omnes promiscuè fideles esse Sacerdotes, pueros quoq; & feminas.

S. 6. a. 10. n. 1. *XLIV.* Statum perpetuæ Virginitatis nihil præstare Christiano matrimonio.

S. 4. c. 4. a. 4 *XLV.* Liberum arbitrium nullum inesse homini ad bene operandum & fugienda peccata.

XLVI. Fidem nobiliorem esse charitate. *Ita Calv. l. 2. Inst. c. 8. §. 53.*

XLVII. Omnia peccata, esse peccata mortalia, nulla venialia. *Ita Calv. l. 2. Instit. c. 8. §. 59.*

XLVIII. Omnia nostra opera peccata esse. *Ita Calv. l. 3. Inst. c. 14. §. 9.*

XLIX. Indulgentias non esse fundatas in S. Scriptura, nec aliud, quàm mercaturam emungendis pecuniis inventam. *Ita omnes Calvinistæ.*

L. Traditiones nullas, quæ fidem concernant, esse suscipiendas, sed solum verbum DEI scriptum. *Hac omnia sus, déque vertendo tradere, Calvino Reformare est.* *S. 4. c. 3. a. 1.*

En, mi Lector, sentinam & cloacam errorum, nec tamen omnium, quos *inimicus homo*, Calvinus, agro Ecclesiæ, velut *Zizania, superseminavit, & abiit.* Sed ah! quo?

Simul autem illud monendus es, Lector, hos centenos Calvinismi errores alijs centenis erroribus habere opus, quibus, in speciem saltem, confirmentur, iisque ceu fulcris, quantumvis cariosis, & verminosis sustententur. fulcra autem hæc sunt totidem vel depravationes scripturæ sanctæ, vel falsitates quantumvis aperta per se, dummodo occultæ vulgo. quæ omnia in hoc scripto Vedrosiano, quod refutare aggredior, ita se habere comperies: in quo scripto prætereo nonnulla, quod ipsum etiam scire te pervelim, Dedicationem cumprimis. quæ longissima est, quæ nihil ad D. Georgium pertinet, cujus ego Apologistam hîc ago, atque ita nec ad me, etsi refutatione & dignissima esset, tot scatet lædorijs, aliisque ornamentis similibus, & facillima. Aliud autem, quod momenti alicujus foret, nihil me memini non excussum transmisisse. Nam ut paragraphi omnino omnes & commata excutiantur, quis requirat? Utilius quoque tibi, Lector, futurum putavi, si non Calvinismum in genere insectarer (quo quid facilius?) sed ita potiùs, ut Catholicorum primùm argumenta in eum contorta legeres (quod præstat tibi D. Georgius cum suis, quæ adnumero, argumentis) tum deinde argumenta Reformatorum, quibus se adversus Catholicos tueri niterentur (quod tibi Vedrosius præstat) denique retorsiones Catholicorum, quas opusculum hoc meum tibi exhibet.

His autem omnibus à te, qui leges ista, rite perpensis, deinceps sententiam feres, velut æquus Judex, & partium medius, Maledictum sit, an pura veritas, quod paulò antè asserui:

Calvinismus est totius Christianismi Excidium.

Quòd si solùm dico hæc, mi Lector, nec probo, patiar volens, ut Bonorum me virorum numero, ut antè quoque protestatus sum, continuò moveas, & eradas. Si autem probavero, quæ dixi, hoc in Numero stationem mihi ulteriorem concedes, opinor, nec convitium appellabis, sed beneficium. Probationes autem meas Marginibus duorum istorum paragraphorum affixi, qui

lecti ulteriùs te ad eas Sectiones, Capita, Paragraphos, & Numeros marginales dirigendo deducent, in quibus hæc omnia fusè, & fusiùs fortè, quàm ipsi vellent adversarij, mentibus, oculísque legentium admovebuntur. Nunc quæ scripti hujus nostri Occasio, Scopúsque sit, indicemus.

§. III.
Scripti hujus Apologetici Occasio, & Scopus.

OCcasio fuit quispiam, & prosapiâ, & multò magis Virtute Nobilis Rhætus, D. Joannes Georgius (Georgius autem familiæ est nomen, & quidem Illustris apud Rhætos) Is à puero Reformatæ sectæ adddictus, & quasi adnatus, *Saulum, spirantem minarum,* propè *& cædis in discipulos Domini* primò egit; & calamo quoque in Catholicos non semel desæviit, *doctrinis variis & peregrinis*, quibus & *abductus* est, ut cum Apostolo loquar, non leviter imbutus. Resipuit autem, & in Paulum, DEO miserante, demutatus est anno seculi hujus 1651. ætatis suæ pariter 51. ex lectione potissimùm S. Augustini eò validè impulsus, imò planè compulsus; quem Augustinum leget nemo (si præsertim sextum & septimum ejus Tomum legat) si purus tamen ab affectibus, & pervicacia animus ejus sit, quin & Lutheranus, & Calvinianus esse desinat, mox ut Augustinianus esse inceperit, & plus huic sanctissimo Doctori, quàm vel Luthero, vel Calvino suo, imò mille Lutheris aut Calvinis credere in animum induxerit. Catholicæ exin adjunctus, de quo diecebam, Georgius, ut eòdem alios quoque, quo incensissimo zelo erat, attraheret, Rationes Conversionis suæ, solidissimâ diligentiâ, si quisquam ante ipsum, ex S. Augustino potissimùm, ut præfabar, collegit, uti & ex libris ipsorum Reformatorum, quos videtur omnes legisse, Triginta sex numero: quæ Rationes deinde, Typis Principalis Monasterij Einsidlensis, edi sunt cœptæ, uti ex Facultate Typographo concessa colligere mihi videor, anno Domini 1665. hoc titulo: *Conversio Ioannis Georgij, Rhæti, Triginta sex Rationibus explicita &c.* quo eodem anno, sed ad finem jam vergente, fortissimus Athleta CHRISTI D. Joannes Georgius, mense Novembri, fatis piissimè concessit.

Has Rationes refutare conatus est D. Joannes Jacobus Vedrosius, primarius apud Curiam Rhætorum Verbi Minister, ut ipsis loqui placet, libro sub initium anni 1668. Tigurinis typis edito, cui titulum talem præfixit: *Manuale antiquitatis, hoc est, Examen Placidum Conversionis Ioannis Georgij, Rhæti &c.*

Hunc ego librum, & aliquid præterea otij nactus cùm essem, dum in ipsis prope confiniis Bohemiæ, longè utique à Rhætia agerem, ob amicitiam, quæ mihi cum multis Nobilibus Rhætis, probè Catholicis, olim intercessit, quos

quos vel in ſola D. Georgij perſona, malè tractari à Vedroſio ſentiebam, dolebámque, arripui calamum, & Apologiam hanc ſubſecivis horis contexui, gratiam quoque aliqualem, Altrici meæ, Rhætiæ, per hoc relaturus, utpote in qua ſextam vitæ meæ partem, decennium, ſcilicet, multis ab eadem beneficiis cumulatus exegi. intelligo autem tum Primam, tum Secundam Rhætiam, uti eam Geopraphi partiuntur. Hæc de occaſione Apologetici mei, nunc de ſcopo.

Is alius non eſt, præter amicitiæ jam dictæ jura, quàm ut *operiam multitudinem peccatorum*, eáque ratione clementem mihi Judicem, *in Die illa*, Chriſtum DEUM meum parem; ſpem hanc ſubdente mihi Apoſtolo ipſius Jacobo, c. 5. ℣. ult. hiſce verbis *omni acceptione digniſſimis: Fratres mei, ſi quis ex vobis erravreit à VERITATE, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore via ſua, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*


Errare autem, non ſine profundiſſimo gemitu, videbam multos, imò plerósque *à Veritate*, in dilecta mihi Rhætia, Calvinianis erroribus implicitos, imò, quod miſerrimum eſt, unà cum lacte materno innutritos: quorum Errantium ſi vel unum ſcripto hoc meo, DEO juvante, *converterem*, promittebatur mihi quidem *Remiſſio peccatorum*, merces utique maxima, converſo autem *Salus*. Eâ itaque fine Confutationi huic Vedroſianæ admovi manus, eò quoque libentiùs, quod in uno Vedroſio, qui ultimus, quantum mihi conſtat, pro Calviniſmo ſuo ſcripſit, viderem omnes alios Calvini ſequaces confutari poſſe. Quidquid enim pro Calvino contra Catholicos afferri poteſt, D. Vedroſius, qui nec ingenio, ut apparet, nec diligentiâ caret, velut os omnium Calvini ſequacium attulit: ita tamen attulit, ut in omnibus propè paginis aut depravationes ſcripturæ ſanctæ, aut apertas falſitates, enormésve calumnias admiſceret, quod in decurſu Scripti iſtius plùs ſatis comperiet Lector. Nec indignor Vedroſio propterea: miſeror potiùs. Ita enim & ipſum & omnes ei ſimiles dura ſubigit neceſſitas facere, teſte Magno Auguſtino, qui enarrans illud pſalmi 57. *Alienati ſunt peccatores à vulva; erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa:* ita veriſſimè ſcribit: *In ventre Eccleſiæ*, inquit, *Veritas manet: quisquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, ut falſa loquatur.* Et mox repetens dicta: *NECESSE eſt*, inquit, *ut falſa loquatur, qui aut concipi noluit in ventre Eccleſiæ* (uti D. Vedroſius) *aut quem conceptum Mater excuſſit* (ſicuti Calvinum & Bezam) Audis neceſſitate compelli bonum iſtum virum Vedroſium, quamdiu errat ab hoc utero, *ut falſa tum loquatur*, tum ſcribat, cùm contra Catholicos aut loquitur, aut ſcribit. Quis itaque non ignoſcat?

Ceterùm fatebor tibi, amice Lector, tam denſum contexere librum initio non cogitabam, ut & meo labori parcerem, & tuo. Sed aliter fieri non

poſſe

posse in progressu operis comperi, si plenam vellem Refutationem Lectoribus meis dare. Medium tamen, ni fallor, reperi, ac modum, quo laborem tuum plurimùm sublevarem, dum Marginales notas ita aptavi inter se, & stylo quoque connexui, ut libri totius summam, intra horæ unius, aut certè sesqui horæ spatium perlegere queas, si margines solos legeris. Experire, & verum me dixisse comperies. Si librum ergo non vacat, Margines lege: è Corpore autem, sive Textu totius libri, quæ ex lectis Marginibus maximè allubescent. Imò quicumque es, cui aut vacet legere plura, aut non vacet, multum te juvari experieris, si margines priùs percurras, quod etiam ut facias, oro.

Denique & illud te monitum velim, libro hoc meo jam ad calcem deducto, prælóque mox subjiciendo, comperisse me, ex Catholicis Theologis in arenam jam contra Vedrosium descendisse aliquem, magni & nominis, & Illustrissimæ modò dignitatis Virum, Principem, qui & *doctè, & solidè* (verba sunt amicorum id mihi per litteras significantium) dictum D. Vedrosium, sed non solum Vedrosium confutaverit. Absterreri per hoc poteram, & pedem velle referre (etsi Confutationem illam ad hanc usque horam non viderim, quia obtulit nemo, multò minùs legerim) sed quia cum solo mihi Vedrosio res est, cujus omnes Sectiones sigillatim refuto, non putarunt ij, quorum consiliis in hoc usus sum, laborem hunc meum *inanem fore in Domino.* Habes, quæ præfari placuit. Nunc ad tabulam manus.



INDEX

INDEX

Partium, Sectionum, Capitum, & Articulorum hujus libri.

PARS PRIMA.

Tractat de prima & præcipua D. Georgij Ratione Conversionis suæ, quæ est omnimoda & nunquam interrupta CONFORMITAS hodiernæ Romanæ Ecclesiæ, cum veteri illa prima & sancta Ecclesia. pag. 1

b 3 Artic.

PARS

INDEX.

PARS SECUNDA.

Complectens secundam præcipuam Rationem Conversionis D. Joannis Georgii, quæ est omnimoda DIFFORMITAS Reformatæ Ecclesiæ novellæ cum veteri sancta Ecclesia, & è contrario deformissima cum veteribus Hæreticis propè omnibus CONFORMITAS. pag. 229

PARS TERTIA.

Complectens reliqua Motiva Conversionis Georgianæ. pag. 289

Refor-

FINIS INDICIS.

PARS I.

OMNIMODA, ET NUNQUAM INTERRUPTA CONFORMITAS HODIERNÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CUM

VETERI ILLA PRIMA,

ET REFORMATORUM QUOQUE JUDICIO,

SANCTA ECCLESIA ROMANA

Primorum quinque Seculorum; idque tam in Doctrinis & Dogmatibus, quàm vitæ Christianæ Institutis, Moribus, ac Ritibus,

Quæ meritò fuit

Ratio potissima Conversionis D. JOANNIS GEORGII, meritóq; deinceps erit aliorum quoque, quorum corda tetigerit DEUS.

TOTIVS PRIMÆ PARTIS
CONSPECTUS.

Habet hæc Prima Pars SECTIONES *omnino quinque, de quibus hæc paucula præfari libuit.*

I. Sectio. Non est nisi Præliminaris, agens de occasione trium horum Scriptorum, Georgiano, Vedrosiano, Federiano.

[II. Se]ctio. Est itidem Præliminaris, de auctoritate SS. PP. & Conciliorũ universalium Ecclesiæ, quæ Vedrosianæ Sectioni itidem secundæ, eiq; planè Extravaganti, opponi debuit.

III. Sectio. Agit de Visibilitate, & Indefectibilitate Ecclesiæ, propiúsq; ad scopum, quem fiximus, accedit, ad probandam scilicet Conformitatem supra descriptam, & viam sternit Sectioni sequenti, in qua in rem ipsam venitur.

IV. Sectio. Illud demum conficit hæc Sectio, quod in hac prima parte propriè intenditur, ut Conformitas antedicta commonstretur, continétq; sex Capita, quorum

1. Tractat de Episcopatu, & Primatu Romano.
2. De Sacramentis, & Sacrificio Novæ Legis.
3. De Traditionibus, & Ritibus.
4. De Prædestinatione, Iustificatione, & Redemptione.
5. De Cœlibatu Sacerdotum, Statu & Votis Monachorum, Præceptis ac Consiliis, & Quadragesima Catholicorum.
6. De Sanctis Ecclesiæ Triumphantis, & Purgantis; & priorum quidem Invocatione ac Cultu, de posteriorum autem auxilio à fidelibus eis ferendo; in quibus omnibus Capitibus clarè exhibetur Harmonia pulcherrima Veteris Ecclesiæ Romanæ cum Hodierna.

Sectio V. Vnico articulo tractat de Infallibilitate Ecclesiæ in rebus fidei & morum decernendis.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quid ſit Calviniſmus.



VT Calviniſmo, ſi eo implicitus jam es, nuntium remittas; aut ſi purus es hujus erroris, nunquam ei te mancipes, aliâ nullâ eſt re opus, amice Lector, quàm ut intelligas, QUID SIT CALVINISMUS. *Dedoctus* erit Calviniſmus, ſi fuerit *detectus*. Quare libro quoque huic meo non aliud adoptavi nomen ac titulum, niſi iſtum: *Calviniſmus detectus, & dedoctus*: Quid itaque eſt Calviniſmus? aio, eum ſic rectiſſimè deſcribi: *Calviniſmus eſt totius Chriſtianiſmi Exterminium.* quod niſi ita probavero iſthoc, quem manibus tenes, libro, ut oculis uſurpetur & manibus, calumniator audiam, & pœnas huic hominum fæci conſtitutas, pro merito meo, omnes libens feram. Si autem, aſſiſtente mihi divinâ gratiâ, quam humillimè & efflictiſſimè imploro, probatum dedero, quod dixi, gratiam, ni fallor, etiam ab adverſariis inibo, & ex talibus amicos reddidero, ac fratres in fide, qui unicus eſt ſcopus hujus laboris mei. Quis enim Sectæ ejuſmodi vel ad horam adhæreſcat, quæ *Chriſtianiſmi totius ſit Excidium?* non alius certè, niſi oſor ſui maximus, & ſalutis æternæ contemptor; quod abſit, ut de ullo Lectorum meorum ſuſtineam credere.

Docebo autem, quod de *Exterminio Chriſtianiſmi* paulò antè dixi, duobus modis maximè. primus erit, ſi oſtendero, Calvinum cum ſuis ſuſtuliſſe & abrogaſſe, ex deſtinato quidem, omnia Veteris Sanctæ Eccleſiæ Inſtituta, ritus ſacros, ornamenta, ac decora; quæ ſimul hominis Chriſtiani, & ipſius Chriſtianiſmi & ſunt modò, & ſemper erant Inſignia, certæque notæ, omnia, inquam, relicto integro nullo. Alter modus erit, ſi demonſtravero, omnes præterea præcipuos Fidei noſtræ Sanctæ articulos, toti venerandæ antiquitati receptos, Calvinum polluiſſe, ita quidem, ut fide integrâ nullum eorum crediderit, aliiſve credendum propoſuerit, expoſueritve; idq; totum *ex deſtinato,* ut dicebam, in eum ſcilicet finem, qui Calvini oculis ſemper præſtitutus erat, teſte ipſo Calvino, ne quidquam cum Catholicis, quos exterminatum ibat, haberet commune. Ad hunc verò ſcopum ſemper unicè Calvinum collimaſſe, ſcilicet ut novum penitus novellæ ſuæ Eccleſiæ vultum, cultúmque induceret, ex eo colliges, bone Lector, quòd ſæpius auditus ſit & ſugillare, & irridere Lutherum Calvinus, uti refert Flor. Remond l. 7. c. 10. quòd antiquæ Eccleſiæ rugas explicare, maculas eluere, & ſic priſtino eam nitori reſtituere potiùs ſit conatus, quàm unâ liturâ totam imaginem male expictam oblitterare, novámque exin, & meliorem elaborare. id autem

sibi esse propositum, lineamenta scilicet Ecclesiæ de novo describere; id quod non modò consultius, sed & facilius sibi futurum sit, non aliter ac sculptori facilius accidat, in rudi sive rasa marmorea tabula perfectum aliquod opus de novo elaborare, in eóque artis suæ excellentiam ostendere, quàm vel ab alio cœptum absolvere, vel errata Imaginis malè elaboratæ emendare. Dixit hoc Calvinus, &, malo suo æterno, fecit, ac velut si alter Christus è cœlo in terras denuo delapsus foret, essétque *Virtus DEI magna*, (quæ primi hæretici, Simonis, gloriatio erat) ita *lineamenta* prorsus *alia*, ut propositum suum exequeretur, suæ Ecclesiæ, deletis omnibus prioribus, verissimè induxit; quam & *Reformatam* ob id *Ecclesiam* appellari voluit: de qua Reformatione infrà sensum meum uberiùs explicabo. Nunc age, calame, quod promisisti, idque non sexcentis, sed tamen centum exemplis doce, etiam sexcentis docturus, si foret opus.

§. I.

Omnia Veteris sanctæ Ecclesiæ instituta convellit, & omnino tollit Calvinus, & Calvinismus; id quod quinquaginta exemplis demonstratur.

Sect. 4. c. 1. art. 2. I. CAput visibile ab Ecclesiæ Corpore visibili, summum scilicet Pontificem, resecat Calvinismus.

S. 6. a. 7. II. Oculos eidem Ecclesiæ eruit, dum Episcopos tollit.

III. Manus quoque & pedes præscindit, dum Sacerdotes cum Diaconis & aliis inferioribus Clericis eliminat, ita truncum Dagon relinquens, & ex *Monarchia* verissimam *Anarchiam* constituens.

S. 4. c. 2. a. 2. §. 1. IV. Sacramentum baptismi enervat, dum negat illud ad salutem necessarium, & idcirco confert, cùm commodum est; aliter negligit.

Ibid. §. 2. V. Ejusdem baptismi ritus antiquissimos, plurésque ex iis ab ipsis Apostolis acceptos temnit, ac rejicit, ut sunt benedictio aquæ baptismalis, exorcismus, abrenuntiatio, inunctio &c.

Sect. 4. c. 2. a. 1. n. 2. VI. Sacramentum Confirmationis, sive chrismatis neque ut Sacramentum suscipit, neque ut ritum alium antiquissimum recipit.

Item S. 6. a. 8 §. 3. VII. Sacramentum Pœnitentiæ, secundam illam post naufragium Tabulam, funditus mergit.

Ibid. §. 2. VIII. SS. Eucharistiæ Sacramentum emedullat, dum realem in illa Christi præsentiam, contra omnes alios Christianos, solus Calvinismus negat, & nec adorat, nec pro ægris asservat.

Ibid. n. 5. Item S. 4. c. 6. n. 6. IX. Omne Sacrificium, & sic omnem publicum latreuticum DEI cultum eliminat, dum Missam eliminat.

S. 6. a. 8. n. 11 X. Sacramentum extremæ unctionis in exilium mittit.

Ibid. n. 12. XI. Similiter Sacramentum ordinis Sacerdotalis proscribit.

XII. Uti

XII. Uti & Matrimonij Sacramento aquâ atque igne interdicit. *Ibid. n. 13.*
XIII. Ipsum Christianum matrimonium, more Judaico, dissolvit. *S. 4. c. 6. a. 5.*
XIV. Loco septem Sacramentorum duo substituit. *n. 9.*
XV. Ex his tamen ipsis duobus, quæ admittit, *egena elementa* facit, dum negat ea gratiam vel baptizato, vel communicato conferre. *S. 8. a. 2. n. 5.* *S. 4. c. 2. a. 1.*
XVI. Præcepta Decalogi inter Impossibilia reponit, & sic violationi prostituit.
XVII. Consilia Evangelica perpetuæ castitatis atque paupertatis, penitus abdicat, negat, ridet. *S. 4. c. 4. a. 3* *S. 4. c. 5. a. 3.*
XVIII. Si voveris talia, irritare docet, & in his sacrilegiis triumphat.
XIX. Sanctos Cœlites cum Christo regnantes competente eis cultu:
XX. Defunctorum animas suffragiis vivorum: *S. 6. a. 3. n. 2.*
XXI. Morientes, Viatico æternitatis Eucharistico, triplici in vivos, mortuósque injuriâ privat ac spoliat. *Ibid. sa. 4.* *S. 4. c. 2. a. 8.* *n. 6.*
XXII. Cœlum ad ultimum usque Judicij diem Sanctis occludit. *S. 7 a. 3. n. 14*
XXIII. Purgatorij carcerem negando annihilat. *S. 6. a. 4.*
XXIV. Ipsum infernalem ignem inter pueriles fabulas numerat. Calvino enim Infernus aliud non est, quàm horror irati sibi DEI. Ita Calvinus l. 3. Inst c. 25, n. 12. quod etiam olim miserabilis ille Origenes docuit, teste S. Hieron. in epist. ad Auitum.
XXV. Omnia à templis aurea, aliáve ornamenta proscribit, illud Ethnicorũ in hoc sequens: *In templo quid facit aurum?* servatur in arca rectiùs. *S. 4. c. 6 a. 5* *n. 5.*
XXVI. Imagines Sanctorum, etiam DEI nostri Crucifixi, ejicit.
XXVII Sanctorum Reliquias, sacra ossa &c. aut ejectat, aut etiam comburit. *S. 4. c. 6. a. 5*
XXVIII. Lampades, aliáve lumina DEI honori arsura extinguit. *Ibid.*
XXIX. Thuris honorem DEO ubique gentium, & semper adhiberi solitum non sustinet odorari. *S. 4. c. 6. a. 5.* *n. 5.*
XXX. Aras evertit, mensas substituit.
XXXI. Gravem illum Cantum ecclesiasticum, qui choros alternet, Angelorum æmulatione, abrogat, melodias supponit. *S. 4. c. 6. a. 5.*
XXXII. Vestes sacras, quæ laicos ab ecclesiasticis secernant, nescit. *n. 7.*
XXXIII. Cœlibatum Sacerdotalem execratur, & ipsos adeò Apostolos, ipsos Paulos, omnes maritos facit. *Ibid.* *S. 4. c. 5. a. 2.*
XXXIV. Vitam Monasticam mille convitiis deprimit, quam Patrum sanctissimi mille laudibus extulerunt. *Ibid. a. 1.*
XXXV. Stata omnia jejunia è medio tollit.
XXXVI. Quadragesimam ab Apostolis fundatam superstitionibus accenset. *Ibid. a. 4.*
XXXVII. Quòd si aliquando jejunare placet, non Veneris, non Sabbati dies, ne quid cum Catholicis habeat comune, sed Dominica ad id eligitur. *Item S. 6. a. 12. n. 1.* *Ibid.*
XXXVIII. Longiores orationes, præsertim nocturnæ, superstitionem ei sapiunt. *S. 4 c. 6. a. 5.* *n. 8.*

XXXIX. Uti

Ibid. n. 7. *XXXIX.* Uti & genuflexio, tempore precum. (Sessio commodior est)

S. 6 a. 3. n. 4. *XL.* Et apertio capitis, aut genuum incurvatio, cùm sacratissimum JESU nomen pronuntiatur.

S. 4. c. 6. a. 5. n. 8. XLI. Ciliciorum, humicubationum &c. usus ei nullus.

XLII. Nullus laboriosarum peregrinationum ad sepulcrum Christi, aut SS. Apostolorum, qui antiquis frequentissimus fuit. Procul scilicet, quidquid carni facit malè.

S. 6. a. 2. n. 4. XLIII. Crucem Domini erubescit in fronte pingere.

XLIV. *Quiescere facit dies festos à terra*, sicut Psalmus 73. prænuntiavit, quia lucro temporario obstant. *Res hîc loquitur.*

XLV Omnes moris vetustissimi Benedictiones, aquæ, salis, olei, vini, fructuum, abolet, & inter præstigias collocat. *Idem dic de isto numero.*

S. 4. c. 1. a. 3. n. 1. XLVI. Supremam Jurisdictionem in Ecclesias, Ecclesiarúmque ministros, Regibus & Principibus tribuit, etiam pueris, feminísque. prô pudor!

XLVII. Miracula, quia in sua Ecclesia nulla habet, etiam ea, quibus abundat vera Ecclesia, sempérque abundabat olim, negat, ridet, & præstigiis adnumerat. *Res hîc loquitur.*

XLVIII. Scripturæ Sanctæ libros alios recipit, alios rejicit, ut lubet. *Et hîc.*

S. 4. c. 1. a. 2. n. 15. XLIX. Scripturam solam omnium controversiarum Judicem constituit, Judicem scilicet mutum, qui nunquam contra reum apertè pronuntiet.

S. 7. a. 4. L. Concilia Generalia, etiam prima Quatuor, à veteribus Sanctis ipsis quatuor Evangeliis æquiparata, recipit cùm vult, repudiat cùm vult: quod idem facit circa doctrinas & consensum SS. Patrum & Ecclesiæ Doctorum. &c. &c.

Habes quinquaginta Lituras, (neque tamen omnes sunt) quibus facies veteris sanctæ Ecclesiæ circa Instituta sua & Ritus fœdatur, & planè ita oblitteratur, ut formæ antiquæ remaneat nihil. Nam quid ex omnibus his 50. punctis negari vel ab adversariis queat? Dicet fortè quispiam: Diem saltem Dominicam, uti & Catholici, sanctificant sabbati loco, & vel in hoc non incedunt diversi. Laudo factum. novi tamen, deliberasse Calvinum, an non diem Jovis, loco Dominicæ, suis feriandum proponeret, ut neque in hoc Papistis se assimilaret. Pudor tamen id fieri vetuit. sed hæc ipsa retentio diei dominicæ illaudata, & verbo DEI, prout illud à Reformatis accipitur, contraria est. Si enim neque credendum quidquam est, neque in mores inducendum, nisi ex formula Verbi DEI scripti, dic nobis, Calvine, ubi reperisti in Scriptura, loco Sabbati diem Dominicam sanctificandam à Christianis esse? Ita in eo quoq; vituperium meretur Calvinus, in quo solo non immutato videri poterat laudem meruisse. Nunc ad Quinquagenam alteram progrediamur, non immutatorum rituum, morúmque veteris sanctæ Ecclesiæ, sed ipsorum fidei articulorum, qui vel omnino non credantur, vel integrè non credantur, vel perperam credantur; quod secundo loco me præstiturum, suprà promisi.

Quin-

quam contegere potius pallio suo, aut detractâ etiam tunicâ debuerat, id quod duo benedicti Noëmi filij fecerunt, uti legimus, Genesis IX. v. 25.

III. *Secunda latebra* est, quam appellabimus: *Procul Concilia.* Quia enim post sacram Scripturam nihil habemus omnes veri Christiani, quò in rebus fidei & morum, nitamur certiùs, quâm Concilia, sive sacros illos Cœtus, in quibus Capita præcipua Ecclesiarum ex tota Christianitate evocata congregantur, & invocato suppliciter Spiritu sancto suam de Ecclesiasticis dogmatibus, aliisque Christianorum Institutis sententiam pronuntiant, meritò nos Catholici, ubi controversiæ incidunt, de fide maximè, ad antiquissima hæc Concilia, & eorum velut oracula recurrimus, (legitima Concilia, eáque Universalia intelligo) iisque nos contra omnes Ecclesiæ Catholicæ hostes, & *profanas* eorum *novitates* tuemur. Quis enim nisi stolidus, non potiùs decretis Concilij eiusmodi Generalis (ubi modò trecenti, modò sexcenti, modò milleni Patres, viri plerumque doctissimi coierunt) quàm sententiæ novæ alicujus sive Calvini, sive Lutheri, sive Synodi cujusdam Dordracenæ, &c. assentiatur? His tamen sus, déque habitis D. Vedrosius noster etiam Concilia hæc, etsi in speciem quatuor prima recipere videatur pag. 7 reipsa tamen rejicit, has planè futiles ob causas. Prima est, quòd quarto demum Seculo Concilia eiusmodi Generalia sint coacta, eáque nullam generalem fidei confessionem, sed tantùm quæstionum particularum decisionem nobis exhibeant. Ita Vedrosius pag. 6. Deinde, quòd hæc ipsa Concilia sibi ipsis contraria in decisionibus suis fuerint, & Arimense quidem adversus Nicænum primum insurrexerit: Chalcedonense autem adversus Ephesinum secundum, &c. Ista verò aut malitiosè à Vedrosio dicuntur, aut inaniter, Nam Ephesinum II. uti & Arimense, non Patrum, sed Latronum; non Concilia, sed Conjurationes fuerunt: quod indicat ipse Vedrosius, parum sui memor, dum ait, Ephesinum secundum dictũ fuisse *Latrinum Concilium*, (Græcis ληστρικόν) Cur ergo hæc affert, & elevare auctoritatem legitimorum & Concilio-

II. Latebra: Procul Concilia: Destruitur.

Quam futilia sint, quæ contra Concilia Vedrosius affert.

ciliorum & Patrum per conciliabula latronum nititur, si malitia abest? Quam frustra tegere nititur, dum pag. 7. subjungit reverentissima in speciem hæc verba: *Saluberrimam Conciliorum in Ecclesia auctoritatem cum Augustino agnoscimus. Virtus enim unita fortior esse solet*, &c. quæ simulatoria verba ridebunt omnes, qui norunt, quàm nihil Concilia omnia curetis, quoties vobis adversari videntur: quod ipsum in sequenti statim paragrapho prodit Vedrosius ipse, dum scribit: *Quatuor Oecumenica Concilia magni facimus: sed quatuor Evangelia longè illis præferimus. Nam ad sacræ Scripturæ normam Concilia exigi debent, non vicissim.* Ubi quæro ex Vedrosio: Ergône quatuor hæc Concilia, quæ fingis te magni facere, ad sacræ Scripturæ normam non sunt exacta? Sed primùm à te Vedrosio exigi debent? Si non sunt exacta ad hanc divinam normam, cur illa magni facis? Si autem sunt exacta ad normam hanc, uti revera sunt, quid hac tua exceptione erat opus?

Dilemma contra Vedrosium.

IV. III. Latebra: Nihil præter Scripturam:

Tertia latebra est, quæ vocabitur nobis: *Nil præter Scripturam.* Hanc latebram studiosè pag. 4 & 5 emolitur, & exornat variis tum Scripturæ sacræ, tum Patrum testimoniis; inter quæ tamen nullum prorsus invenio, quod probet ullo modo, aut jubeat id, quod vult Vedrosius, scilicet, ut *Scripturâ sola* in omnibus nitamur. Nam quòd adducit illud Luc. 16. v. 29. (non v. 19. ut habet Vedrosius) *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos:* dupliciter malè adducit. Primò enim non ita habet textus Evangelicus, ut ponit ipse: *Habetis Moysen, & Prophetas: audite illos:* sed uti nos supra posuimus ex nostra vulgata: *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.* Ita enim Græcus quoque habet, non secundam scilicet personam, sed tertiam. Insuper, malè quoque hanc Scripturam ideo adducit Vedrosius, quia nihil pro illo facit. Neque enim ait Abraamus, (nam Abraami verba sunt, non Christi.) Audiant illos solos, & alium neminem. Nam & Summus Sacerdos illius temporis Judæis erat audiendus, sive scripto aliquid, sive voce solâ præciperet, aut pœnæ loco mors infamis subeunda: Deut. 17. v. 12. Paris inefficaciæ sunt etiam reliqua à Vedrosio ex Scripturis adducta.

Excutitur.

Hanc autem Reformatorum provocationem ad *unam Scripturam*, non nisi vulpinam foveam, & latebram esse, ex toto hoc meo Apologetico manifestissimum erit, idque mox pluribus indicabitur.

Exspectabam à te etiam *quartam latebram*, & miror fuisse omissam, quam vocare nobis per te liceat: *Nihil Historia*: Nam sicuti vos Reformatos modò ex S. Scriptura (idque potissimum; ita non refugimus Scripturas) modò ex Decretis Conciliorum Generalium; modò ex consentiente doctrina, & veluti sacro Senatusconsulto SS. Patrum convincimus errorum: ita non minùs frequenter ex fideli Ecclesiastica Historia nos Catholici eos revincimus. Et verò sæpe, cùm quæstiones in facto versantur, non habemus validiora contra illos tela, ut falsitatis ipsos, & multiplicis, & manifestissimæ reos peragamus, quàm ex Historia. Cur ergo non itidem contra Historiam Ecclesiasticam, aliam in hac sua præambulari Sectione secunda emolitus est foveam? Sed facere Vedrosio magis lubet, quam dicere, ut ex sequentibus satis patebit. Hoc enim Protestantibus omnibus, sectæ cujuscunque, solenne est: Si quid nos Catholici ex probatissimis etiam & antiquissimis Historicis pro tuitione Catholicorum dogmatum nostrorum adducimus, ut sunt miracula toti Christiano hucusque Orbi credita, quæ v. g. ad Invocationem Sanctorum, vel eorum Memorias, ac Reliquias, DEUS patrare dignatus est (ut uno tantùm exemplo utar) quibus claré utique probamus Invocationem talem & cultum, sanctissimo Numini, quod *ad iniquitatem*, maximéq; Idololatriam, *respicere non potest*, minimè displicere, imò magnopere placere; si quid talium, inquam, Catholici adducant, continuò assunt Protestantes nostri, & fidem omnium ejusmodi historiarum elevant, rident, temnunt. Contra tamen, si vel in ignobilissimo historico legerint quidpiam, quantumvis incredibile, quod sit contra Romanos Pontifices, Catholicum Clerum, aut Personas Religiosas, &c. velut Evangelium continuò producunt, & quasi *victores captâ præda* lasciviunt. Sed væ illis Scriptoribus nostris, qui ex fidelissi-

IV. Latebra: Nihil historiæ: exploditur.

V.

Historiæ tantùm pro Sectariis valent nihil contra illos.

lissimis etiam Historiis quidpiam vel contra ipsosmet Reformatos, eorúmve Patres, ut sunt Calvinus, Beza, &c. vel etiam eorum majores producere audeant, ut puta VValdenses, Albigenses, Picardos, quin & vetustiores illos Aërios, Jovinianos, Vigilantios, &c. Hic omnis historia ipsis fabula est; omnis narratio mendacium; aut indomita, ut loquuntur, passio, & sinister affectus, invidia, odium, &c. etsi Hieronymus ipse, vel Epiphanius, vel Augustinus auctores sint, ut de inferioris subsellij auctoribus nihil dicam. Exempla inferius non deerunt.

Audisti de foveis & latebris, quas sibi in vestibulo operis sui, Sectione hac secundâ Vedrosius præstruere voluisse videtur. Sed non deerunt, qui malè præstructa destruant deinceps bene.

VI. Et quidem infra, in hoc ipso opusculo meo, Sect. 7. art. 2. bene longo, *Latebra tertia*, quam in Scriptura sola Vedrosius molitur, excutietur probè, & destruetur vanissima illa de *Scriptura sola* gloriatio; ubi ostendetur, non habere Scripturam hostes capitaliores, quàm ipsos.

Notantur loca plura hujus Opusculi, in quibus omnes hæ latebræ pleniùs excutiuntur.

Secunda autem *Latebra*, quæ in Conciliorum aliorum admissione, aliorum verò rejectione, eorúmque Symbolis quæritur, fusè infra pervestigabitur eâd. Sect. 7. art. 4. & 5.

Latebra demum *prima*, quæ sanctos Patres, & antiquissimos Ecclesiæ Doctores ex eo capite removet, & à sententia dicenda repellit, quòd homines fuerint, & nævis, ac erroribus suis non careant, diligenter excutietur Sect. 4. cap. 6. art. 5. ubi de ficta laude agitur, quam Reformati SS Patribus tribuunt, cum vero vituperio eorundem conjuncta. Vide itidem Sectionis V. articulum unicum, qui est de Ecclesiæ & Doctorum ipsius Infallibilitate, ubi quid Catholici sentiant de Patribus in unum dogma consentientibus, quid item de Patribus seorsim sumptis, clarè indicatur, ad finem præsertim articuli istius, qui Sectionem sextam immediatè præcedit. NB. Si enim singulas istas latebras hoc loco, & initio hujus meæ Apologiæ perscrutari vellem exactiùs, statim à principio & limine, Lectoris abuterer patientiâ; qui mihi illud oggerere valeret antiquum: *Age quod agis.*

agis: & Rationes potiùs Georgianas contra Vedrosium, si potes, tuere, atque extra institutum tuum ne cum Vedrosio vagare. Parebo mox, si priùs saltem initium hujus sectionis secundæ Vedrosianæ excussero, quod satis est crudum, ideoque mihi concoctu difficile erat.

VI.

Ita autem orditur sectionem suam 2. D. Vedrosius. *Agnoscimus*, inquit, *vetus esse delirium eorum, quos scriptura & ratio deserit, magno boatu ingeminare Patres.* Ita Vedrosius: quibus verbis pro deliris habet, & brutorum pecorum loco, qui sanctos Patres ingeminant, & in scriptis, aut Declamationibus suis, cùm præsertim de fide agitur, testimonia eorum congeminant; additq; non facere hoc alios, quàm *quos & scriptura, & ratio deserat.* Audis hominem mi Lector, *quem & scriptura & ratio deserverunt.* (nec enim dedignabitur, ut spero, Vedrosius verba sua recipere) Itáne tu *delirium* vocas, *Patres ingeminare?* Ergo delirus tibi S. Augustinus erit (ut unico hoc exemplo utar) qui in pluribus operibus suis, & antiquiores se Patres, & coævos suos planè & *ingeminat*, & congeminat, & hoc potissimùm telo, certis in controversijs, contra hæreticos, quibus cum ei res erat, utitur; ut antiquorum orthodoxorum Doctorum testimoniis novitates ipsorum confundat; cujus exemplo hodiéque hoc idem nos Catholici agimus.

Boatus Vedrosiani contra Patres castigantur.

VII.

Unicum specimen ex S. Augustino, idque illustrissimum, adducamus. Augustinus ergo Tom. 7. agens contra Julianum, hæreticum Pelagianum, qui ausus erat negare peccatum originis, non scripturas solas, sed etiam Patres & *ingeminavit*, & congeminavit, eorúmque plurimorum auctoritate consentiente, planè contrivit Pelagianum hoc monstrum, in lib. 1. c. 3. Primo autem loco producit S. Irenæum in lib. 4. c. 5. peccatum originale agnoscentem, confitentem & deplorantem. Sub finem autem testimonij hujus ita loquitur August. *Vidésne antiquum hominem DEI quid de antiqua serpentis plaga sentiat?* 2. loco S. Cyprianum. 3. Reticium Augustodunensem Episcopum, cujus libri hodie non exstant. 4. Olympium Episcopum

Quomodo semper in Ecclesia testimonia SS. Patrum loco probationum assumpta sint.

Hispanum citat, cujus opera itidem desiderantur. hujus testimonium, imò omnia superiora ita concludit: *Habesne aliquid, quod adversus nos dicere tibi videaris, quod non etiam in istum dicere compellaris, vel potiùs in istos?* scilicet Irenæum, Cyprianum, Reticium & Olympium? Ab his gradum facit ulterius S. Doctor, & ex Gallia S. Hilarium Episcopum Pictaviensem arcessit, hoc encomio: *Ecclesiæ Catholicæ adversùs hæreticos acerrimum defensorem, venerandum quis ignorat Hilarium, Episcopum Gallum?* Et cùm bina ex ipso testimonia de peccato originali adduxisset, ita finit: *Hunc virum*, inquit, *tantâ notitiâ, famâque conspicuum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est, criminari.* Inde decem diversa testimonia ex S. Ambrosio producit, ita auspicatus: *sed adhuc audi alium excellentem DEI dispensatorem, quem veneror ut Patrem (in Christo enim IESV per Evangelium ipse me genuit) beatum loquor Ambrosium &c.* quibus omnibus testimonijs commemoratis, cap. 4. Ita Julianum hæreticum adoritur. *I nunc*, inquit, *& mihi objice originale peccatum; finge te nescire, quid dicant, & Sancta Ecclesiæ tot, tantique Doctores, qui vitâ optimè gestâ, debellatisque suorum temporum erroribus, gloriosissimè de hoc seculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, velut eis non visis, in me impetum faciens, & velut nesciens, quòd illi sub nomine meo lacerentur, tanquam securus insulta.* Ad eum scilicet prorsus modum, quo hodierni, sectarij, sub *nostro* Pontificiorum *nomine*, iisdem Sanctis Patribus, & gloriosissimis debellatoribus errorum hodiéque insultant. Post S. Ambrosium, & omnes reliquos, Innocentium I. Pontificem Romanum, maximâ honoris prærogativâ supra omnes priores, ultimo loco, non gradu, inter Patres Occidentalis Ecclesiæ, his honorificentissimis verbis inducit. *Sancto Innocentio vide*, inquit ad Julianum, *quid respondeas; qui nihil aliud de hac re sapit, quàm quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi: cum his etiam ipse* (Innocentius) *considet, etsi posterior tempore, prior loco.* NB. *priorem loco consessurum*, ait Augustinus in hoc Conventu Patrum Innocentium; si adesset, utpote Romanum Pontificem, ceteris omnibus eo nomine

Specimen hujus rei illustrissimum, & consideratione dignissimum ex S. Augustino. NB.

mine superiorem, uti rectissimè ad hunc locum à Theologis Lovaniensibus, in Annotationibus num. 9. est animadversum. His tot testimoniis ex Occidente necdum contentus Augustinus, multò adhuc plures ex Oriente Patres, ad quos potissimùm provocaverat Julianus, his verbis advocat: *Sed non deerit*, inquit, *magni nominis, & famâ celeberrimus Episcopus, etiam de partibus Orientis. Sedeat ergo cum istis Patribus etiam S. Gregorius* (Nazianzenum intelligit) *& cum eis contra novitiam pestem vestram medicinalem proferat & ipse sententiam. Audi ergo quid dicat.* citat exinde illustrem S. Gregorij locum ex oratione ejusdem in natali Christi habita. Huic S. Basilium jungit his verbis: *Sed si vis*, inquit, *addimus huic & S. Basilium, imò velis nolis addendus est*: inquit cordatissimus Augustinus. adducitque ex sermone ejusdem Basilij de Jejunio sententiam insignem de peccato originis. His denique jungit quatuordecim alios Episcopos orientis, Eulogium, Joannem, Ammonianum, Porphyrium &c. atque ita planè auctoritatibus Patrum ex Orientali, & Occidentali Ecclesia obruit & conterit Julianum. An verò tibi hîc, etiam Augustinus *boatus* edit, ingeminando tot Patres, an potiùs Vedrosius? an *delirat* in hoc Hipponensis etiam Præsul ille maximus, quem nunc solum in exemplum adducere placuit, ac non potiùs Vedrosius? an & Augustinum *scriptura cum ratione deseruit*, ac non potiùs hæc temere scribentem Vedrosium? Hæc paucula respondere ad sectionem secundam Vedrosij placuit, gratificandi ei studio, ne totam sectionem sine responso præteritam conqueri queat. Et hæ quidem duæ antecedentes sectiones non nisi præliminares sunto, & veluti duo Præludia concertantium. In sequentibus de re ipsa magis disceptabitur, & Triginta illæ sex Rationes D. Georgij à D. Vedrosio impugnatæ, quemadmodum impugnatæ sint, excutientur.

Totam Patrum silvam pro unica controversia citat S. Augustinus.

SECTIO III.

DE VISIBILITATE ECCLESIAE IN GENERE, ET IN SPECIE DE VISIBILITATE ET INDEFECTIBILITATE ECCLESIÆ ROMANÆ.

ARTICVLVS I.

De Visibilitate Ecclesiæ universim.

SUMMARIUM.

I. Visibilitas Ecclesiæ, quæ à Catholicis asseritur, & probatur, est D. Georgio Ratio prima non dignitate, sed enumerationis ordine, conversionis suæ.

II. Eam impugnat D. Vedrosius.

III. Impugnanti repugnat Apologista D. Georgii, & ostendit, non tantùm D. Georgium, sed quemvis etiam alium hac ratione permoveri debere.

Num. I.

Visibilitas Ecclesiæ a Catholicis asserta fit D. Georgio non ultima Ratio suæ Conversionis.

Opponitur hæc mea tertia Sectio, ejúsque primus iste articulus Sectioni itidem tertiæ Vedrosinæ pag. 20. & quidem parti ejus priori, quâ impugnare nititur primam Rationem, quam D. Georgius attulit à pag. 1. usque ad pag. 10. quæ est *Visibilitas Ecclesiæ à Catholicis omnibus unanimiter, & minimè timidè asserta ac requisita*: à Reformatorum contrâ alijs negata, ab aliis verò requisita & recepta, quorum etiam loca ex Scriptis eorundem, & contrarios textus citat. Summa Georgianæ Rationis hæc est, si brevissimè eam in syllogisticam aliquam formam, majoris claritatis gratiâ, redigere placeat. Vera Ecclesia debet esse visibilis, juxta S. Scripturam, & SS. Patrum doctrinam.

Reformatorum Ecclesia non est visibilis, sed invisibilis juxta plerósque eorum & præcipuos Auctores, ac publicas Confessiones.

Ergo Ecclesia Reformatorum non est vera Ecclesia.

Quod

Quod si vera Ecclesia non est, rectè ego Georgius egi & sanctè, qui illam Invisibilem eorum Ecclesiam deserui, & ad veram, eámque Catholicam & visibilem Ecclesiam me recepi. Hæc summa, inquam, est Discursûs rectissimi Georgiani, non verò illa, quàm in alium Syllogismum collegit pag. 21. Vedrosius, qui est talis. II.

Summa Ratiocinationis Georgianæ.

Quicumque Ecclesiam amplectitur semper & ubique visibilem, & deserit Ecclesiam hac Notâ carentem, is sanctè facit. Ego amplectendo Ecclesiam Romanam, amplexus sum Ecclesiam semper & ubique visibilem, & deserendo Reformatam deserui Ecclesiam hac notâ carentem: Ergo hoc faciendo sanctè feci. In quo Syllogismo Vedrosiano illud meritò desideravi, quod id, quod D. Georgius loco Corollarij solùm posuit, Vedrosius pro primaria propositione suæ Ratiocinationis assumat.

Nunc quomodo singulas suæ Rationis partes D. Georgius, & cum eo omnes Catholici probent videamus. Prima Positio nostra hæc erat. *Vera Ecclesia debet esse visibilis.* Hanc post Scripturam & Sanctos Patres, infra citandos probat D. Georg. argumento, quod vocamus: *Ad hominem*: scilicet ex ipsis Reformatorum doctrinis & Doctoribus, præsertim ex Wollebio, & Zacharia Ursino; quorum prior Joannes Wollebius ita scribit, loco à D. Georgio in margine citato. (nam ego auctores istos ad manus non habeo) *Temporis respectu Catholica est Ecclesia, quia inde à mundi principio nunquam penitus defecit, quin esset aliqua VISIBILIS Ecclesia in terris &c.* Ursini autem verba hæc sunt. *DEVS vult Ecclesiam in mundo esse conspicuam* & paulo post: *Necesse est* (NB.) *Veram Ecclesiam in mundo* CONSPICI, ut *sciant Electi in toto genere humano dispersi, cui cœtui se adiungere debeant in hac vita, & ad Ecclesiam aggregare &c.* Bene hæc Wollebius; bene Ursinus, & Ursinus maximè, verissimam reddens rationem, cur conspicua semper esse debeat Ecclesia vera, scilicet ut Pagani & alij infideles sciant, quò se recipere debeant, si ab errore viæ suæ converti velint. Hæc enim eadem est Ratio invicta omnium Catholicorum, quam pro necessariò visibili vera Ecclesia adducunt. Sed non est hæc III.

Eam probat D. Georgius ex ipsorummet Reformatorum scriptoribus, visibilem Ecclesiam concedentibus.

hæc mens omnium Reformatorum, quorum plerique directè, ut loquimur, contrarium asserunt. Inprimis Calvinus ipse Instit. l. 4. c. 1. Sect. 2. qui Ecclesiam veram in sola DEI mente collocat. *Soli DEO*, inquit, *permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cujus fundamentum est arcana ejus Electio.* Atqui arcana hæc ejus electio utique invisibilis est, cunctisque mortalibus, quin & Angelis impenetrabilis. talis ergo & Ecclesia erit. Consensit Calvino suo Confessio Helvetica (quam Reformati omnes, uti Lutherani Confessionem suam Augustanam, amplectuntur.) Ita autem illa habet cap. 17. apud D. Georgium pag. 5. *Ecclesia invisibilis appellari potest, non quod homines sint invisibiles, ex quibus Ecclesia colligitur, sed quod oculis nostris abscondita, DEO autem soli nota, judicium humanum sæpe subterfugiat.* Ita Confessio vestra apertè satis.

Alij tamen Reformati contrarium docent, & Calvinus ipse.

Uti & Confessio Helvetica.

Adducit & Breitingerum, magnum apud Calvini asseclas nomen, qui in opusculo de Sectis, Editionis Italicæ, pag. 38. & 39. ita scribat. *Dilecta Ecclesia debuit perire de medio hominum, esse incognita & abscon sa, & nihilominus permanere in suo esse.* Italica verba ita habent, ne queri possint adversarij, in versione latina nos Catholicos aliquam fraudem commisisse (*L' amata chiesa s' è bisognata perdere dal mezzo de gl' huomini, esser incognita, è nascosta, è nulladimeno restar nell' esser suo.* ubi illud: *perdere dal mezzo de gl' huomini* (uti mihi periti hujus linguæ plures affirmant) idem est ac *perire de medio*, vel de medio auferri, evanescere &c. Germanicè diceremus: **Sie hat sich müssen verlieren.** Quod autem perditur, ijs quibus perditur, utique invisibile est, dum denuo inveniatur.

Et maximè Breitingerus Calvinista.

Cui Ecclesia ante Calvinum de medio hominum sublata fuit incognita & absconsa.

Atque ita probata manet etiam altera Ratiocinationis Georgianæ propositio: *Ecclesia Reformatorum non est visibilis*, sed invisibilis, aut certè, quod eodem redit, ante tempora Calvini fuit invisibilis, deperdita, incognita, abscondita (nascosta, ut habet Italicum) quibus verborum formulis volunt dicere, & verò etiam apertè dicunt, veram Ecclesiam (quam suam, eámque solam volunt esse) fuisse absconsam in Papatu usq; ad tempora

pora Calvini, & ab eo inductæ Reformationis; mediante autem Reformatione post tot primùm secula denuo è tenebris in lucem esse protractam, quod disertè tradit Breitingerus, pag. 3. apud D. Georgium, in opusculo, quod dictus Breitingerus de Sectis edidit, pag. 41. & 43. his verbis: *Præsentes Ecclesiæ Reformatæ fuere absconsæ in Papatu* (nascoste nel Papato) *tempore autem Reformationis* (Calvinianam intelligit) *& mediante quidem eadem Reformatione, pulcherrimè rursum in lucem data.* (benissimo scoperte nel tempo della Reformatione, & per mezzo della Reformatione &c.)

Quodsi D. Georgius brevitatem operis non habuisset in consilio, poterat hanc Rationem suam, & primam præsertim ejus propositionem (*Vera Ecclesia debet esse visibilis*) tum ex scriptura sacra, tum ex antiquissima Ecclesiæ doctrina clarissimè ulteriùs stabilire, quod ego brevissimè hîc ejus locô facio. IV. Catholicorum probationes pro Ecclesia semper visibili.

Ad Scripturam quod attinet, non utique sine caussa Spiritus Sanctus in dicta scriptura rebus omnium clarissimis, & ut ita loquar, visibilissimis Ecclesiam suam comparavit. Ex Scriptura sacra, quæ rebus omnium maximè visibilibus Ecclesiam comparat.

Primò *Tabernaculo in Sole posito.* Ps. 18. *In Sole posuit Tabernaculum suum.* quod de Ecclesia Magnus Augustinus in enarratione 2. in dictum psalm. 18 intellexit, ex quo etiam exscribo. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, *in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ latet, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum. In sole ergo posuit tabernaculum suum. Quid tu hæretice, fugis in tenebras?* Hæc Augustinus. Audis hæc Breitingere, qui Ecclesiam opertam, absconsam, incognitam, de medio perditam ausus es facere, & sic in tenebras fugere cum Calvino tuo? Tabernaculo in sole posito. S. August.

Comparat secundò *Monti in vertice montium.* Isa. 2. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus, præparatus MONS Domûs Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Quem locum de Ecclesia rectissimè acceperunt S. Cyrillus Alexandrinus orat. in c. 2. Isa. & plures alij. Sed Sanctum ipsum, Cyrillum, inquam audiamus. *Montis Ecclesia spiritualiter comparatur*, inquit, (scilicet

Isa. 2.) *Etenim verè est excelsa, & illustris, & omnibus ubique notissima: de qua meritò illud dici queat, quod illustris exempli caussa, Servatoris voce dictum est: Non potest Civitas abscondi supra montem posita.* Matth. 5. Non nescio hunc Isaiæ locum alios Patres de Christo explicare, uti faciunt S. Hieronymus, S. Basilius &c. intelligunt autem Christum, ut est Caput Ecclesiæ. ubi illa Ticonij apud Augustinum regula observanda est: Quidquid de Christo dicitur, dicitur etiam de Ecclesia, & è converso: quia Christus, ut Caput, & Ecclesia, ut ejus Corpus unum censentur. Et hic genuinus hujus loci est sensus, alij qvidam symbolici sunt.

Monti in vertice montium.

S. Cyrillus.

3. Non minus illustri comparatione confertur Ecclesia *Civitati in monte posita* (qvâ nihil magis conspicuum, visibilius nihil) Matth. 5. his verbis: *Non potest abscondi Civitas supra montem posita.* quem locum post S. Cyrillum S. Augustinus in lib. de Unitate Ecclesiæ c. 14. (uti & alibi sæpius) de Ecclesia omnibus spectabili ita exponit; *Non est operta Ecclesia, non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est* (Matth. 5.) *non potest Civitas abscondi supra montem constituta. Sed Donatistis* (nos dicamus Calvinistis) *velut operta est; quia audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere.* Ita Sanctus, qvi idem hoc repetit l. 3. contrà epist. Parmen. c. 3. Clausis utiqve oculis ut Donatistæ olim, sic Calvinistæ hodie cùm ascendere potiùs deberent in hunc montem, offendere in eum malunt, dum conspicuum eum fuisse tot seculis ante Calvinum suum negant. Addamus & vetustissimum Origenem hom. 30. in Matth. *Ecclesia,* inqvit, *plena est fulgore ab oriente usque in occidentem.* En, Vedrosi, ut apertè, miniméqve timidè Catholici Doctores nostri tum antiqvi, tum Recentiores nostrorum temporum, visibilitatem Ecclesiæ ex ipsa S. Scriptura adstruant, & sine ullis distinctionibus, divisionibus in *materiale* & *formale* subdivisionibus, quin & subsubdivisionibus de Ecclesiæ visibilitate, perspicuitate, solari

Civitati supra montē positæ.

S. August.

Quid Origenes.

solari æmula, loqvantur, cùm vos è contrario timidissimè, & non nisi præmissis innumeris distinctionibus, & divisionibus, & subdivisionibus vestram audeatis sententiam exponere, uti Vedrosius & ipse facit pag. 21. 22. 23. quem nunc audiemus.

Oppositiones Vedrosianæ.

VEdrosius igitur, cùm Categoricum, ut loqvimur, & cordatum responsum debuisset dare, qvid sentirent Reformati de Ecclesiæ sive visibilitate, sive invisibilitate, fugit in tenebras, neqve priùs suam edit sententiam, quàm pag. 21. & 22. plurimas, & prorsus non necessarias distinctiones, divisionésqve ac subdivisiones Ecclesiæ præmisisset, eam partiendo in *Universalem* & *Particularem* Ecclesiam; tum in *Absolutam*, & *secundùm quid*; absolutam rursus in *Militantem* & *Triumphantem*: posthæc in Ecclesiam, qvæ consideretur secundùm suum *materiale* qvi sint homines, qui eam constituant, & in eam, qvæ consideretur secundùm suum *formale*, sive formam, qvâ eam constituant. Necdum finis divisionum. Pergit enim, & dividit ulteriùs Ecclesiam in eam, qvæ spectatur ratione *formæ internæ*, qvæ sit Unio cum Capite, & inter se; & in eam, qvæ spectatur ratione *formæ externæ*, qvâ Pastores & Auditores in unum cœtum coëunt, & externa pietatis ac Religionis munia obeunt. Similiter & alterum vocabulum: *Visibilis*: partitur in *Visibile absolutum*, & secundum se, & *visibile respectivum &c.* IV. Vedrosius distinctionibus & subdistinctionibus se involvit, ut se evolvat.

Qvæso, mi Vedrosi, qvid hoc tanto apparatu prævio, & Dialectica hac congerie erat opus? An ita Augustini, Cyrilli, aliiqve supra adducti locuti sunt, aut scripserunt, & tam frustraneum sibi laborem sumpserunt? frustraneum, inquam. Quis enim tam est hebes, qui de particulari quærat Ecclesia, visibilis ea, an invisibilis sit, v. g. Corinthiaca, Ephesina &c. Quis de Triumphante, quæ utique visui nostro non patet? Quis de Ecclesia secundùm suum formale considerata, quod est secundùm te unio capitis & membrorum, secundùm alios autem Fides? nam quis nescit sive unionem hanc, sive Fidem Et inani labore se consumit.

 invi-

invisibiles esse, in animæ intimo abditas? Omnes qværimus de Ecclesia universali, non particulari; de militante, non Triumphante; de Ecclesia secundùm formam suam externam considerata, qvæ sola visibilis esse potest, non de interna. Item de visibili absoluto, non respectivo, ut adeò hæ omnes partitiones, támqve operosæ distinctiones planè gratis afferantur, non tam instruendo, quàm turbando & confundendo Lectori. & mirum, ni hoc ipsum qværitur.

Quid denique parturiat post multos nixus Vedrosius.

Qvid autem deniqve concludit, qvid etiam post tot nixus excludit, & enititur Vedrosius? *Vocibus ita distinctis*, inqvit pag. 22. *dicimus, Ecclesiam Catholicam reduplicativè, & quà talem* (en nondum finis ac modus distinctionum!) *sive absolutè, sive secundùm quid spectatam esse Invisibilem. Hanc credimus, non videmus &c.* Mi Vedrosi, qvàm tanto molimine nihil dicis! Qvis enim, obsecro, cùm qværit de Ecclesia, an visibilis sit, qværit de Ecclesia reduplicativè sumpta, sive qvoad formam internam, qvæ fides est, aut secundùm te unio Capitis & membrorum, qvæ itidem fit per Fidem, considerata? de hac autem formâ internâ videris intelligi velle. Clariùs loqvor. Cùm qværitur de Ecclesia, visibilis ea, an invisibilis sit, non est qvæstio de Ecclesia, prout creditur, sive prout fidei nostræ in Symbolo Apostolico est objectum: *Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam*: ut sic enim acceptam constat omnibus non insipientibus eam invisibilem esse; non, inqvam, est qvæstio de Ecclesia, prout credibilis est, sed prout investigabilis est ab eo, qvi se illi conjungere cupiat. De hac Ecclesia qværitur, an visibilis sit? Qvi jam negant eam Ecclesiam, qvæ investiganda est, visibilem esse, & invisibilem eam statuunt, an non apertè tibi, Lector, insanire videntur? qvomodo enim invisibile qvod est, investigabitur? Unde nulli unqvam orthodoxorum, Sanctorum præsertim ex antiqvitate Patrum, vel in mentem venit de Ecclesiæ universalis perspicuitate, sive visibilitate dubium aliqvod movere. Soli Sectarij, soli hi, inqvam, durâ necessitate subacti, ad hanc invisibilitatem, absconsionem, obscurationem,

Aliqvid dicit, & nihil dicit.

V. Soli Sectarij visibilē Ecclesiam impugnant

rationem, ex oculis hominum amissionem &c. ceu ad portum erroris sui unicum semper recurrerunt, ut ex veteribus quidem Pertinacibus Sectariis Donatistæ, quos supra irrisit Augustinus; & Luciferiani, quos ob id c. 1. contra eosdem, exagitavit S. Hieronymus, aliique: ex ultimæ verò hujus ætatis nostræ Sectarijs Martinus Lutherus in lib. de abrog. miss. privat. qui & signū in hoc sustulit primus, in quo libro ita loquitur: *Vbi*, ait, *quis nobis Ecclesiam monstrabit, cùm sit occulta in Spiritu, & tantùm credatur, sicut dicitur: Credo sanctam Ecclesiam.* Item Calvinus vester loco superiùs adducto, dum in mente & Electione DEI Ecclesiam collocat, & passim eorum sequaces, Lutherani & Calviniani omnes, aut certè plerique omnes: nam aliqui meritò verentur id contra expressas scripturas asserere. Nimirum *qui erraverunt à Ventre Ecclesiæ* (repeto verba Augustini, imò psaltis regii.) *necesse est, ut falsum loquantur*, aut certè ita loquantur, & implicent verba & sententias suas, ut quid dicant, nescias; cujus rei exemplum hîc habes. Aliter enim errores suos, quos non relinquere fixum habent, sive tueri, sive saltem tegere non queunt. Hæc ad Vedrosianas distinctiones, & subdistinctiones, quæ omnia ex sequenti articulo de Indefectibilitate Ecclesiæ, quæ cognata & connexa materia est, clariora evadent.

Donatistæ. Luciferiani. Lutherus cum suis. Calvinus cum suis.

Ad Vedrosianum Syllogismum, quem invenies, pag. 21. qvem ex tota Ratione prima D. Georgij collegit, quid sentiam, jam supra ex me intellectum est.

Syllogism⁹ Vedrosianus rejicitur.

Quod autem Vedrosius quò Breitingerum suum & sententiam ipsius nimis quàm duram, *de perdita ex hominum medio, incognita, abscondita*, & sic invisibili Ecclesia defendat, aut certè colôret, eo demum recurrit pag. 22. & 23. ut scribat:

Verba D. Vedrosij.

Statuimus tamen visibilem illum splendorem professionis, & felicitatis externæ, cultûsque publici, per quam Ecclesia incurrit in oculos hominum, sæpe ita deficere, ut fiat Invisibilis, id est, ut omnis æquivocatio tollatur, obscurata, occultata, ut Breitingerus & Wollebius disertè loquuntur



loquuntur, non pessundata, ut D. Georgius nostris falsò affricat, sed subducta vel oculis persecutorum (quæ mens Calvini in posteriori loco pag. 5. D. Georgij) vel oculis etiam nonnullorum fidelium, quod vult Confessio Helvetica, ibid. Ad hanc ejus colorationem ita respondet Apologista. Ut visibilem doceremus Ecclesiam nos Catholici, *splendorem* externum *professionis, & felicitatem externam, cultúmque publicum* nunquam requisivimus, uti hic Vedrosius, sed malè, requirit. aliàs enim primis trecentis annis, ad usq; Constantini M. tempora semper Invisibilis Ecclesia permansisset, quia & splendore externo caruit, uti & publico cultu, in cryptis abdita & in cavernis terræ (quæ etiamnum, Romæ præsertim exstant) atque ita & persecutorum oculis fuit subducta, & nonnullorum, imò multorum fidelium: nec alia ipsi obvenit felicitas, quàm spoliari & bonis, & membris, & vitâ. Inter has tamen omnes & ærumnas, & latebras suas, vix aliàs toto orbe terrarum fuit conspicua magis, id est, cognita magis omnibus gentibus. quæ enim gens tum ignoravit Christianorum Ecclesiã sive supra, sive subtus terram Romæ degere, & Alexandriæ, & Antiochiæ, & Nicodemiæ, & Hierosolymæ, &c. atque ex iis latebris ad quotidiana Martyria abripi? ad quam ita tunc per Martyria cognitam Ecclesiam tot millia gentilium se identidem adjungebant, non adjuncturi, si invisibilis & incognita fuisset. Et hoc nobis Catholicis est, conspicuam semper Ecclesiam, hoc est, nulli genti, ignoratam aut incognitam fuisse. Malè ergo per splendores cultûs publici, & nescio quas felicitates extrarias, gregalium tuorum sententias, mi Vedrosi, defendis. Aliud illi, gregales, inquam, tui voluerunt, aliud & dixerunt, *sublatam*, scilicet *de medio hominum, incognitam & absconsam* usq; ad Calvini vestri tempora Ecclesiam in tenebris delituisse, & à Calvino primùm in lucem denuo protractam, ut nimis quàm expressis verbis Breitingerus scripsit suprà adductus. Illa autem obscuritas, quam tu, Vedrosi, substituis, ut cruda nimis tuorum dicta mitiges, splendore externo & felicitate temporali destituta, ô mi bone, omni luce clarior fuit, & spectatissimam primam illam.

IV. Quomodo suos defendat Vedrosius, Calvinũ scilicet, Confessionem Helvet. & Breitingerum: splendidè scilicet.

Atqui Ecclesia splendore externo nunquã indiguit, ut visibilis esset.

illam Ecclesiam vel maximè reddidit, sicut & ultimam sub Antichristo spectatissimam reddet, de qua tu quoque pag. 23. sermonem, indéque Ecclesiæ invisibilitatem, sed frustra, infers ob dictas paulò antè rationes. Nihil etiam te juvat exemplum *Eliæ, solum se relictum* quiritantis, quod pag. eâdem ex Confessione Helvetica affers; quod quidem de Elia exemplum tale est (& creberrimè tamen à vobis adducitur) ut videantur omnes ij, qui hoc Eliæ exemplum ad invisibilitatem, & omnimodam Ecclesiæ defectionem probandam invehunt, ne legisse quidem scripturam, cùm contraria omnia ex ea colligantur, nimirum ita oculis, Eliæ temporibus, Ecclesiam subductam non fuisse, ut florentissimo in statu exstiterit, non quidem in Samaritano regno, in quo tunc Elias degebat, sed in regno Judæ, Hierosolymis sub Rege sanctissimo Josaphato, & parente ipsius Rege Asa. Sed errores ab invicem describitis passim, planè in hoc cæci, ut in præsenti Eliæ exemplo accidit, quod quàm malè & inscitè adducatur, scitè & fusè Card. Bellarminus ostendit, & egregiè Melanchthonem ac Calvinum hoc Eliæ exemplo nitentes confundit l. 3. de Eccles. c. 16. §. *ad Tertium* uti & D. Georgius fecit Rat. 1. pag. 6. n. 16. & seqq. quem nimis frigidè Vedrosius pag. 23. refutat. præterquam verò quòd malè & inefficaciter suos defendat Vedrosius, insuper & injuriam D. Georgio pag. 23. irrogat, dum ait, eum *falsò affricare* Breitingero, & VVollebio, quòd docuerint, *pessundatam* ante Calvini tempora *Ecclesiam* fuisse. Hoc enim verbo: *Pessundata*: D. Georgius in sua versione nunquam est usus, ut legenti patebit, sed verba Breitingeri optimâ fide ex Italico latina reddidit, quæ hunc sensum efficiebant: *periisse de medio hominum*, sive sublatam fuisse, & evanuisse (nam & sic verti poterat) ante Calvini tempora Catholicam, sive universalem Ecclesiam. hoc enim sonant verba Italica Breitingeri (è bisognata perdere dal mezzo de gl' huomini l'amata chiesa) quod ij, qui peritiores sunt linguæ Italicæ judicabunt. Injuriam ergo facit D. Vedrosius, dum imputat. Nunc manum de tabula; quia sequens articulus de

Nunquam conspectior Ecclesia fuit, quam inter latebras.

Eliæ exemplum a sectariis allatum quam impertinens.

A Bellarmino dudum difflatum.

D. Georgius defenditur.

D. Georgius injuriam patitur, non infert.

de Indefectibilitate Ecclesiæ, propter suam cum primo hoc connexionem, hæc eadem clarius ostendet.

ARTICVLVS II.

An Romana Ecclesia primis quingentis annis fuerit omnino integra in fide, & etiamnum talis persistat esse, sive de indefectibilitate ejusdem.

SVMMARIVM.

I. Romanæ Ecclesiæ per quinque prima secula, integritas & sinceritas in fide & doctrina, etiam ab adversariis concessa & laudata, est D. Georgio secunda, & potissima ratio Conversionis, propterea, quòd hodierna Ecclesia Romana à dicta sinceritate nihil penitus ullo in dogmate desciverit.

II. D. Vedrosius priorem partem de antiquæ Romæ integritate in fide & doctrina concedit; posteriorem autem, quòd non desciverit, negat & pernegat.

III. Ad probationem autem hujus hucusque semper conservatæ integritatis offert se post D. Georgium Apologista.

Num. I.

Ecclesiam Romanam defecisse quomodo probet D. Vedrosius.

Opponitur hæc 2. pars, sive secundus Articulus tertiæ sectionis meæ, Sectionis Vedrosianæ tertiæ, parti itidem secundæ, pag. 25. in qua viribus omnibus contendit Vedrosius hodiernam Romanam Ecclesiam ab illa veteri turpissimè

ſimè defeciſſe, &, ut ipſe loquitur, *ceu optimi vini peſſimum acetum exiſtere.* Hæc citiſſimè dicuntur à te, Vedroſi, ſed tardiſſimè & non ſcitiſſimè probantur. Audiamus exiſtimatas ejus probationes ſingulas, utique graviſſimas, quia in re graviſſima.

Prima ejus *probatio* pag. 25. rapitur ex Bellarmino, ex lib. ejus 4. de Pont. Rom. c. 4. in quo tamen capite Bellarminus directè, ut loquimur, ſtatim initio capitis, habet contrarium. Ita enim incipit quartum hoc ejus caput: *Secunda propoſitio eſt.* (inquit Bellarminus, quam ſcilicet ſibi probandam ſuſcepit Cardinalis.) *Non ſolùm Romanus Pontifex non poteſt errare in fide, ſed neque Romana particularis Eccleſia.* Unde non potui ſatis mirari confidentiam Vedroſij, ex hoc capite errori ſuo tam repugnante, exſculpere conantis teſtimonium contra ipſum Bellarminum. Et unde obſecro? *Potuiſſe id fieri,* ait Vedroſius, *Bellarminus fatetur, l. 4. de Pont. Rom. c. 4. ubi affirmat: Neque Scriptura, neque traditio habet, ſedem apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ, ut inde auferri non poſſit.* Ita eſt, ſunt hæc verba Bellarmini. ſed quid inde obſecro, conficis? an id, quod deberes? ſcil. Apoſtolicam antiquam fidem poſſe à Romana illa particulari Eccleſia auferri? an hoc dicit Bellarminus? Imò non aliud, niſi iſtud: *neque Scriptura,* inquit Bellarm. *neque traditio habet, ſedem Apoſtolicam Româ auferri non poſſe;* quod eſt veriſſimum. Sedem dicit auferri forſitan poſſe ab Eccleſia Romana, & in Galliam, v. g. vel Germaniam transferri: *Sedem* dicit, non Fidem Apoſtolicam. an verò idem tibi Vedroſi, Sedes eſt, quod fides? Miſerrimum profectò argumentum, imò ſomnium; quod primo quidem loco, & in prima acie Vedroſius collocat. Quid autem fames non poteſt & inopia meliorum? Diſputat, mi Lector, memorato Loco Cardinalis Bellarm. an Sedes Apoſtolica ita ſit Romæ affixa, ut inde v. g. neque in aliam Italiæ urbem, neque in aliam omnino regionem, ut in Gallias, vel Germaniam, non ad tempus aliquod, ſed in perpetuum transferri poſſet? Ita autem reſolvit hanc dubitationem in §. *at ſecundùm &c.* & ait, *non eſſe de fide, quòd à Romana Eccleſia non poſſit ſeparari Apoſtolica*

Prima ejus probatio rapitur ex Bellarmino: ſed inſcitè.

 Sedes,

Sedes, quia id neque Scriptura habeat, neque Traditio: esse tamen piam & probabilissimam sententiam, non posse separari Petri Cathedram à Roma, ac proinde Romanam Ecclesiam absolutè non posse errare, nec deficere; quod deinceps suo more egregiè probat. Ecce ut omnia sint contra Vedrosium. & tamen hæc est ejus prima probatio, & in fronte aciei collocata. Videamus an sequentes meliores sint.

II. Secunda attrahitur per capillos ex S. Paulo.

Secunda Vedrosii probatio per capillos attrahitur ex ipso S. Paulo. *Fore, haud obscurè prædixit Paulus*, ait Vedros. eâd. pag. 25. quid verò prædixit? cur non liberè enuntias? an defecturam olim à fide totam Romanam Ecclesiam? thesis hæc tua est. hoc ergo vis dicere, aut nihil dicis. ubi verò prædixit Paulus hoc *fore*? ad Romanos c. XI. ℣. 19. 20. 21. 22. ait Vedrosius. Audiamus itàque Paulum, qui memorato loco ita loquitur, ut vulgata nostra habet: *Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar: Bene! propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altùm sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo Bonitatem & severitatem DEI: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem Bonitatem: alioquin & tu excidêris.*

Explicatur S. Paulus.

hucusque Apostolus. Ut hunc locum Apostoli probè intelligamus, & intelligamus, & inde ineptitudinem hujus secundæ probationis Vedrosianæ palpemus, sciendum ante omnia est, quem hîc alloquatur Apostolus. Ajo. Alloquitur hoc loco Paulus quemlibet gentilem, sive Romanum, sive Græcum, sive alium quemcumq;, ut communis interpretum sententia habet, eúmq; monet, ne incredulos Judæos contemnat, sed eorum potiùs misereatur, sibi autem timeat, ne si altùm sapiat, fide privetur & ipse. sensus ergo est: *Dices*, ô gentilis ad Christum converse: *fracti sunt rami* (Judæi) *ut ego inserar*, & velut ruinas eorum cum aliis gentilibus impleam. *Bene!* id est, rectè hæc dicis. *propter incredulitatem fracti sunt*, id est, ejecti sunt ab Ecclesia Judæi. *Tu autem fide stas*, ô gentilis, *noli altùm sapere &c. alioquin & tu excidêris*: id est, ab Ecclesia ejicieris, & fide susceptâ ob superbiam tuam privaberis. Et ad hunc modum explicat Paulum ipse

ipse etiam Calvinus, quem in manibus modò habeo, *In gentium*, inquit, *persona profert Paulus, quidquid illæ prætendere pro se poterant &c.* ut adeo mirari satis non queam, quid in hac sententia Paulina viderit ad propositum suum Vedrosius, nisi fortè ultima illa verba: *alioquin & tu excidêris.* sed hæc non ad RomanamEcclesiam loquitur Paulus,ut vidimus, etsi ad Romanos scribens, sed ad Gentiles in genere, teste ipso Calvino, vel etiam ad quemlibet in particulari, ut alij explicant, sensu eodem. Non ergo argumentum est, quod hîc Vedrosius affert, sed fœdus scripturæ abusus; qui illi nimis quàm frequens est, & omnibus ejus similibus, ut infrà multoties patebit. Et en primum exemplum abusûs scripturæ sacræ, quem me multoties ostensurum in hoc opere suprà promisi.

Et quidem ex ipso Calvino.

Vedrosius Sacrâ Scripturâ abutitur.

III. Antequam verò ad Probationem veniat tertiam Vedrosius, cùm obstare suis conatibus sentiret aliquam D. Cypriani sententiam, quæ immunem ab omnibus fidei erroribus Romanam Ecclesiam facit, citatam à D. Georgio nostro pag. 12. conatur eam priùs amoliri de medio: quæ ita habet, si integra ponatur, quam tamen integram exscribere meritò veritus est Vedrosius. Itaque D. Cyprianus lib. 1. epist. 3. agens contra Schismaticos quosdam Clericos Africanos, qui ab Episcopis Africæ damnati Romam navigarunt, caussam ibidem suam, ut putabant, feliciùs coram Pontifice Romano, per mendaces suas relationes acturi: contra hos, inquam, ita scribit l. c. Cyprianus. *Post ista* (acta scilicet ab iis in Africa) *adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram* (Romanam Ecclesiam intelligit. NB. Vedrosi) *atque Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est* (iterum NB.) *à Schismaticis, & profanis litteras ferre; nec cogitare, eos esse Romanos, quorum Fides, Apostolo prædicante, laudata est: ad quos Perfidia habere non potest accessum.* Hoc illustrissimo Africani hujus Martyris testimonio, inter plurima alia reliquorum SS. Patrum, Catholici nos uti solemus ad indefectibilitatem in fide Romanæ Ecclesiæ probandam. de hac suis conatibus ulterioribus

 obstan-

S. Cyprianus in perniciem propriam allegatur à D. Vedrosio per modum Præoccupationis.

obstante, ut dixi, hujus Sancti Patris sententia, per modum objectionis sibi factæ, ita Vedrosius, dictâ pag. 25. *Nec diversum sentit Cyprianus*, inquit, *à D. Georgio citatus* pag. 12. ex l. 1. epist. 3. *ubi ait: ad quos* (Romanos) *perfidia habere non potest accessum. Tantundem enim est, ac si dicat, Romanos integriores esse homines, quàm qui perfidis ad se confugientibus, quod præter jus fieri ibi Cyprianus contendit, Asylum præbere velint. Nihil hic de infallibilitate perpetua doctrinæ.* Ita Vedrosius. Quid tibi verò videtur, Lector? an non perfidiam ipse Vedrosius admittere tibi videtur, dum *Perfidiam* de Romana Ecclesia negatam in hac Cypriani sententia, ita explicat, ut dicat, Cyprianum non accepisse hoc loco *Perfidiam*, prout fidei, sed prout Justitiæ opponitur? omnes incorrupti Lectores contrarium, perpensâ Cypriani sententiâ, judicabunt. præcesserat enim: *Eos esse Romanos, quorum FIDES Apostolo prædicante laudata sit.* sequitur exin: *ut adeò Perfidia habere non possit accessum*, Ecce Fidei ab Apostolo, *Fide*, inquam, non Justititiæ laudatæ, Perfidiam opponit Cyprianus. quæ itaque tua hæc audentia est, Vedrosi, ut tam manifestè sensum Sancti hujus sciens prudens depraves? Neque hoc solùm, sed & injuriam simul insignem Sancto irroges, dum scribis, Cyprianum in ea epistola *contendere, præter jus esse factum*, quòd Clerici illi ad Cathedram Romanam confugerint. Et falsum hoc est, & injurium S. Cypriano; qui eo ipso, quòd Romanam Cathedram vocat *Principalem, unde omnis Sacerdotalis unitas exoriatur*, non potuit ægrè ferre, aut contendere, præter jus id factum fuisse, uti tu fingis hîc, quod caussam suam ibidem, apud *Cathedram* scilicet *Principalem* acturi, Romam navigaverint. Supremum enim Tribunal omnibus apertum est. id quod ex ipsa hac Cypriani epistola patet, eum scilicet, quidquam præter jus hic factum esse, nec suspicatum fuisse; dum ita scribit: *Romam cum mendaciorum suorum merce navigaverunt; quasi Veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certâ probatione convinceret*: significans hoc dicto, se quoque cum reliquis Africæ Episcopis Romam missurum suos, qui de re tota

Verus sensus sententiæ S. Cypriani.

Romanæ Ecclesiæ honorificentissimus

re tota Romanum Pontificem, utpote ſupremum Judicem, ſinceriùs informarent, & *mendaciorum mercem* illam excuterent. Et tu igitur cum *merce* tua naviga aliò, quò vis, Vedroſi. Carthagine enim apud S. Cyprianum nihil agis. Hæc de S. Cypriani ſententia, quâ nulla alia magìs cauſſæ Reformatæ pluribus modis officiens adduci potuiſſet à Vedroſio, uti Lector ipſe judicabit. Ita cœci agunt.

Quæ verò ſtatim ſequuntur apud Vedroſium eâd. pag. 25. de S. Gregorio M. obſcura ſunt & intricata. Ego infrà non obſcurè, ſed clarè & diſtinctè, & fuſiùs, quàm fortè vellet adverſarius, de dicto illo S. Gregorij, quod eſt de Epiſcopo Eccleſiæ univerſali, tractabo; quò interea Lectorem remitto, ſcil. ad Sect. 4 c. 1. art. 3. §. 2. NB. Nunc ad probationem potiùs quartam progrediamur. IV.

Probatio quæ *tertia* deberet eſſe, & non eſt; quia nihil probat, depromitur à Vedroſio ex illis Concilij Rhemenſis lugubribus verbis: *O Roma lugenda! quæ noſtris majoribus, clara Patrum lumina protuliſti; noſtris temporibus monſtroſas tenebras, futuris ſeculis famoſas, effudiſti!* quæ cum citaret Vedroſius pag. 26. §. *Idem*. ita ſcribit: *Idem*, inquit, *cum gemitu teſtatur Concilium Rhemenſe, ſub Hugone Capéto, Præſide Arnulpho, Epiſcopo Aurelianenſi habitum. Arnulphus inter alia: O Roma lugenda! &c.* Sic Vedroſius. Hîc primùm quæro ex te, Vedroſi, quid intelligis per tuum iſtud *Idem*; cùm ais: *Idem teſtatur Concilium Rhemenſe?* An ſic vis intelligi, ut videris: Eandem omnimodam à fide defectionem Romanæ Eccleſiæ teſtatur Concilium Rhemenſe? ſi ita intelligi vis, ſicut utique vis; falſum obtrudis Lectori, & id, quod Rhemenſi Concilio nunquam in mente fuit. Nam in his omnibus verbis ſive Concilij, ſive Arnulphi Epiſcopi Aurelianenſis, ubi vel verbum de defectione fidei Romanæ Eccleſiæ? Per *monſtroſas tenebras*, corruptos quorundam Curiæ Romanæ illorum temporum mores, qui S. Paulo ſunt *opera tenebrarum*, accuſat, meritòque deplorat; fidem nec verbulo damnat. Aliter ſuam ipſemet fidem damnaſſet Arnulphus, V.

Tertia probatio D. Vedroſij ex Concilio Rhemenſi nec hilo melior.

Concilium Rhemenſe non fidem Curiæ Romanæ, ſed mores accuſat.

quæ cum Romanæ Ecclesiæ fide eadem erat. Non enim alterius Fidei Confessionis, nisi Romanæ Ecclesiæ, professor Arnulphus hic fuit. cujus enim alterius? Aut dic, si audes, etiam Isaiam Prophetam sui temporis Ecclesiam Solymæam, & omnem simul Judaicam, pro corrupta in fide Ecclesia habuisse, quia corruptissimos illius mores, in primo statim capite prophetiæ suæ, miserabiliùs adhuc, quàm hîc Arnulphus Episcopus luget & accusat. ait enim v. 6. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (scilicet in populo Israelitico Solymis, quæ Roma ipsorum erant.) An verò propterea defecisse omnem in Ecclesia sua fidem Isaias luxit? Idem de Arnulpho dicendum.

Sicut olim Isaias Solymæ.

VI. *Quarta* ejus *probatio* pag. 26. §. *Quando*. desumitur ex Baronio, Genebrardo, & alijs tum Historicis, tum Chronologis Catholicis, qui fateantur ipsi palam, ac querantur, monstra & propudia hominum in Papatum, sive Romanam sedem intrusa. Et quid iterum probas cum omnibus his tuis monstris? an id, quod debebas probare, scilicet fidem in Romana Ecclesia sub his malis Pontificibus periisse & extinctam esse? An hoc confitetur Baronius, & Genebrardus, & Platina, & Guicciardinus, ac similes? Hæc tibi thesis probanda est. Imò DEI Bonitatem, & in Romanam Ecclesiam singularem prorsus charitatem amplissimè laudant, admirantur, eique gratias meritissimas referunt, qui fidem penitus intemeratam, etiam sub talibus monstris conservârit. Quid itaque tuam rursus caussam juvant Baronij & Genebrardi? quid etiam, monstruosi hi Pontifices? Age quod agis, aut agendum tibi erat; proba, quod probandum. Omnes adducti, vel etiam adducendi, deplorant discessionem non à fide antiqua, sed à sanctitate antiqua. Nullum hucusque nisi plebejum, aut malitiosum ingenium ex Personis fidem æstimandam docuit, sed potiùs ex fide Personas, quod & S. Augustin9, & Tertullian9, vetustior illo, tam crebrò inculcant. Contra hîc agit Vedrosius, & ex Personis Romanorũ Pontificũ quorundam, Ecclesiam ipsam judicat, totúsq; est in probrosis his Pontificibus, plebeio more, exagitandis; dolosè dissi-

Quinta probatio penitus plebeia, a moribus ad fidem.

Sub malis Pontificibus Catholici optimi:

dissimulans, quid addat, quem citavit, Genebrardus, scilicet admirandâ DEI providentiâ & Bonitate, sub malis etiam Pontificibus his, in Ecclesiis alijs plurimis, Romanæ adhærentibus, mirificam, si unquam, sanctitatem effloruisse, & fortissimarum gentium accessione, ac conversione Romanam Ecclesiam locupletatam fuisse, Suecorum, Polonorum, Moscovitarum, Hungarorum &c. piissimósque & integerrimæ fidei eodem tempore Imperatores, ac Reges Catholicos, etiam Sanctos extitisse, ut erant Henricus Sanctus Imp. post Ottones; ipsi tres Ottones cum Patre Henrico Aucupe, omnes religiosissimi Cæsares; Stephanus Sanctus, Hungariæ & Apostolus, & Rex; clarus quoq; sanctitatis nomine Robertus Rex Galliarum &c. Inter Episcopos autem viri sanctissimi, Udalrici, Wolfgangi, Conradi &c. ita ut pietas nunquam, teste eod. Genebrardo, fuerit per Gallias, & Germanias, ac reliquum Occidentem ardentior, sicut & in Oriente sub Leone Philosopho, doctissimo, & Romanæ Ecclesiæ addictissimo Græco Imperatore: compensante scilicet DEO in aliis Ecclesiæ membris, quod Capitibus deerat. Et hoc est deficere fidem Romanæ Ecclesiæ Vedrosio nostro? Reges, Episcopi, alii.

VII. At fuêre, dices, ex Pontificibus ipsis horum temporum, qui præter reliqua vitia etiam hæresi infecti erant. Ita Vedrosius eâd. pag. 26. §. *Quando*. Unde id probas, Vedrosi? Alphonsus de Castro, inquis, scriptor Catholicus, ipsemet asserit l. 1. de Hæres. c. 2. itemque Lyranus in c. 16. Matth. quorum etiam verba citas. Respondeo. Ajunt hi duo auctores, non probant; quare illos nihil moramur. Contrarium non dixit, sed probavit doctissimus Bellarminus l. 4. de Romano Pontifice, à c. 8. usque ad c. 16. Hunc ergo Cardinalem lege, & refuta, si potis. Pontificum nullus hæresi infectus, nullus magiâ.

Quæ de Silvestro II. quem Magum fuisse contendis, attulisti, eâd. pag. 26. & Platinâ auctore confirmasti, quàm iterum plebeium est, & Theologo indignum! Platina non nisi ex fama & rumore loquitur, ut disertis verbis ipse testatur; si tamen illum legisti: Ridet contra & Platinam, & alios rumorum collectores Genebrardus, eod. quem citasti antea loco, mihi pag.

84. ad

84. ad annum 998. & Silvestrum hunc doctissimum Philosophum, & Mathematicum facit, idcirco tam rudi seculo de magia suspectum. Addit ex Blondo Historico Dec. 2. l. 3. *Nullus*, ait, *scriptorum affirmare dubitat, Silvestrum II. litteris moribúsque ornatissimum fuisse.* Ecce ita scribit Genebrardus tuus, & confirmant in suis Chronologiis Bellarm. Baron. & alij. Mirum ni & Vedrosius ob tam excellentem & reconditam doctrinam, Rhætis suis & accolis eorundem, Magus audit!

Silvester II. non magiæ, sed doctrinæ prodigium fuit.

VIII. Valdè igitur te, tuíque similes hortor, ut plebeia ejusmodi argumenta corradere contra nos deinceps omittatis. Aut si tu, tuique, omnia ea verissima creditis, próque talibus venditis, quæ de nostris Pontificibus, Episcopis & Prælatis, quicumque libri & scripta continent, an non idem nobis jus ex æquo concedetis, ut quæcumque de vestris, scripto aut famâ edita sunt, pro verissimis habeamus? Quæ autem probra, & dedecora vel de solo Calvino vestro in variis Historicis exstant? nimirum de stigmate ipsius per lilia, sed nigra; de impostura infelicissima in excitatione simulati mortui commissa, orbi nota; de sanguinolentis & barbaris ipsius contra Catholicos consiliis; de blasphemiis horrendis, in quibus exspirarit miser; de morte ejus Herodiana &c. Quæ itidem de Luthero? scilicet de imprægnatione matris ejus per dæmonem Incubum; de ejusdem perfamiliari cum dæmone commercio; de diabolo humero ejus insidere viso, quod idem de Berengario hæretico legitur; de morte ipsius miserabili; de ejus exequiis ab accito omni Orco celebratis. &c Hæc, inquam, omnia, & his plura probris plenissima, quæ hæc charta non capit, de utroque isto Calvinianorum ac Lutheranorum Coryphæo feruntur passim, scribuntur, leguntur, decantantur. An verò omnia hæc credi vultis à nobis, & pro veris reputari? Ut autem omnia hæc essent verissima (quod hic non disputo) sapientes tamen Catholici ista vobis, primo quasi loco, objicienda non ducerent, cùm non nesciant, non ex Personis Fidem, sed ex Fide Personas æstimandas. Quam gnomen cùm ex Tertulliano

Si famæ credendũ, quid erit Calvinus?

Quid Lutherus?

tulliano Vedrosius ipse exscripserit in Prolegomenis sui Manualis, pag. XI. (*ex Personis probamus Fidem, an ex Fide Personas?* ait Tertullianus.) mirum valde est, moniti sui Tertullianéi tam deinceps immemorem Vedrosium fuisse. Mittite ergo plebeia ista, & Theologis indigna, quæ prudentes nullos movent; auctoritatem vobis adimunt ; Religionem vestram contemptam, & meritò suspectissimam reddunt, utpote quæ melioribus rationibus sustentari non queat. Aut illud Evangelicum à nobis vicissim exspectate, ô Evangelici ; *Quâ mensura mensi fueritis &c.* atque hæc argumenta Vedrosij sunt, quæ recapitulando liceat mihi per te, Lector, recolere.

Cautior & gravior scriptio suadetur Protestantibus, ne audiant vicissim, quæ nollent.

1. est, Bellarminus malè allegatus, & in partes falsò tractus.
2. Interpretatio itidem falsa textûs Paulini, cum depravatione sententiæ S. Cypriani.
3. Concilij Rhemensis in sinistrum sensum detorsio.
4. Injuria nobilissimis Historicis, Baronio, Genebrardo &c. impacta & plebeio more Personæ summorum Pontificum, ex fama solùm, dubióque rumore traductæ, indéq; à Personis ad Fidem argumentatio constructa.

Hæc, inquam, nec alia Argumenta Vedrosij sunt, ad probandam rem multò gravissimam ; quæ est Defectio à Fide antiqua, & orthodoxa tantarum Ecclesiarum, Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Regnorum ac Populorum, uti & Academiarum celeberrimarum &c. argumenta, dico, in gravissima re multò levissima, & omnino nulla, uti Lector non præoccupatus ipse judicabit. Malè se dant initia & præludia, mi Vedrosi, oppidò malè. Sed ita necessariò agis. Nunc ad principalem & Sectionem, & Quæstionem faciamus gradum, si priùs caussam tam heteroclitarum apud Reformatos, quin & Lutheranos sententiarum indicaverimus. Hi enim utrique in eadem, quoad hoc, navigant navi. Ut ut itaque fœda sit hæc Reformatorum doctrina, quæ est de Invisibili, insuper & Defectibili Ecclesia, fœdior tamen est caussa hujus doctrinæ, quam Lector non debet ignorare, ut desinat mirari, cur & scripturæ sacræ

de Indefectibilitate Ecclesiæ, propter suam cum primo hoc connexionem, hæc eadem clarius ostendet.

ARTICVLVS II.

An Romana Ecclesia primis quingentis annis fuerit omnino integra in fide, & etiamnum talis persistat esse, sive de indefectibilitate ejusdem.

SVMMARIVM.

I. Romanæ Ecclesiæ per quinque prima secula, integritas & sinceritas in fide & doctrina, etiam ab adversariis concessa & laudata, est D. Georgio secunda, & potissima ratio Conversionis, propterea, quòd hodierna Ecclesia Romana à dicta sinceritate nihil penitus ullo in dogmate desciverit.

II. D. Vedrosius priorem partem de antiquæ Romæ integritate in fide & doctrina concedit; posteriorem autem, quòd non desciverit, negat & pernegat.

III. Ad probationem autem hujus hucusque semper conservatæ integritatis offert se post D. Georgium Apologista.

Num. I.

Ecclesiam Romanam defecisse quomodo probet D. Vedrosius.

Opponitur hæc 2. pars, sive secundus Articulus tertiæ Sectionis meæ, Sectionis Vedrosianæ tertiæ, parti itidem secundæ, pag. 25. in qua viribus omnibus contendit Vedrosius hodiernam Romanam Ecclesiam ab illa veteri turpis-

tumè

ſimè defeciſſe, &, ut ipſe loquitur, *ceu optimi vini peſſimum acetum exiſtere.* Hæc citiſſimè dicuntur à te, Vedroſi, ſed tardiſſimè & non ſcitiſſimè probantur. Audiamus exiſtimatas ejus probationes ſingulas, utique graviſſimas, quia in re graviſſima.

Prima ejus *probatio* pag. 25. rapitur ex Bellarmino, ex lib. ejus 4. de Pont. Rom. c. 4. in quo tamen capite Bellarminus directè, ut loquimur, ſtatim initio capitis, habet contrarium. Ita enim incipit quartum hoc ejus caput: *Secunda propoſitio eſt.* (inquit Bellarminus, quam ſcilicet ſibi probandam ſuſcepit Cardinalis.) *Non ſolùm Romanus Pontifex non poteſt errare in fide, ſed neque Romana particularis Eccleſia.* Unde non potui ſatis mirari confidentiam Vedroſij, ex hoc capite errori ſuo tam repugnante, exſculpere conantis teſtimonium contra ipſum Bellarminum. Et unde obſecro? *Potuiſſe id fieri*, ait Vedroſius, *Bellarminus fatetur, l. 4. de Pont. Rom. c. 4. ubi affirmat: Neque Scriptura, neque traditio habet, ſedem apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ, ut inde auferri non poſſit.* Ita eſt, ſunt hæc verba Bellarmini. ſed quid inde obſecro, conficis? an id, quod deberes? ſcil. Apoſtolicam antiquam fidem poſſe à Romana illa particulari Eccleſia auferri? an hoc dicit Bellarminus? Imò non aliud, niſi iſtud: *neque Scriptura*, inquit Bellarm. *neque traditio habet, ſedem Apoſtolicam Româ auferri non poſſe*; quod eſt veriſſimum. Sedem dicit auferri forſitan poſſe ab Eccleſia Romana, & in Galliam, v. g. vel Germaniam transferri: *Sedem* dicit, non Fidem Apoſtolicam. an verò idem tibi Vedroſi, Sedes eſt, quod fides? Miſerrimum profectò argumentum, imò ſomnium; quod primo quidem loco, & in prima acie Vedroſius collocat. Quid autem fames non poteſt & inopia meliorum? Diſputat, mi Lector, memorato Loco Cardinalis Bellarm. an Sedes Apoſtolica ita ſit Romæ affixa, ut inde v. g. neque in aliam Italiæ urbem, neque in aliam omnino regionem, ut in Gallias, vel Germaniam, non ad tempus aliquod, ſed in perpetuum transferri poſſet? Ita autem reſolvit hanc dubitationem in §. *at ſecundùm &c.* & ait, *non eſſe de fide, quòd à Romana Eccleſia non poſſit ſeparari Apoſtolica*

Prima ejus probatio rapitur ex Bellarmino: ſed inſcitè.

Sedes, quia id neque Scriptura habeat, neque Traditio: esse tamen piam & probabilissimam sententiam, non posse separari Petri Cathedram à Roma, ac proinde Romanam Ecclesiam absolutè non posse errare, nec deficere; quod deinceps suo more egregiè probat. Ecce ut omnia sint contra Vedrosium. & tamen hæc est ejus prima probatio, & in fronte aciei collocata. Videamus an sequentes meliores sint.

II. Secunda attrahitur per capillos ex S. Paulo.

Secunda Vedrosii probatio per capillos attrahitur ex ipso S. Paulo. *Fore, haud obscurè prædixit Paulus*, ait Vedrosf. eâd. pag. 25. quid verò prædixit? cur non liberè enuntias? an defecturam olim à fide totam Romanam Ecclesiam? thesis hæc tua est. hoc ergo vis dicere, aut nihil dicis. ubi verò prædixit Paulus hoc *fore*? ad Romanos c. XI. ℣. 19. 20. 21. 22. ait Vedrosius. Audiamus itaque Paulum, qui memorato loco ita loquitur, ut vulgata nostra habet: *Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar: Bene! propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altùm sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo Bonitatem & severitatem DEI: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem Bonitatem: alioquin & tu excidêris.* hucusque Apostolus. Ut hunc locum Apostoli probè intelligamus, & intelligamus, & inde ineptitudinem hujus secundæ probationis Vedrosianæ palpemus, sciendum ante omnia est, quem hîc alloquatur Apostolus. Ajo. Alloquitur hoc loco Paulus quemlibet gentilem, sive Romanum, sive Græcum, sive alium quemcumq;, ut communis interpretum sententia habet, eúmq; monet, ne incredulos Judæos contemnat, sed eorum potiùs misereatur, sibi autem timeat, ne si altùm sapiat, fide privetur & ipse. sensus ergo est: *Dices*, ô gentilis ad Christum converse: *fracti sunt rami* (Judæi) *ut ego inserar*, & velut ruinas eorum cum alijs gentilibus impleam. *Bene!* id est, rectè hæc dicis. *propter incredulitatem fracti sunt*, id est, ejecti sunt ab Ecclesia Judæi. *Tu autem fide stas*, ô gentilis, *noli altùm sapere &c. alioquin & tu excidêris*: id est, ab Ecclesia ejicieris, & fide susceptâ ob superbiam tuam privaberis. Et ad hunc modum explicat Paulum

Explicatur S. Paulus.

ipse

ipse etiam Calvinus, quem in manibus modò habeo, *In gentium*, inquit, *persona profert Paulus, quidquid illæ prætendere pro se poterant &c.* ut adeo mirari satis non queam, quid in hac sententia Paulina viderit ad propositum suum Vedrosius, nisi fortè ultima illa verba: *alioquin & tu excidêris.* sed hæc non ad RomanamEcclesiam loquitur Paulus, ut vidimus, etsi ad Romanos scribens, sed ad Gentiles in genere, teste ipso Calvino, vel etiam ad quemlibet in particulari, ut alij explicant, sensu eodem. Non ergo argumentum est, quod hîc Vedrosius affert, sed fœdus scripturæ abusus; qui illi nimis quàm frequens est, & omnibus ejus similibus, ut infrà multoties patebit. Et en primum exemplum abusûs scripturæ sacræ, quem me multoties ostensurum in hoc opere suprà promisi.

Et quidem ex ipso Calvino.

Vedrosius Sacrâ Scripturâ abutitur.

III.

Antequam verò ad Probationem veniat tertiam Vedrosius, cùm obstare suis conatibus sentiret aliquam D. Cypriani sententiam, quæ immunem ab omnibus fidei erroribus Romanam Ecclesiam facit, citatam à D. Georgio nostro pag. 12. conatur eam priùs amoliri de medio: quæ ita habet, si integra ponatur, quam tamen integram exscribere meritò veritus est Vedrosius. Itaque D. Cyprianus lib. 1. epist. 3. agens contra Schismaticos quosdam Clericos Africanos, qui ab Episcopis Africæ damnati Romam navigarunt, caussam ibidem suam, ut putabant, feliciùs coram Pontifice Romano, per mendaces suas relationes acturi: contra hos, inquam, ita scribit l. c. Cyprianus. *Post ista* (acta scilicet ab iis in Africa) *adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram* (Romanam Ecclesiam intelligit. NB. Vedrosi) *atque Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est* (iterum NB.) *à Schismaticis, & profanis litteras ferre; nec cogitare, eos esse Romanos, quorum Fides, Apostolo prædicante, laudata est: ad quos Perfidia habere non potest accessum.* Hoc illustrissimo Africani hujus Martyris testimonio, inter plurima alia reliquorum SS. Patrum, Catholici nos uti solemus ad indefectibilitatem in fide Romanæ Ecclesiæ probandam. de hac suis conatibus ulterioribus

 obstan-

obstante, ut dixi, hujus Sancti Patris sententia, per modum objectionis sibi factæ, ita Vedrosius, dictâ pag. 25. *Nec diversum sentit Cyprianus*, inquit, *à D. Georgio citatus* pag. 12. ex l. 1. epist. 3. *ubi ait: ad quos* (Romanos) *perfidia habere non potest accessum. Tantundem enim est, ac si dicat, Romanos integriores esse homines, quàm qui perfidis ad se confugientibus, quod præter jus fieri ibi Cyprianus contendit, Asylum præbere velint. Nihil hic de infallibilitate perpetua doctrinæ.* Ita Vedrosius. Quid tibi verò videtur, Lector? an non perfidiam ipse Vedrosius admittere sibi videtur, dum *Perfidiam* de Romana Ecclesia negatam in hac Cypriani sententia, ita explicat, ut dicat, Cyprianum non accepisse hoc loco *Perfidiam*, prout fidei, sed prout Justitiæ opponitur? omnes incorrupti Lectores contrarium, perpensâ Cypriani sententiâ, judicabunt. præcesserat enim: *Eos esse Romanos, quorum FIDES Apostolo prædicante laudata sit.* sequitur exin: *ut adeò Perfidia habere non possit accessum*, Ecce *Fidei* ab Apostolo, *Fide*, inquam, non Justititiæ laudatæ, Perfidiam opponit Cyprianus. quæ itaque tua hæc audentia est, Vedrosi, ut tam manifestè sensum Sancti hujus sciens prudens depraves? Neque hoc solùm, sed & injuriam simul insignem Sancto irroges, dum scribis, Cyprianum in ea epistola *contendere, præter jus esse factum*, quòd Clerici illi ad Cathedram Romanam confugerint. Et falsum hoc est, & injurium S. Cypriano; qui eo ipso, quòd Romanam Cathedram vocat *Principalem, unde omnis Sacerdotalis unitas exoriatur*, non potuit ægrè ferre, aut contendere, præter jus id factum fuisse, uti tu fingis hîc, quòd caussam suam ibidem, apud *Cathedram* scilicet *Principalem* acturi, Romam navigaverint. Supremum enim Tribunal omnibus apertum est. id quod ex ipsa hac Cypriani epistola patet, cum scilicet, quidquam præter jus hic factum esse, nec suspicatum fuisse; dum ita scribit: *Romam cum mendaciorum suorum merce navigaverunt; quasi Veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certâ probatione convinceret*: significans hoc dicto, se quoque cum reliquis Africæ Episcopis Romam missurum suos, qui de

re tota

S. Cyprianus in perniciem propriam allegatur à D. Vedrosio per modum Præoccupationis.

Verus sensus sententiæ S. Cypriani.

Romanæ Ecclesiæ honorificentissimus

re tota Romanum Pontificem, utpote supremum Judicem, sincerius informarent, & *mendaciorum mercem* illam excuterent. Et tu igitur cum *merce* tua naviga aliò, quò vis, Vedrosi. Carthagine enim apud S. Cyprianum nihil agis. Hæc de S. Cypriani sententia, quâ nulla alia magis caussæ Reformatæ pluribus modis officiens adduci potuisset à Vedrosio, uti Lector ipse judicabit. Ita cœci agunt.

Quæ verò statim sequuntur apud Vedrosium eâd. pag. 25. de S. Gregorio M. obscura sunt & intricata. Ego infrà non obscurè, sed clarè & distinctè, & fusiùs, quàm fortè vellet adversarius, de dicto illo S. Gregorij, quod est de Episcopo Ecclesiæ universali, tractabo; quò interea Lectorem remitto, scil. ad Sect. 4 c. 1. art. 3. §. 2. NB. Nunc ad probationem potiùs quartam progrediamur. IV.

Probatio quæ *tertia* deberet esse, & non est, quia nihil probat, depromitur à Vedrosio ex illis Concilij Rhemensis lugubribus verbis: *O Roma lugenda! quæ nostris majoribus, clara Patrum lumina protulisti; nostris temporibus monstrosas tenebras, futuris seculis famosas, effudisti!* quæ cum citaret Vedrosius pag. 26. §. *Idem.* ita scribit: *Idem*, inquit, *cum gemitu testatur Concilium Rhemense, sub Hugone Capéto, Præside Arnulpho, Episcopo Aurelianensi habitum. Arnulphus inter alia: O Roma lugenda! &c.* Sic Vedrosius. Hîc primùm quæro ex te, Vedrosi, quid intelligis per tuum istud *Idem*; cùm ais: *Idem testatur Concilium Rhemense?* An sic vis intelligi, ut videris: Eandem omnimodam à fide defectionem Romanæ Ecclesiæ testatur Concilium Rhemense? si ita intelligi vis, sicut utique vis; falsum obtrudis Lectori, & id, quod Rhemensi Concilio nunquam in mente fuit. Nam in his omnibus verbis sive Concilij, sive Arnulphi Episcopi Aurelianensis, ubi vel verbum de defectione fidei Romanæ Ecclesiæ? Per *monstrosas tenebras*, corruptos quorundam Curiæ Romanæ illorum temporum mores, qui S. Paulo sunt *opera tenebrarum*, accusat, meritòque deplorat; fidem nec verbulo damnat. Aliter suam ipsemet fidem damnasset Arnulphus,

V.

Tertia probatio D. Vedrosij ex Concilio Rhemensi nec hilo melior.

Concilium Rhemense non fidem Curiæ Romanæ, sed mores accusat.

quæ cum Romanæ Ecclesiæ fide eadem erat. Non enim alterius Fidei Confessionis, nisi Romanæ Ecclesiæ, professor Arnulphus hic fuit. cujus enim alterius? Aut dic, si audes, etiam Isaiam Prophetam sui temporis Ecclesiam Solymæam, & omnem simul Judaicam, pro corrupta in fide Ecclesia habuisse, quia corruptissimos illius mores, in primo statim capite prophetiæ suæ, miserabiliùs adhuc, quàm hîc Arnulphus Episcopus luget & accusat. ait enim v. 6. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (scilicet in populo Israelitico Solymis, quæ Roma ipsorum erant.) An verò propterea defecisse omnem in Ecclesia sua fidem Isaias luxit? Idem de Arnulpho dicendum.

Sicut olim Isaias Solymæ.

VI. *Quarta* ejus *probatio* pag. 26. §. *Quando.* desumitur ex Baronio, Genebrardo, & alijs tum Historicis, tum Chronologis Catholicis, qui fateantur ipsi palam, ac querantur, monstra & propudia hominum in Papatum, sive Romanam sedem intrusa. Et quid iterum probas cum omnibus his tuis monstris? an id, quod debebas probare, scilicet fidem in Romana Ecclesia sub his malis Pontificibus periisse & extinctam esse? An hoc confitetur Baronius, & Genebrardus, & Platina, & Guicciardinus, ac similes? Hæc tibi thesis probanda est. Imò DEI Bonitatem, & in Romanam Ecclesiam singularem prorsus charitatem amplissimè laudant, admirantur, eique gratias meritissimas referunt, qui fidem penitus intemeratam, etiam sub talibus monstris conservârit. Quid itaque tuam rursus caussam juvant Baronij & Genebrardi? quid etiam, monstruosi hi Pontifices? Age quod agis, aut agendum tibi erat; proba, quod probandum. Omnes adducti, vel etiam adducendi, deplorant discessionem non à fide antiqua, sed à sanctitate antiqua. Nullum hucusque nisi plebejum, aut malitiosum ingenium ex Personis fidem æstimandam docuit, sed potiùs ex fide Personas, quod & S. Augustin⁹, & Tertullian⁹, vetustior illo, tam crebrò inculcant. Contra hîc agit Vedrosius, & ex Personis Romanorũ Pontificũ quorundam, Ecclesiam ipsam judicat, totúsq; est in probrosis his Pontificibus, plebeio more, exagitandis; dolosè dissi-

Quinta probatio penitus plebeia, a moribus ad fidem.

Sub malis Pontificibus Catholici optimi:

dissimulans, quid addat, quem citavit, Genebrardus, scilicet admirandâ DEI providentiâ & Bonitate, sub malis etiam Pontificibus his, in Ecclesiis alijs plurimis, Romanæ adhærentibus, mirificam, si unquam, sanctitatem effloruisse, & fortissimarum gentium accessione, ac conversione Romanam Ecclesiam locupletatam fuisse, Suecorum, Polonorum, Moscovitarum, Hungarorum &c. piissimósque & integerrimæ fidei eodem tempore Imperatores, ac Reges Catholicos, etiam Sanctos extitisse, ut erant Henricus Sanctus Imp. post Ottones; ipsi tres Ottones cum Patre Henrico Aucupe, omnes religiosissimi Cæsares; Stephanus Sanctus, Hungariæ & Apostolus, & Rex; clarus quoq; sanctitatis nomine Robertus Rex Galliarum &c. Inter Episcopos autem viri sanctissimi, Udalrici, Wolfgangi, Conradi &c. ita ut pietas nunquam, teste eod. Genebrardo, fuerit per Gallias, & Germanias, ac reliquum Occidentem ardentior, sicut & in Oriente sub Leone Philosopho, doctissimo, & Romanæ Ecclesiæ addictissimo Græco Imperatore: compensante scilicet DEO in aliis Ecclesiæ membris, quod Capitibus deerat. Et hoc est deficere fidem Romanæ Ecclesiæ Vedrosio nostro? Reges, Episcopi, alii.

VII. At fuêre, dices, ex Pontificibus ipsis horum temporum, qui præter reliqua vitia etiam hæresi infecti erant. Ita Vedrosius eâd. pag. 26. §. *Quando*. Unde id probas, Vedrosi? Alphonsus de Castro, inquis, scriptor Catholicus, ipsemet asserit l. 1. de Hæres. c. 2. itemque Lyranus in c. 16. Matth. quorum etiam verba citas. Respondeo. Ajunt hi duo auctores, non probant; quare illos nihil moramur. Contrarium non dixit, sed probavit doctissimus Bellarminus l. 4. de Romano Pontifice, à c. 8. usque ad c. 16. Hunc ergo Cardinalem lege, & refuta, si potis. Pontificum nullus hæresi infectus, nullus magiâ.

Quæ de Silvestro II. quem Magum fuisse contendis, attulisti, eâd. pag. 26. & Platinâ auctore confirmasti, quàm iterum plebeium est, & Theologo indignum! Platina non nisi ex fama & rumore loquitur, ut disertis verbis ipse testatur; si tamen illum legisti: Ridet contra & Platinam, & alios rumorum collectores Genebrardus, eod. quem citasti antea loco, mihi pag. 84. ad

tulliano Vedrosius ipse exscripserit in Prolegomenis sui Manualis, pag. XI. (*ex Personis probamus Fidem, an ex Fide Personas?* ait Tertullianus.) mirum valde est, moniti sui Tertullianei tam deinceps immemorem Vedrosium fuisse. Mittite ergo plebeia ista, & Theologis indigna, quæ prudentes nullos movent; auctoritatem vobis adimunt; Religionem vestram contemptam, & meritò suspectissimam reddunt, utpote quæ melioribus rationibus sustentari non queat. Aut illud Evangelicum à nobis vicissim exspectate, ô Evangelici; *Qua mensura mensi fueritis &c.* atque hæc argumenta Vedrosij sunt, quæ recapitulando liceat mihi per te, Lector, recolere.

Cautior & gravior scriptio suadetur Protestantibus, ne audiant vicissim, quæ nolent.

1. est, Bellarminus malè allegatus, & in partes falsò tractus.
2. Interpretatio itidem falsa textûs Paulini, cum depravatione sententiæ S. Cypriani.
3. Concilij Rhemensis in sinistrum sensum detorsio.
4. Injuria nobilissimis Historicis, Baronio, Genebrardo &c. impacta & plebeio more Personæ summorum Pontificum, ex fama solùm, dubióque rumore traductæ, indéq; à Personis ad Fidem argumentatio constructa.

Hæc, inquam, nec alia Argumenta Vedrosij sunt, ad probandam rem multò gravissimam; quæ est Defectio à Fide antiqua, & orthodoxa tantarum Ecclesiarum, Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Regnorum ac Populorum, uti & Academiarum celeberrimarum &c. argumenta, dico, in gravissima re multò levissima, & omnino nulla, uti Lector non præoccupatus ipse judicabit. Malè se dant initia & præludia, mi Vedrosi, oppidò malè. Sed ita necessariò agis. Nunc ad principalem & Sectionem, & Quæstionem faciamus gradum, si priùs caussam tam heteroclitarum apud Reformatos, quin & Lutheranos sententiarum indicaverimus. Hi enim utrique in eadem, quoad hoc, navigant navi. Ut ut itaque fœda sit hæc Reformatorum doctrina, quæ est de Invisibili, insuper & Defectibili Ecclesia, fœdior tamen est caussa hujus doctrinæ, quam Lector non debet ignorare, ut desinat mirari, cur & scripturæ sacræ

& rationi tam dissona doceant. Coguntur. quæ itaque caussa cogens? Ni faciant hoc, mi Lector, nullus nec in speciem modus eis relinquitur, quo suam à Catholica Romana Ecclesia miserabilem discessionem colorent. Si enim quæratur ex ipsis: cur deseruistis illam, quæ toto tunc orbe diffusa, & sic propriissimè Catholica Ecclesia erat? viguit enim ijs temporibus *in Occidente* per Gallias & Hispanias; viguit *ad Meridiem* per Italiam, & recèns inventas Insulas ac Regna, quæ Atlantico Mari vel insunt, vel ad Meridiem adjacent, quale est regnum Guineæ, regnum Congi, Insulæ Canariæ, aliæque. viguit *ad Septentrionem* in Germania, & adsita ei Hungaria, Dania, Suecia, Nordvvegia, Anglia, Scotia & Hibernia. Omnia enim hæc Regna Fidei tunc unius, & Catholicæ quidem ac Romanæ erant, uti nemo diffitebitur. Viguit in *Oriente*, in Malabaria, Goano regno, Insulis Mauricis & Maldivis, quæ innumerabiles propemodum sunt, apud Indos scilicet Orientales. Nec viguit tantùm apud hos ultimos, remotissimos præsertim Japones, sed & per Martyria non pauca ad instar primitivæ Ecclesiæ effloruit. Viguit denique in *Novo* quoque *Orbe*, à nostro hoc penitus abjuncto, apud Indos, uti vocantur, occidentales, in Americæ nimirum Peruanis, Brasilis, & Mexicanis amplissimis regnis. Si quæratur, inquam, ex Reformatis; Cur istam toto orbe terrarum tunc diffusam Ecclesiam reliquistis? Dicite, si audetis, & rationem hujus facti & ausi vestri, utique suspectissimi, orbi Christiano reddite. Erravit in Fide, inquietis, defecit, meretrix effecta est, & Christo viro suo infidelis. Defecimus ergo à deficiente: deseruimus desertricem. Si quæratur ulteriùs: Si à tota igitur temporis illius Ecclesia, ob dictam caussam, meritò vos defecisse gloriamini, ad quam aliam, meliorem utique, vos contulistis? Hic non superest vobis, quod respondeatis, nisi hoc unum: Remansit aliqua nihilominus Ecclesia, sed occulta, & hominum oculis invisibilis, soli DEO cognita. Ad hanc contulimus nos; huic nos junximus. Sed si occulta fuit (ulteriùs instabitur) quomodo, aut ubi eam invenire

nire potuistis? si soli DEO cognita fuit, quomodo vos in ejus cognitionem pervenistis? an dij vos estis? Imò non invenistis, ô boni, sed novam penitus, Numiníque ipsi summo incognitam, quia invisam & contrariam fabricati estis.

Ecce fœdæ & erroneæ doctrinæ hujus duplicis caussam, fœdiorem! ecce angustias, in quas sese Pertinacia conjicit, perire malens, quàm errorem suum fateri! Ecce temeritatem, quâ fit, ut Christum ipsum, primam ac summam VERITATEM potiùs falsitatis arguant, quàm erroris se argui sinant!

Christi enim Verbum & divinum promissum est: *Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam* (Ecclesiam scilicet) Ipsorum contra verbum est: *Et prævalebunt, & ah! nimis quàm prævaluerunt adversus illam*, quam propterea deseruimus.

Hoc Calvini verbum, & Lutheri, sequuntur Sectatores utriusque, Christi despuunt; certè nihil pensi habent. Misereatur illorum DEUS, ut ne diutius, uti Paulus loquitur cum Isaia Propheta, Act. ult. contra claram veritatis lucem, *oculos comprimant*.

SECTIO IV.

DE HARMONIA, SIVE CONSONANTIA DOCTRINÆ, QVAM TRADIT ROMANA ECCLESIA, CUM DOCTRINA VETERIS ECCLESIÆ ROMANÆ, IN ARTICULIS FIDEI OMNIBUS.

SVMMARIVM.

I. Hæc Consonantia doctrinæ est D. Georgio Tertia Ratio Conversionis, quam & latè & solidè probat.

II. Id latè impugnat D. Vedrosius, & probare conatur hodiernam Romanam Ecclesiam à prima illa 500. primorum annorum Ecclesia Romana penitus degenerâsse & descivisse.

III. Impugnantem impugnat Apologista.

Opponitur Quarta hæc Sectio mea, quartæ item Vedrosianæ à pag. 28. usque ad pag. 115. operosæ illi, sed sine operæ pretio. Meritò autem omnem movet lapidem hoc loco D. Vedrosius, ut probet, hodiernam Ecclesiam Romanam penitus defecisse in fide. Nisi enim hoc probet, perijt. Utinam verò de se illud Themistoclis aliquando post agnitos errores suos dicere queat: *Perieram, amici, nisi periissem.* Pereat error Vedrosij. Vedrosius vivat! Veniamus in rem.

Ecclesia Romana hucusque quoad res fidei penitus immutata.

Ergo Georgio nostro, & omnibus Catholicis contra Reformatos probandum est, eandem esse quoad dogmata fidei hodiernæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, cum fide & doctrina primæ & veteris Ecclesiæ Romanæ, adeóque caussæ nihil esse, Reformatis, cur ab ea desciverint; & desciscentibus caussæ sat esse, ut ad eam postliminio, cognito hoc, revertantur; quod cum laude nunquam intermoritura D. Georgius agit. Sed quia longissima est hæc Sectio, dividamus eam in Capita primùm, tum in articulos, denique si necesse sit, etiam in paragraphos, claritatis majoris gratiâ, quâ sine scripta omnia fastidiis plena.

Sectionis IV. Cap. I.

De Episcopatu, & Primatu Romano.

Complectetur hoc Caput ea omnia & sola, quæ disceptantur inter D. Georgium, & D. Vedrosium de Episcopatu & Primatu Romano, sive de Præeminentia hujus Sedis supra omnes reliquas. Nam inter Documenta sua, quibus probat Confessor noster, eadem credi, &, ut sic loquar, dogmatizari in hodierna Ecclesia Romana, quæ in prima illa 500. annorum credita, & pro dogmatibus fidei habita sunt, ponit primo loco ea, quæ credita sunt primis illis seculis de Episcopatu & Primatu, sive Principatu Romanæ Ecclesiæ, tanquam Matris & Magistræ omnium aliarum Ecclesiarum. Hæc itaque primo loco per aliquot articulos nobis expendenda sumamus.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Consonantia in Episcopatu Romano S. Petri asserendo.

PRima itaque quæstio est de Episcopatu Romano S. Petri Apostoli, sive an S. Petrus Romanæ urbis & Sedis primus fuerit Episcopus? Eò enim insaniæ ex adversariis non pauci, odio Sedis Romanæ, à qua condemnatos se dolebant, devenerunt, ut negarent S. Petrum primum fuisse Episcopum Romæ; hac ratione totam Romanorum Pontificum Apostolicam successionem infirmare conati. Quin imò sunt qui neque fuisse eum aliquando Romæ asserere audeant, insaniâ manifestâ. Contra hos D. Georgius Rationis suæ tertiæ, Documento 1. pag. 21. pugnat argumento unico, ex S. Augustino petito; qui utpote vir doctissimus, & omnium ecclesiasticarum antiquitatum explorator studiosissimus indubitanter asserit, S. Petrum inter Episcopos Romanæ Ecclesiæ fuisse primum. Ita enim scribit epistolâ illâ doctis notissimâ 165. ad Generosum, dum Romanorum Pontificum seriem nunquam interruptam enumerat: *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c.* cur autem hoc loco S. Cletum, qui S. Lino successit, prætermierit Sanctus Doctor, alia quæstio est, quæ ad Chronologos & Historicos pertinet. Ad propositum nobis hic sufficit, inter Episcopos Romanos à magno Augustino S. Petrum primo loco poni. hæc enim modò est thesis nostra. Citat & alterum locum S. Augustini ex c. 4. tractatus illius, quem scripsit contra epistolam Fundamenti Manichæi, & extat Tomo VI. operum ejus. ubi inter illa vincula sancta, quæ teneant se Augustinum in gremio Ecclesiæ Catholicæ, commemorat etiam continuam *successionem Sacerdotum* (summos per antonomasiam hic intelligit, uti cuilibet expendenti clarum est, hoc est, Romanos Episcopos) *ab ipsa Sede Petri Apostoli, usque ad præsentem Episcopatum*, id est, usque ad præsentem illius temporis Pontificem

Num. I.

S. Petrus Romanæ Sedis primus Episcopus.

Qui id negant, manifestè insaniunt.

Probatur de S. Petro.

ex S. Augustino.

Romanum, qui vel S. Anastasius, vel S. Innocentius I. fuit. Neque addit argumentum aliud noster D. Georgius, utpote in re omnibus non perversis notissima, penitúsque indubitata. Nam ante Lutherum & Calvinum nulli omninò hominum in mentem venit hac de re dubitare, eámve controversam facere, fuerit, nec ne S. Petrus aliquando Romæ? fuerítne primus Episcopus Romæ, nec ne? mortuúsne fuerit Romæ, nec ne? Sed hæ omnes dubitationes nova novellorum hominum deliria sunt.

II. Testatius est S. Petrū Romæ Episcopum, quàm Ciceronem Consulem fuisse.

Tam enim certum à primis temporibus Ecclesiæ est, fuisse Romæ Petrum, & quidem Episcopum ibidem egisse, quàm modò omnibus certum est, M. Tullium Ciceronem & Romæ fuisse, & ibidem Consulem egisse; quod si quis negare vellet, continuò ab omnibus Medicus, qui mediam venam pertunderet, meritò vocaretur. Et verò egomet offero me adversarijs nostris hoc negare audentibus, ad plura multo testimonia pro S. Petri commoratione Romæ, & Episcopatu ibidem gesto, ex antiquitate afferenda, quàm adversarij pro Ciceronis commoratione Romæ, & Consulatu ejusdem, proferre queant. Unicum verò solùm exempli gratia affero. Omnes, quotquot nobis seriem & successionem Romanorum Pontificum scripto reliquerunt, antiquissimi autores, nullo eorum excepto, primo loco S. Petrum ponunt. Sunt autem isti. Tertullian. in lib. de Præscript. c. 32. S. Irenæus l. 3. c. 3. adversus hæres. S. Epiphanius hæresi 27. S. Augustinus epist. 165. Optatus Milevitanus l. 2. contra Parmenianum. Eusebius Cæsariens. in Chronico & Historia. Centum alia testimonia, ex antiquitate solùm, adducit D. Jodocus Coccius sui Thesauri l. 7. a. 5. An non huic vetustissimorum Patrum consensui præ Calvinis, aliisve heri natis, credendum? Qui quidem consensus Doctorum eò adegit Calvinum, ut cùm antea negâsset, Petrum aliquando Romæ fuisse (nimirum in expositionibus suis in c. 22. Jerem. his verbis: *Romæ nunquam vidit Petrum, ut arbitror*) alio dein loco turpissimum hunc errorem, cujus ipsummet puduit, recantârit, scil. Instit. l. 4. c. 6. his verbis: *Propter scriptorum consensum non pugno, quin*

Testes hujus rei Tertullian. Irenæus. Epiphani⁹. Optatus. Eusebius. Centū alij.

quin Romæ mortuus sit Petrus. Sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, non persuadeor. Ita palinodus Calvinus. quem locum etiam noster D. Georgius adducit. Cujus palinodiæ ultima verba, quòd persuaderi se non sinat, Petrum Romæ Episcopum fuisse, oscitantiam Calvini declarant. Quæro enim ex te, Calvine, cur admitti Petrum Romæ & fuisse, & mortuum esse? *Propter Consensum*, inquis, *Scriptorum*. Atqui consensus itidem est Scriptorum veterum, uti modò demonstratum est, eum Romæ Episcopum, & primum quidem fuisse. Qui persuasit tibi primum, cur non itidem alterum, consensus scil. scriptorum in utroque? An non hæc vertigo est?

Ipse Calvinus negare denique non est ausus. Negavit olim, sed recantavit.

III. Negare tamen Vedrosius conatur, sed infeliciter.

Quid verò ad ista Vedrosius noster? Nutat, fluctuat pag. 32. Negare incipit cum Maresio suo pag. 33. ait, ex suspectis auctoribus Clemente, cujus scripta apocrypha sint, vel Papiâ, fabularum plurium auctore, haustam hanc de Petri Romano Episcopatu opinionem. Quid hic dicam, Vedrosi? aut imperiti hominis, historiæ præsertim; aut malitiosi, & veritatem sibi cognitam dissimulantis hæc verba sunt, mollius hic loqui non valeo, sed Vedrosium Vedrosio cogor ostendere. An Clemens solùm, & Papias ex antiquis hoc tradunt? An non idem apertis verbis & in Chronico suo, & in historia tradit, ut dicebam, Eusebius, historicorum Ecclesiasticorum velut Pater? an non tradit hoc idem Tertullianus, Patrum Latinorum vetustissimus loco supra citato? Non Augustinus, Irenæus, Epiphanius, Optatus, omnes sancti & scientiâ inclyti Doctores Ecclesiæ, locis itidem supra citatis? Si hæc non nosti, imperitus es. Si nosti, & dissimulas, malitiosus. utrum vis, elige. Apage ergo cum Maresio tuo, qui in eo, quem adducis loco, meras nugas agit; & neque hilo quid ampliùs probat, quàm S. Petrum non semper intra 25. Sedis suæ Romanæ annos Romam incoluisse, sed quandoque commigrasse aliò; maximè verò Solymam, ubi etiam ab Herode carceri mancipatus fuerit: Unde tamen deinceps reverti utique Romam suam potuit, ubi & vivendi finem fecit, & sepulturam toti orbi notissimam, & extra vos Sedis Apostolicæ

Cum Maresio Calvinista, cujus ratio planè ridicula.

licæ osores juratos, nemini alteri indubitatam est nactus. Aut si Maresij tui supputatio valet aliquid, etiam Hadrianus Cæsar, Antoninus Pius, Trajanus &c. Romani Cæsares non fuerunt, quia sæpissime Româ, bellis exteris occupati abfuerunt, & minimam temporis partem Romæ commorati sunt. Quàm itaq; frivola sunt ista, quæ tamen Vedrosius *irrefragabilia* audet pag. 33. appellare! Denique tamen dat utcumque manus eâd. pag. 33. ad finem. *Verum posito*, inquit, *Petrum fuisse Romæ, an idcirco Episcopus ordinarius fuit?* Fuit, mi Vedrosi, fuit. Nam inter ordinarios urbis Romæ Episcopos, uti jam sæpius audisti, ponitur à SS. Irenæo, Epiphanio, Augustino, Optato, Eusebio, imò omnibus veteribus; ut adeo te tantulum post tantos litem super ea re S. Petro movere velle, valde ridiculum sit. Veniamus ad alia & potiora.

ARTICVLVS II.

Consonantia veteris, & hodiernæ Ecclesiæ, in Primatu S. Petri, & Successorum ejus adstruendo: ubi è contrario Coronatum planè adversariorum Ecclesiæ mendacium, de Phoca Imper. detegitur, quod adhibent, sed infeliciter pro eodem Primatu destruendo.

COmplectetur hic Articulus 2. 3. & 4. Documentum Rationis Tertiæ D. Georgij (nam primum priori articulo excussimus) quæ sunt de Primatu Sedis Romanæ, sive de Principatu supra alias omnes Christianorum Ecclesias, tum S. Petri, tum legitimorum omnium Successorum ejus.

Num. I.

Primatus S. Petri & Successorum ejus.

Principatum hunc probat D. Georgius ex sensu totius veteris, & secundùm adversarios quoque, rectè sentientis Ecclesiæ. Studens autem brevitati non nisi duos adducit locos ex S. Augustino

Augustino suo, quocum sensisse etiam omnes anteriores Patres nulli dubium est. Primus locus est ex l. 2. c. 1. S. August. de Baptismo contra Donatist. ubi agens de S. Petro ita scribit. *Quis nescit illum Apostolatûs Petri Principatum cuilibet Episcopatui præferendum esse?* ubi rectè D. Georgius premit illa verba S. Patris: *Quis nescit?* quæ utique sunt mirantis, reperiri posse aliquem, qui id in dubium quasi nesciens vocet. nec minus rectè adjungit: *Id verò Ecclesia Reformata non solùm nescit, sed absolutè negat.* Quod meritò & mirum & indignum S. Augustino videtur. Alter locus est ex epist. 162. ubi hæc verba habet. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Ita Augustinus.

Probatur ex S. Augustino.

Adducit deinde post S. Augustinum, idipsum de primatu Romano confitentes ipsos Reformatos Scriptores, non quidem ita, ut primatum Romano Pontifici concedant, ita tamen, ut non diffiteantur, hunc Primatum à primæ Ecclesiæ Patribus Romano Pontifici delatum fuisse. Bullingerum quidem Calvinistam producit pag. 22. D. Georgius, ita loquentem, *Se non perinde curare quid de Primatu Petri senserint Veteres, quàm quid instituerit Christus.* Quibus verbis non diffitetur Primatum Petri à Veteribus assertũ fuisse; eâ tamen auctoritate se nihil moveri. Atqui, ô Bullingere, tuâ auctoritate, & Calvini tui, minùs multò Catholici nos movemur, contrarium veteribus illis contra vos asserentibus.

Et ex ipsis Scriptoribus Reformatis.

Bullingero.

Producit & ipsum Calvinnm in hæc verba: *Nullum fuit tempus, quô non Romana Sedes Imperium in alias Ecclesias appetiverit.* Hæc etsi utcumque dubia, & implexa verba Calvini rectissimè tamen contra Calvinum, pro primatu Romanæ Sedis, D. Georgius ad hunc modum in usum suum convertit. Fateris, Calvine, his verbis, etiam primis quingentis annis Romanam Sedem Imperium sive primatum in alias Ecclesias appetivisse, & competere sibi credidisse. Bene est. Si ergo omni tempore, ab ipso initio Sedis illius, appetijt primatum, vel jure appetijt, vel contra jus & fas appetijt. Si jure appetijt, quia ex institutione Christi ei competebat, jure etiam usurpavit, unde à

II. Et ipso Calvino.

Dilemma contra Calvinum.

vobis idcirco culpanda non est. Si autem per injuriam aliarum Ecclesiarum, & contra Christi institutionem & appetijt, & usurpavit, tum prima illa quingentorum primorum annorum Ecclesia in re gravissima circa fidem jam tum erravit. Atqui prima illa Ecclesia pura & sincera ab erroribus, etiam vobis testibus, fuit. Ergo non per injuriam appetijt, aut usurpavit primatum illum, jam inde à primis illis seculis, sed Vos eum per injuriam ipsi negatis. Unde sequitur ulteriùs hodiernos Catholicos, qui Primatum hunc totis viribùs asserunt, consonare cum veteri quoad hoc Ecclesia, & rectè sentire; malè autem vos Reformatos, qui primæ Ecclesiæ scita impugnatis, & ut loquitur Bullingerus vester, *quid veteres illi scripserint, non curatis.*

III. Contra S. Augustinũ insurgit Vedrosius.

Quid ad hæc D. Vedrosius? Cùm apertissimâ S. Augustini sententiâ premi se, suósque animadverteret, non negat per ea verba *principatum* in alias omnes Ecclesias Romanæ Sedi tributum esse à S. Augustino, sed Augustinum ipsum ita sentientem impugnat p. 35. *Si Augustinus*, inquit, *hoc Ecclesiæ Romanæ in omnes totius orbis Ecclesias credidit Imperium, quare Concilium*

I. Argum.

Carthaginense, anno 485. Episcopo Romano, Cælestino, restitit, & imperia ipsius repudiavit? quod dein pluribus exequitur Vedrosius. Estque hoc *primum* Vedrosij *telum* contra tantum Doctorem. Sequitur *alterum*. Eâdem pag. 35. ita quærit Vedrosius: *Si Ec-*

II.

IV. Sex affert argumenta Vedrosius contra PrimatumRomanum.

clesia Romana inde à fundatione sua, Prima, & Princeps fuit, Iurisdictionis & Imperij respectu, qui factum, ut penes Episcopum Romanum in nullo universali Concilio, ante Synodum Constantinopolitanam, quam Pontificij pro Oecumenica octava habent, Directio fuerit? Concilium quippe Nicænum direxit Osius, Episcopus Cordubensis; Constantinopolitanum Nectarius Episc. Constantinopol. Ephesinum Cyrillus; Chalcedonense viri Consulares à Martiano Imp. Iudices constituti &c.

III. Et contra S. Augustinum Primatûs illius strenuũ assertorem.

Paginâ verò antecedenti 34. illud pro argumento quoque conrra Primatum Sedis Apostolicæ Romanæ, tertio loco adfert Vedrosius, quòd Episcopis Romanis, Primatum hunc appetentibus, in os restiterint alij Episcopi, ut S. Irenæus Victori Papæ &c.

Quartum

Quartum, planè ridiculum argumentum, (quia solidiora deficiunt) adducit eâd. pag. quod S. Cyprianus Cornelium Papam Collegam suum vocet; quo probare se somniat, Cornelium, ratione Jurisdictionis, Superiorem S. Cypriano non fuisse. IV.

Quinti Argumenti loco, adducit Canonem 6. Concilij Nicæni I. qui Episcopum Romanum Alexandrino parem faciat; & S. Hieronymum, qui Pontificem Romanum vocet unius urbis Episcopum. V.

Sextum denique, velut Achilles, desumptum est ex historia Phocæ Imperatoris, quod quidem non Argumentum, sed Coronatum liceat plurimorum imperitorum Mendacium liberè appellare. Nunc ad singula seorsim respondeamus. VI.

V. Respondetur ad I. de Concilio Carthaginensi.

Ad 1. de Patribus Concilij VI. Carthaginensis, respondeo: quæ hîc affert Vedrosius (ex mendacissimo, ut apparet, Illyrico) scatere falsis. Nam quòd ait primò, Patres Concilij hujus explosisse prætensas à Pontificibus Romanis appellationes ad suam Sedem, & sic negasse ipsis primatum, falsum est, convitium est, quod tantis Patribus impingitur à Vedrosio, qui neque legisse quidem unquam videtur acta Concilij istius. Non exploserunt, sed demissè rogarunt, ut appellationes Africanorum Episcoporum, quæ crebræ nimis erant, à Sede Apostolica non facilè reciperentur. Ait secundò, crimen falsi Pontificibus Romanis Zosimo & Celestino à Patribus his objectum fuisse ob tres Canones Concilij Nicæni falsificatos. Hoc quoque falsum est, convitium est. id solum reposuerunt Patres, canones illos Româ ad se allatos in transmissis ad se ex Oriente exemplaribus inventos non fuisse, sed diligentius inqvirendos. Vide de hoc Bellarm. hæc exactissimè tractantem L. 2. de Romano Pont. c. 25. Imò verò summa cum reverentia Apostolicos Legatos Româ missos susceperunt, & per eosdem S. Celestino Papæ rescripserunt; confirmanda obtulerunt Concilij sui acta; *Mandata* ipsius, Celestini, inquam, Papæ, accepisse se professi sunt. Estne autem hoc in os resistere Romanis Pontificibus, & primatum negare, ac non potius se ex toto eis subjicere? Quis

mandata alterius, nisi Superioris sui accipit? quis confirmanda acta sua alteri, nisi Superiori mittit? Rogo te itaque, Vedrosi, ut talia legas ipse, & non ex mendacibus auctoribus nimis credulus exscribas, & chartis tuis illinas. Mendaciis plenus Illyricus est. Hic niger est: hunc tu, bone Rhœte, caveto.

VI. R. ad 2. de Directorio in Conciliis Generalibus.

Ad 2. quod in nullo Concilio Oecumenico, præterquam in octavo, Romanus Pontifex Directionem habuerit; habiturus utique, si primatus ei competisset, respondeo: mi Vedrosi, cautiùs, obsecro. Memineris te responsuris scribere. Ecce tot falsa affers, ut mollissimè loquar, quot Concilia in exemplum adducis. Ais Nicæno Concilio universali, quod nos primum ponimus, non Silvestrum eo tempore Papam, sed Osium, sive Hosium, Cordubensem Episcopum præsedisse. Præsedit, sed Papæ Silvestri Vices gerens. Quæso enim te, an qui aderant alij multò sublimioris gradus Patriarchæ & Episcopi, ut Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, Cæsariensis, & ipse Constantinopolitanus, eo tempore nondum Patriarcha, Episcopus tamen loci, passuri fuerant, ut Cordubensis Episcopus, homo exterus, & dignitate impar, ipsis omnibus præsideret, nisi personam Superioris Episcopi, quàm ipsi erant, sustinuisset, scilicet Romani Pontificis Silvestri, cujus Legatum & quidem primarium agebat? quod quidem Græci ipsi Historici, alijque Scriptores ejusdem nationis, & hos inter quidam Romanæ Sedi infensissimi, fatentur tamen, & Hosium primo loco inter Legatos Apostolicos ponunt uti facit Photius ipse, Papamastyx ille, in Biblioth. c. 88. Gelasius Cyzizenus presbyter l. 2. c. 5. cum Delmatio ejusdem urbis Episcopo, ut alios plures prætercam, quos videre potes apud Baron. ad annum 325. & ratio supra allata planè evincit. Evincit & subscriptio Episcoporum, qui Nicænæ Synodo interfuerunt. Ante omnes enim Patriarchas & Metropolitanos, subscripsere Concilio, primo quidem loco Hosius Episcopus, secundo & tertio loco Vitus, & Vincentius, nonnisi presbyteri Romanæ Ecclesiæ, Conlegati tamen Episcopi Hosij; quo nomine solo ante ipsos Patriarchas & Episcopos

sub-

ſubſcribere ipſi, ſolùm presbyteri, permiſſi fuerunt. En ut in limine ſtatim offendis cum Hoſio tuo. pari veritate nituntur omnia reliqua exempla, quæ dictâ pag. 35. adducis; quæque omitto refutare, ut pudori tuo parcam, & labori meo atque Lectori. Baronium conſulat curioſus horum Lector ad annum, quo ejuſmodi Concilia habita ſunt, & intelliget continuò, meros fumos hîc vendi, ut in exemplo primo, ſic & in reliquis.

Ad 3. Quòd Epiſcopo Romano primatum appetenti etiam primis illis ſeculis, in os reſtiterint alij Epiſcopi, Gallicani præſertim, inter quos & S. Irenæus fuerit, Ruffino teſte; qui Victorem Pontificem Romanum etiam acriùs & acerbiùs coarguerint. Quæro hîc ex te, Vedroſi; quæ hæc conſequentia ſit? Arguerunt Victorem Papam, velut ſeveriùs agentem cum Epiſcopis Aſiaticis, Epiſcopi Gallicani, & eos inter princeps eorum S. Irenæus. Ergo primatum ejus negarunt. O manca argumentatio! Dicam enim ſimilem ad modum: S. Paulus Apoſtolus reprehendit Petrum, cùm videretur ipſi Judaizare. Ergo S. Petro primatum cum Calviniſtis negavit Paulus? Habe & alterum exemplum. Uxor Vedroſij irata, acriùs & acerbiùs reprehendit Vedroſium. Ergo in domo ſua primatum non obtinet Vedroſius. Ridiculum enthymema, quale & tuum. Verum eſt, viſus eſt S. Irenæo Victor Papa ſeveriùs agere contra Epiſcopos Aſiæ, in celebrando Paſchate nolentes ſe conformare ſuo mandato, unde & anathemate percuſſi ſunt. Hoc factum Papæ reprehendit S. Irenæus. alij contrà cum toto Concilio Nicæno primo probarunt. Quando verò aut Gallicani Epiſcopi, aut Hiſpani, aut Afri aut etiam Aſiatici, primis quingentis annis, in dogmate aliquo fidei, quod ipſe definiſſet, Romano Pontifici in os, ut loquitur Vedroſius, reſtiterunt? quando recuſarunt, aut erroris damnarunt? imò quando non obedienter, etſi aliquantum tergiverſari nonnunquam viſi ſint, deniq; acceptarunt? aut apertis verbis quando eis primatum negarunt, uti vos heterodoxi modò facitis? Hoc proba, & viciſti.

VII. Rꝰ. ad 3. De S. Irenæo Victori Papæ reſiſtente.

Domeſtico exemplo refutatur Vedroſius.

VIII. Rz. ad 4. de S. Cypriano

4. Vedrosij argumentum risu (nec alio est opus) jam supra solvimus. Cyprianus Episcopus Papam Cornelium Collegam suum appellat. Ergo superior illo non fuit, aut primatum non habuit. Dicam similem ad modum; Præses quilibet Regiminis, sive Regij, sive alterius, Assessores suos Collegas vocat, si elati animi non est. Ergo illis superior non est, sed par in omnibus. Dicam ulterius. Vedrosius vicinos Parochos Collegas suos vocat. Ergo illis omnino par est, cùm tamen Episcopum Curiensem appellari se patiatur, ridiculè quidem. Hoc solum probat Vedrosius, Cornelium Papam, virum, uti decebat, humilē fuisse, ita ut gauderet etiam, à tanto viro Cypriano, Collega appellari, quod idem erat, ac appellari Coëpiscopum. Talis erat Cornelius, Coëpiscopus Cypriani. Et verò Romanus Papa, si *Ordinem* spectemus, non aliud quàm Episcopus est, nec alium etiam se scribit: si *Iurisdictionem*, Episcoporum Episcopus est, uti etiam Veteribus nominatum eum invenimus.

IX. Rz. ad 5. de Canone Conc. Nic.

Ad 5. de Canone Nicæno 6. à quo Vedrosius ait Romanum Pontificem æquari Episcopo Alexandrino. Mi Vedrosi, Pauca nimis, ut apparet, nosti de Oecumenicis Conciliis nostris, & Canonibus eorum. Nam si in Concilio Oecumenico Nicæno hospes non esses, legisses utique in eo, actione 16. hæc verba: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Quod verò in Canone 6. Concil. ejusdem, uti communiter ab historicis exhibetur, legantur hæc quoque verba: *Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam & Episcopo Romano parilis mos est*: quid id juvat caussam Vedrosij? Aliud nihil hac canonis sui sexti parte indicant Nicæni Patres, nisi Episcopum Alexandrinum non debere jurisdictionem suam ordinariam extendere ultra Ægyptum, Lybiam & Pentapolim scilicet ultra suam Metropolitanam Diœcesin, cùm nec Pontifex Romanus, ut ordinarius, & particularis Episcopus est, extendat jura sua ordinaria ultra metropolim suam Romanam; quæ verissima sunt. Sed nec hilum quidem Primatui ipsius præjudicant. Duas enim

Vedrosius in Conciliorum actis hospes est.

enim quasi personas, ut omnibus rerum Ecclesiasticarum peritis notissimum est, Romanus Pontifex sustinet; quarum altera est, ut sit metropolita Ecclesiæ Romanæ, ut particularis Ecclesia est: & ut talis, suis se finibus Metropolitanis continet, neque se miscet jurisdictioni aliorum per christianitatem Episcoporum, ug. Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ &c. quamdiu rem benè gerunt. Altera verò persona est, ut sit *Pater Patrum*, ut eum S. Augustinus appellat, & Pastor non agnorum solùm, sed etiam ovium, matrum scilicet, reliquorum Episcoporum. Ut talis autem, Metropoli suâ Romanâ minimè continetur. Hoc utrumque indicat Canon. 6. Concilij Nicæni, uti modò demonstratum est. Atque hi sunt Arietes illi tremendi, quibus D. Vedrosius conatus est, subvertere molem totam per annos jam mille sexcentos firmissimè stantem, Primatûs Apostolici Romani. Illa verò ab his tam invalidis machinis ne nutat quidem. Alijs itaque opus est, mi Vedrosi, validioribus multò & sapientioribus.

Duas pe[rsonas] P[ontifex] sustinet quæ non sunt con[fundendæ]

X.

Venit ergo denique pag. 36. §. *Si omnes*, ad palmarium illud, uti Lutheranis & Calvinianis videtur; ut Catholicis, ad protritissimum & contemptissimum argumentum de Phoca Imperatore Græco, quem contendit Vedrosius, primū omnium fuisse, qui Primatum Pontifici Romano attribuerit, imò à quo illum Bonifacius III. Papa, ut Vedrosius loquitur, *emendicârit*, scilicet ut Sedes Apostolica S. Petri, caput esset omnium Ecclesiarum. Ab hoc itaque *parricida* Cæsare (quia Mauritium Antecessorem suum occidit) non aliunde, clamat Vedrosius, habere Romanos Pontifices primatum suum, & plenum antichristianâ superbiâ titulum illum, ut Universales Ecclesiæ Catholicæ Episcopi & haberi, & appellari velint, sèque ipsos hoc titulo jactent: quam quidem velut notam Antichristi ipse S. Gregorius Papa detestatus fuerit. Ita Vedrosius pag. 36. citatâ, uti & supra pag. 25. & alij prope omnes Lutheri & Calvini asseclæ uno ore.

R. ad 6. i[n] quo vanis[si]mè triu[m]phant ad[versarii]: Quod est de Phoca Imp. Græco.

Imperitia ingens hi[storiæ] apu[d] adversario[s] aut malit[ia] ingens.

Quid ad hæc Apologista? Ait liberè, neminē, nisi Idiotam, & tum

tum historiæ, tum Juris civilis, tum etiam Theologiæ rudem, & imperitum, aut certè malitiosissimum hominem, ita aut loqui, aut scribere. Quæro enim ex te, tuique similibus, Vedrosi, quando vixerit & regnaverit Justinianus Græcus Imperator? quando Marcianus, Imperator itidem Græcus? quando deniq; Valentinianus III. Imperator Latinus in Occidente? Respondebis, & libenter fateberis, ultimum ex his Valentinianum vixisse & regnasse in Occidente anno 425. Marcianum verò anno 451. Atque ita concedes nobis Catholicis non gravatè, hos duos Catholicos Imperatores pertinere adhuc ad prima quinq; secula, utpote intra quæ vixerunt. Justinianum verò, primum hujus nominis, & magnum illum Cæsarem anno 530. Si jam quæram ulteriùs, quando vixerit & regnarit Imperator Phocas, non diffiteberis eum regnasse anno 603. Si ergo nunc computum ex his temporum differentijs instituamus, inveniemus Justinianum quidem præcessisse Phocam totis 73. annis; Marcianum verò antecessisse totis 152 annis; Valentinianum autem totis centum & septuaginta octo annis. Atqui hi tres Imperatores apertissimè jam tum & agnoverunt, & venerati sunt in Romano Pontifice Primatum, sive Principatum super omnes alios, eúmque cum Ecclesia sua *omnium Ecclesiarum* (frendeat licet hæresis, & rumpatur licet.) palam sunt professi, ut mox oculis ipsis ingero.

Phocam qui Imperatores antecesserint Primatum Romanum agnoscentes.

§. I.

Valentinianus III. Imp. tribuit Romano Pontifici Primatum, seu Principatu. 178. annis ante Phocam Imp.

XI. Valentinianus III. annis 168. ante Phocam.

VAlentinianus hic Imperator in Occidente paulò ante cœptum Chalcedonense Concilium Generale, in Sacra sua (ita appellabatur tunc diploma Imperatorium) ita alloquitur Theodosium II. Imperatorem Orientis, dum eum rogat, ut juvare velit Leonem Papam in congregando Concilio Generali.

Fidem,

Fidem, inquit, *à nostris majoribus traditam, debemus cum omni competente devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis* NB. *B. Apostololo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui PRINCIPATUM Sacerdotij super omnes, Antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de Fide & Sacerdotibus judicare.* Ita Valentinianus, ut legere est in Epistola præambula Concilij Chalced. Tom. 2. Concilior. Notentur probè verba illa, quòd *Romanæ Civitatis Episcopo Principatum Sacerdotij super omnes, Antiquitas contulerit*, id est, tota retro antiquitas, non ipse Valentinianus, nec alij ante eum Christiani Cæsares, & quidem *super omnes.* Nota 2. quod dignitatem B. Apostoli Petri vocet *Dignitatem propriæ venerationis*, quæ scilicet B. Petro in suis successoribus, & nulli alteri tribueretur. Quid potest inveniri illustrius pro Principatu Romani Pontificis, eòque antiquissimo Principatu, ante tempora ipsius quoque Valentiniani, quæ sunt tempora illa sincera etiam Reformatis nostris & casta integráque in fide? Amplissimum testimonium Valentiniani pro Primatu Romano.

§. II.

Marcianus Imp. tribuit Romano Pontifici Primatum 152. annis ante Phocam.

MArciani, Catholici & piissimi Imperatoris sensus & verba de Primatu Romani Pontificis hæc sunt. XII. Aliud æquè augustum à Marciano Augusto annis 152. ante Phocam.

Pro reverentia & Catholica Religione Christianæ fidei, cujus auxilijs virtutem nostræ Potentiæ confidimus gubernari, Tuam Sanctitatem (intelligit S. Leonem I. Pontificem Romanum) PRINCIPATUM *in Episcopatu divinæ Fidei possidentem, Sacris litteris in principio credimus alloqui.* Hæc ex epistola, sive ex sacra Marciani Imp. quam videre potes Tom. 2. Concilior. in Epistolis præambularibus, propè finem. *Verba solis radiis scripta!* (utor phrasi Vedrosiana) de Primatu Ecclesiæ Romanæ primis quingentis seculis agnito.

§. III.

Justinianus Imp. 73. annis ante Phocam Imp. Ecclesiam Romanam agnoscit Caput omnium Ecclesiarum, & ut talem veneratur.

XIII. EXtat hujus Justiniani Epistola ad Joannem II. Romanum Pontificem, cujus pars hunc habet tenorem.

Omnium verò expressissimum Justiniani Magni annis 73. ante Phocam.

Nec enim patimur, quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quòd movetur, ut non etiam Vestræ innotescat Sanctitati, quæ CAPUT *est* OMNIUM SANCTARUM ECCLESIARUM. Hæc Justinianus annis 73. ante Phocam Imperatorem. An non hæc quoque verba solaribus radijs pro sententia Catholica scripta sunt? Nihil omnino, nihil vult tantus Imperator moveri circa Ecclesiarū statum, non consulto, aut non præscio S. Leone tunc Romano Pontifice, idque ideo, quia Ipse sit *Caput omnium Sanctarum Ecclesiarum*. Jam tum igitur tot lustris ante Phocam Imperatorem Romanus Pontifex habitus & creditus est *Caput omnium Ecclesiarum*.

Enormis falsitas omnium Protestantium.

Quàm ergo adipatum, quàm crassum & palpabile mendacium est (scapha enim dicenda est scapha) dicere, primùm à temporibus Phocæ Imp. & ejus beneficio, à Bonifacio III. emendicato, cœptum esse haberi ac dici Pontificem Romanum, & Sedem ipsius Romanam *Caput omnium Ecclesiarum!* quod asserere ausus est etiam pag. 36. Vedrosius noster. Neque tamen tam ipsi hoc tam pudendum dictum, quàm illis imputo, à quibus, sed inconsultò valde, descripsit Vedrosius, & in hoc suam anhistoriam ostendit. Ergo falsitatibus eget Reformata Religio? falsitatibus, & tam apertis quidem, ædificatur? hinc vestri fundamentales & angulares lapides sunt? hæc fulcra vestra? planè sunt, mi Lector, & in hoc eorum dogmate, quo Primatum Romanæ Ecclesiæ abrogant, & in plurimis alijs. ô ædifi-

Misera Religio, quæ mendacijs indiget.

ædificatio, sed non ex Deo! Quæramus hic cum S. Jobo c. 13. *Numquid DEVS indiget mendacio vestro?* Planè neque DEUS, neque ulla vera Religio.

Illud insuper nosse te cupio, amice Lector, Bonifacium illum III. Romanum Pontificem, cui Phocas Imperator uni adjudicavit titulum, ac nomen Oecumenici, sive Universalis Episcopi, & eundem abrogavit ambitiosis illis Constantinopolitanis Patriarchis suis, qui illum contra fas & omnem antiquitatem usurpabant, Sanctum, inquam, illum Bonifacium Papam (nam inter Divos à Catholicis meritò colitur) nunquam usurpasse, sicut neque Successores ipsius, quod tamen poterant, titulum illum *Vniversalis Episcopi*, sed satis habuisse Antichristianam illam superbiam, ut S. Gregorius nominabat, Patriarchæ Constantinopoleos fuisse repressam. Unde planè pueriliter Vedrosius (usurpo phrasin Vedrosij, quo prior ipse non semel contra D. Georgium utitur) pueriliter, inquam, pag. 36. tum totus propè grex Lutheranorum & Calvinistarũ, in Romanos Pontifices, velut in Antichristos, illud ejusd. S. Gregorij ex epistola ejus 34. lib. 4. detorquent: *Turpe valde est*, scribit Sanctus, *ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coëpiscopus meus* (Joannes Patriarcha Constantinop.) *solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac ejus superbia, quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi tempora designantur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum Legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere dicens: super astra Cæli exaltabo solium meum, ero similis altißimo?* Isa. 14. Hæc omnia Vedrosius, & gregales ipsius, ut dicebam, quasi de Romanis subsecuturis Pontificibus, prophetico velut spiritu, à S. Gregorio scripta essent, in eosdem detorquent, & mirificè hoc Gregorij dicto, itémque altero, quod Vedrosius quoque dictâ pag. citavit, triumphant. Sed quàm putidè & imprudenter! Primò enim verba hæc Gregorij omnia, unicè tendunt contra fastuosum illum Joannem Patriarcham, quem Luciferi imitatorem, & Antichristi velut Præcursorem facit, quod contra omne fas sibi titulum Oecumenici,

XIV.

S. Gregorij M. sententia inscitissimè torquetur in Rom. Papam ceu Antichristum.

ſive univerſalis Epiſcopi rapuerit. in quem omnia d &a S. Gregorij, unicè tendunt. Quid hoc autem ad ſucceſſores S. Gregorij, & nominatim ad Bonifacium III. virum probum & ſanctum? Si Antichriſtum ergo, vel ejus certè præcurſorem ex his S. Gregorij verbis exſculpere omnino vultis, non ex Bonifacio, ſed Joanne Conſtantinop. Patriarcha, ejuſque ſimilibus exſculpen-
XV. dus vobis erit. Sed neque is propterea Antichriſtus erit. plura longè ad Antichriſtum & Daniel propheta, & Paulus ac Ioannes Apoſtoli requirunt. Deinde vel in ſpeciem diceretis aliquid, & argumento à pari uteremini, ſi Bonifacius, aut ſucceſſores ejus hunc titulum *Vniverſalis Epiſcopi*, ijs à Græco Imp. adjudicatum uſurpaſſent. At neque ipſe, neque Succeſſores ipſius ad hanc uſque diem ſicuti potuiſſent, uſurpaverunt, ſed humilitatem ſecuti ſæpe jam memorati S. Gregorij, quò omnem invidiam & calumniam declinarent, ab eo penitus abſtinuerunt & in vicem ſubſtituerunt illum modeſtiâ pleniſſimum: *Servus Servorum* DEI. (quo certè Antichriſtus non utetur) quo hodieque utitur Pater noſter Sanctiſſimus, Clemens X. in Bullis & Brevibus ſuis: *Clemens Romanus Epiſcopus, Servus Servorum DEI.* Sed neque Anteceſſores S. Gregorij facilè, imò teſte ipſo Gregorio, l. 6. ep. 194. nullus eorum, tam odioſo, vocabulo (*Epiſcopi univerſalis*) uti conſenſit. Si ergo neque Anteceſſores, neque ſucceſſores S. Gregorij titulum ſibi iſtum uſurpaverunt, (ut maximè potuiſſent) quò clamores veſtri, ô Calviniani? quò vociferationes veſtræ, ô Lutherani, ex hoc Gregorij loco ex Romanis Pontificibus, qui S. Gregorium ſunt ſecuti, vel Prodromos Antichriſti, imò Antichriſtos ipſos, multò adhuc majori inſaniâ, exſculpere nitentium? Quis verò non videt, imò palpat etiã, quò omnia veſtra hæc tendant? Quam enim ob cauſſam aliam id tantopere laboratis, ut Primatum & Principatum ſuper omnes & Eccleſias & fideles, Papæ, velut Antichriſto, abrogetis, quàm ut omne ipſius Apoſtolicæ Sedis Iudicium hoc pacto à vobis amoliamini? ſi enim Primatum in Eccleſia obtinet, ſupremus cauſſarum eccleſiaſticarum, ad fidem præcipuè pertinentium, Iudex, & ſic veſter quoque Iudex erit, qui de veſtra doctrina nova pronuntiare ha-

re ha-

re habeat. Hoc vobis autem molestum, hoc intolerabile videtur. Nam si ad judicium ventum fuerit, damnabit novitates vestras, uti jam pro officij sui munere egit, meritóque tanquam *profanas novitates*, ut loquitur Apostolus, damnavit. Hoc dolet. huic dolori remedium quæritur; nec aliud invenitur, quàm ut omnem Primatum, & eminentiam Apostolicæ Sedis supra Ecclesias alias, atque fideles, eidem negetis, & quà potestis, per mille etiam falsa, præcipuè autem per confictam de Antichristo calumniam abrogetis. Nimirum omnis reus, quocumque potest modo, contra Iudicem, à quo sibi timet, excipit, & quantum à se est, à Iudicario solio suo eum excutit. Hoc unum ergo proficitis, ut demonstretis orbi, qui sitis, scilicet ij, qui Iudicem nullum aut vultis, aut potestis pati, quod omnes mali sibi conscij rei, si queant, faciunt. Ideo, nec aliam ob caussam, Acephalam quoque, id est, nullo Capite, nullo Iudice, nullo arbitro præditam Ecclesiam facitis. Ideo & Patres omnes, & Doctores Ecclesiæ, ubi vobis contrarij sunt, à suffragio dicendo removetis. Ideo denique scripturam sacram, eámque solam admittitis, & in solio Iudicis sacri collocatis. Cur autem? Quia ipsa per se muta est, & pro neutra parte clarè pronuntiat. Talem scil. Iudicem vultis, sanctissimum quidem, sed mutum, qui vos nunquam damnet. En ulcus vestrum, en caussam, cûr loquenti Iudici, sive Pontifici summo; sive etiam Concilijs ab eodem convocatis, quæ totam Ecclesiam repræsentant; sive SS. Patrum consensui, qui & ipse loquens est Iudex, omnem auctoritatem, quantum à vobis est, detrahatis, & denique post omnia ad privatum vestrum spiritum omnia referatis, id est, ut S. Bernardus alicubi loquitur, *stulto Magistro* vos discipulos subdatis. Stultus enim magister privatus Spiritus est.

Cur ex Papa Antichristum facere tantopere laborent.

Ulcus aperitur.

Judicem nullum volunt ut omnes rei solvent.

XVI.

Alia Vedrosius argumenta contra Primatũ Romanum.

Ne tamen in tam necessario puncto quidquam sine responso prætereamus, alibi succinctiores futuri, etiam respondendum erit ad ea, quæ contra Primatum Romani Pontificis ex Ænea Sylvio, qui post & ipse Romanus Pontifex Pij II. nomine fuit, à Vedrosio nostro pag. eâdem allata sunt ex epistola ipsius

ipsius 188. ad Martinum Meyerum data, & sunt ista. *Ante fuerunt tempora* (scilicet ante Concilium Nicænum) *quibus sibi quisque vivebat, & ad Ecclesiam Romanam parvus habebatur respectus. Condebantur Canones invito Episcopo Romano &c.* Ita Vedrosius ex Silvio. Quæso te, Vedrosi, quâ fronte ausus es epistolam hanc Æneæ Silvij ad Meyerum datam contra primatum Papæ allegare, quæ tota est pro illo, tota contra vos? Ita enim epistola illa ad Meyerum incipit; quam apparet te nunquam legisse.

Reipsâ verò contra ipsũ Vedrosium.

Sunt nonnulli nationis tuæ homines (id est, Germani) *quibus Romani Pontificis auctoritas neque necessaria videtur, neque à Christo instituta. Contra quos hanc epistolam scribere, & tibi transmittere decrevimus, ut si quando tales homines te adierint, habeas ex nobis quo gladio temeritatem eorum confodias.* Hæc Silvius: Ecce temeritatis omnes illos accusat, quibus *neque necessaria videtur Romani Pontificis auctoritas, neque à Christo instituta*; quos inter & Vedrosius est. Quid ergo te juvat hæc epistola Silvij? imò magnopere obest, & turdus hîc sibi ipsi malum ac perniciem excernit. Quæ autem ex eadem epistola affers, quòd *ante Concilium Nicænum parvus habitus sit ad Romanam Ecclesiam respectus*, dolendo, non approbando dicit; quod tamen studiosè dissimulat Vedrosius. Hodie quoque, mi Vedrosi, ita loqui indolescendo possumus. Habetur exiguus, & heu! nimis exiguus ad Divinam ipsam majestatẽ, & mandata ipsius respectus, eâ invitâ, imò invitissimâ, plurima geruntur &c. Sed an probamus his verbis facta hæc? imò impensè dolemus. Ad eundem modum verba Pij II. Pontificis interpretare. Itaque neque Silvius tibi ad propositum tuum patrocinatur, neque Gregorius Magnus Papa, neque Phocas Imperator, neque Concilium Carthaginense VI. &c. aliò ergo te verte, si fortè res meliùs succedat. Et vertit se aliò Vedrosius, & cum eo Apologista.

Ex Ænea Silvio.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Consonantia in origine prima, & institutione Primatûs Romani assignanda.

VIdimus hucusque in ruborem dari adversarios nostros, quotquot negant Romani Pontificis Primatum, si de facto, sive de eo, quod revera accidit, quæstio sit. Sexcentis enim testimoniis, etiam ex antiquitate ostendi potest, & ostensum ijs est, ab antiquissimis temporibus Romanos Pontifices Primatum reipsâ obtinuisse. Unde denique sapientiores Adversarij id non negant, sed potiùs de Jure, quo obtinuerint, disputant, negántque id tantùm, Pontifices eum Iure divino obtinuisse, sed solùm humano: sive à Conciliis Generalibus, unum sibi caput ad concordiam sanciendam, & cavenda schismata, & quidem Romanum Pontificem, ob eminentiam Urbis & Sedis illius deligentibus (uti facit Nilus Græcus & schismaticus Episcopus) sive ab Imperatoribus, quorum præcipuus fuerit Phocas Imperator, de quo jam vidimus id imperitissimè dici, cùm multò ante Phocæ tempora, imò & Valentiniani, Pontifex Romanus Primatum & obtinuerit, ut vidimus, & exercuerit; imò etiã ante omnia Concilia Generalia, uti latè ostendi potest. Unde nunc nos Catholici ulterius ita ratiocinamur. Si nullus itaque auctor, sive collator assignari ab adversarijs potest hujus Romani Primatûs ex hominum numero, neque Cæsarum, neq; Episcoporum in hac re conspirantium, neque Cardinalium eligentium, cùm ante omnem Cardinalium institutionem viguerit jam iste Primatus: si etiam nullum omnino tempus assignari potest, quo cœperit (nam tempora Bonifacij III. sub annum primùm 603. assignare stultissimum est) cùm quolibet tempore assignato, demonstrari queat, anteriorem, & antiquiorem illo tempore Primatum hunc esse: restat ut ad Christum D. sapientissimum suæ Ecclesiæ Ordinatorem, ac velut Architectum, & ad

Num. I.

Sapientiores Adversarij concedunt Romanis Pont. Primatum, de facto.

Negant de Jure.

Probatur esse de Jure & quidem divino.

Et à Christo immediatè obtento.

ad ipsa Christi tempora veniamus, ipsámque Domini institutionem, nolentis alio, quàm perfectissimo, id est, Monarchico Imperio sacro, Ecclesiam suam gubernari, in quem finem ex omnibus suis fidelibus delegerit unum, qui Caput esset visibile omnium Ecclesiarum atque fidelium. Delectum autem ad hoc, asserimus nos Catholici omnes, S. Petrum Apostolum, & qui ei mortuo in Apostolica Cathedra legitimè successuri erant. Et vel civiliter, sive Politicè rem considerando, sapientissimè hæc omnia dicuntur. Supra omnem autem Politicam sapientiam, ipsa Sapientia, Christus, Ecclesiæ suæ prudentissimus Ordinator, ceu terræ cœlum eminet. Quid enim si Sapientia ista æterna Corpus suum Ecclesiam sine Capite; Arcam suam, extra quam nulla est salus, sine suo Noë, navem scilicet sine gubernatore; Militantem Ecclesiæ Exercitum sine supremo Duce; ovile denique suum sine supremo Pastore reliquisset, quid, inquam, futurum erat? An non verissimum hîc quoque vernaculum verbum illud vetus valuisset? bey vilen Hirten wird übel gehütet. Quod adversaria pars Acephala scil. & capite orbata, satis experitur. Quin & malo suo docta, tam non potest carere Primatu & Principatu summo ecclesiastico, ut pueros quoque ac feminas pro Capitibus Ecclesiarum suarum, loco Summi Pontificis, in virorum defectu recipiant ac venerentur. Advertis opinor, Vedrosi, quo tendam. In Anglia enim, ubi flos Calvinismi vestri, an non Eduardus puer, post Henricum VIII. Rex Angliæ, pro Capite Summo Ecclesiæ vestræ agnitus est? post illum autem Femina (ò pudor!) Elisabetha? Tam necessarium vos ipsi quoque Primatum existimatis. Sed ad propositum.

Qui Ecclesiam suam sapientissimè ordinavit per Monarchicum Regimen.

Propudium in Regimine Reformatorum.

Hanc institutionem Primatûs S. Petri, & successorum ejus, à Christo D. provenientem, & Matthæi cap. 16. nobis revelatam illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: probat D. Georgius Documento V. pag. 26. ex suo S. Augustino, adducto Augustini loco, & mente ex epist. ejus 165. (non 164. ut mendosè habet margo Vedrosianus) ubi S. Doctor ita scribit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus*

II. Probatur Primatus ex c. 16. Matt. Tu es Petrus.

randus est, quantò certiùs ab ipso Petro numeramus, cui tertius Ecclesia figuram gerenti Dominus ait (Matth. 16.) *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* quibus verbis indicat Sanctus, per Petram Petrum Matth. 16. per illa verba: *Super hanc Petram &c.* intellectum fuisse; qui sensus communis fuit, ab initio Ecclesiæ, multò maximæ partis Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, à quo neque S. Augustinus recedere voluit; etsi alibi sensus quoque alter, per petram Christum ipsum intelligens, Augustino non displicuerit, de quo paulò pòst.

Quomodo hunc locũ Matth. 8. August. intellexerit.

Poterat Georg. noster, nisi brevitati studuisset etiam alterum ex S. Augustino suo non minùs illustre testimonium adferre, scil. serm. 15. de Sanctis, ubi ita loquitur: *Petrum itaq. Fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit* (scil. Matth. 16.) *& ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.* poterat & tertium adferre ex illo psalmo S. Augustini contra partem Donati: *Numerate* (scribit Sanctus) *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri. Ipsa est Petra* (scilicet Sedes Petri) *quam non vincunt superba inferorum portæ.* Arrige ad hæc verba aures, Vedrosi, cum gregalibus tuis. Non vincis, teste Christo, & interprete Christi Augustino. Poterat insuper D. Georgius plurima alia vetustissimorum Patrum loca adducere, (quod ego ipsius loco hìc facio) qui illa verba Domini: *Super Petram ædificabo Ecclesiam meam:* non de Christo, ut adversarij volunt, sed de S. Petro interpretati sunt, ad eum prorsus modum, quo hodiéque Romana Ecclesia interpretatur. Inter hos ita interpretantes hunc locum sunt sexcenti illi Patres in Concilio Chalcedonensi collecti, qui Actione 3. respicientes ad hunc locum Matthæi, S. Petrum appellant: *Petram & Crepidinem* Ecclesiæ Catholicæ. His sexcentis Patribus, si sufficere fortè alicui (& cui illi?) non videantur, accedant ex Oriente & Occidente illi, qui peculiari prærogativâ, pro Doctoribus & Columnis Ecclesiæ habentur, qui omnes, uno ore, & calamo per Petram (Matth. 16.) S. Petrum intelligunt.

Quomodo 600. Patres Concilij Chalcedonensis.

S. Joannes Chrysost. hom. 55. in Matth. Tom. 2. mihi pag. 403. editionis Parisiens. 1570.

 S. Gre-

S. Gregorius Nazianz. in admirabili illa oratione, *de moderatione servanda in disputando &c.* quæ in editione 2. Parisiensi, quæ est anni 1583. est oratio 26. mihi pag. 678. ubi, *Petrus*, inquit, *Petra vocatur &c.*

III. Omnes octo præcipui Doctores Latinæ & Græcæ Ecclesiæ stant pro S. Petro.

S Athanasius, & cum eo Ægyptij Episcopi universi in epistola ad Felicem II. Papam, qui anno Domini 366. Ecclesiæ Romanæ præsedit. reperietur epistola hæc non in operibus S. Athanasij, sed in Tomo 1. Concil. editionis Coloniens. anno 1567. mihi pag. 441. ubi hæc verba leguntur: *Tu es Petrus, & super Fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmata &c.*

Chrysost. Nazianz. Athanas.

Sed multò clarissimè, & facundissimè S. Basilius Magnus homil. 29. quæ est de Pœnitentia, pag. 229. editionis Antverp. cujus partem aliquam libet exscribere.

Petrus, inquit, *tertiò abnegavit, & collocatus est in FUNDAMENTO.* Et paulò pòst. *Petrus licet Petra esset, non tamen Petra erat, ut Christus. Ut Petrus Petra erat. Nam Christus verè est*, (hoc est per seipsum) *immobilis Petra. Petrus verò propter Petram* (Christum) *axiomata námque sua* (hoc est honoris titulos) *largitur aliis IESUS. Largitur autem non ipse evacuatus, sed nihilominus habens. Lux est: vos estis Lux mundi*, inquit &c. *Petra est, & Petram fecit &c.*

Basilius. Et hic clarissimè.

IV. Ex Occidente verò, post vetustissimos Patres Latinos, Tertullianum l. de Præscript. & S. Cyprianum Tom. 2 epist. 71. quæ est ad Quintum, edition. Pamelianæ Antverp. anni 1568. mihi pag. 175. Tom. 2. prodibit

S. Ambros.

S. Ambrosius cum Hymno suo, singulis Dominicis in Ecclesia DEI, in Laudibus cantari solito, cujus stropha quarta sic habet, agens de Gallo gallinaceo, suo cantu mortales excitante noctu:

Hoc, Ipsa Petra Ecclesiæ,
Canente, culpam diluit.

Hoc est: Hoc Gallo canente, Petrus ipse, qui est Petra Ecclesiæ, culpam suam deplorans eandem diluit. Esse autem hunc Hymnum, cujus initium est: *Æterne Rerum Conditor*: & hanc stro-

strophâ, non alterius, quàm S. Ambrosij, testatur ipsemet S. Augustinus l. 1. Retract. c. 21. ubi hæc ipsa verba citat.

S. Hieronym. S. August.

Sequitur S. Hieronymus, D. Ambrosij coœvus, in cap. 16. Matth. S Augustinum jam supra produximus.

S. Gregori. Magnus.

Denique S. Gregorius, octava illa Ecclesiæ Catholicæ Columna, supra Fundamentum Petri ædificata, l. 6. Registri sui, epist 37. ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum.

Qui quidem omnes, cùm peculiari prærogativâ, & â Græca, & Latina Ecclesia pro Doctoribus Ecclesiæ, totiúsque orbis Christiani Magistris sint recepti, agite, & decedite, oro, de via, vos discipuli è Calvini, Luthérive schola.

Loquentibus Magistris decet tacere discipulos.

Pro Catholica ergo sententia, próque S. Petro Apostolo, ceu Fundamento, & Petra Ecclesiæ, stare vides, mi Lector, plures sexcentis Doctoribus antiquissimis. Quod si tibi, aliisve, hi non sufficiant, quid vobis sufficere poterit? Nobis Catholicis ita sufficiunt duo, trésve ex his, ut si ab adversariorum parte ac sensu, ter quatérve sexcenti neoterici constiterint, nobis nec pro uno quidem tali futuri sint.

Huic tantorum Patrum expositioni quid opponat D. Vedrosius, nunc audiamus, talia certè quæ majori honore suo reticuisset.

D. Vedrosij oppositiones & Apologistæ Responsiones.

Primùm siluit studiosè & non incallidè D. Vedrosius, quæ D. Georgius pro hac Catholica expositione, etiam ex ipso Calvino & Bullingero, Reformatæ suæ Ecclesiæ, ut putant, columinibus pag. 22. attulit, quorum uterque non negat complures ex Græcis & Latinis Patribus illa verba Domini: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: more Catholico interpretatos esse, & per Petram, cui Ecclesia inædificata sit, non Christum, sed Petrum intellexisse.

V. Oppositiones D. Vedrosij, & calliditas ejusdem.

Hæc, inquam, siluit. pòst irreverenter eorum interpretatio-

tum historiæ, tum Juris civilis, tum etiam Theologiæ rudem & imperitum, aut certè malitiosissimum hominem, ita aut loqui, aut scribere. Quæro enim ex te, tuique similibus, Vedrosi, quando vixerit & regnaverit Justinianus Græcus Imperator? quando Marcianus, Imperator itidem Græcus? quando deniq; Valentinianus III. Imperator Latinus in Occidente? Respondebis, & libenter fateberis, ultimum ex his Valentinianum vixisse & regnasse in Occidente anno 425. Marcianum verò anno 451. Atque ita concedes nobis Catholicis non gravatè, hos duos Catholicos Imperatores pertinere adhuc ad prima quinq; secula, utpote intra quæ vixerunt. Justinianum verò, primum hujus nominis, & magnum illum Cæsarem anno 530. Si jam quæram ulteriùs, quando vixerit & regnarit Imperator Phocas, non diffiteberis eum regnasse anno 603. Si ergo nunc computum ex his temporum differentijs instituamus, inveniemus Justinianum quidem præcessisse Phocam totis 73. annis; Marcianum verò antecessisse totis 152 annis; Valentinianum autem totis centum & septuaginta octo annis. Atqui hi tres Imperatores apertissimè jam tum & agnoverunt, & venerati sunt in Romano Pontifice Primatum, sive Principatum super omnes alios, eúmque cum Ecclesia sua *omnium Ecclesiarum* (frendeat licet hæresis, & rumpatur licet.) palam sunt professi, ut mox oculis ipsis ingero.

Phocam qui Imperatores antecesserint Primatum Romanum agnoscentes.

§. I.

Valentinianus III. Imp. tribuit Romano Pontifici Primatum, seu Principatu. 178. annis ante Phocam Imp.

XI. Valentinianus III. annis 168. ante Phocam.

VAlentinianus hic Imperator in Occidente paulò ante cœptum Chalcedonense Concilium Generale, in Sacra sua (ita appellabatur tunc diploma Imperatorium) ita alloquitur Theodosium II. Imperatorem Orientis, dum eum rogat, ut juvare velit Leonem Papam in congregando Concilio Generali.

Fidem,

Fidem, inquit, *à nostris majoribus traditam, debemus cum omni competente devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis* NB. *B. Apostololo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui PRINCIPATVM Sacerdotij super omnes, Antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de Fide & Sacerdotibus judicare.* Ita Valentinianus, ut legere est in Epistola præambula Concilij Chalced. Tom. 2. Concilior. Notentur probè verba illa, quòd *Romanæ Civitatis Episcopo Principatum Sacerdotij super omnes, Antiquitas contuleris*, id est, tota retro antiquitas, non ipse Valentinianus, nec alij ante eum Christiani Cæsares, & quidem *super omnes*. Nota 2. quod dignitatem B. Apostoli Petri vocet *Dignitatem propriæ venerationis*, quæ scilicet B. Petro in suis successoribus, & nulli alteri tribueretur. Quid potest inveniri illustrius pro Principatu Romani Pontificis, eóque antiquissimo Principatu, ante tempora ipsius quoque Valentiniani, quæ sunt tempora illa sincera etiam Reformatis nostris & casta integráque in fide? **Amplissimum testimonium Valentiniani pro Primatu Romano.**

§. II.

Marcianus Imp. tribuit Romano Pontifici Primatum 152. annis ante Phocam.

MArciani, Catholici & piissimi Imperatoris sensus & verba de Primatu Romani Pontificis hæc sunt. **XII.**

Pro reverentia & Catholica Religione Christianæ fidei, cujus auxilijs virtutem nostræ Potentiæ confidimus gubernari, Tuam Sanctitatem (intelligit S. Leonem I. Pontificem Romanum) PRINCIPATUM *in Episcopatu divinæ Fidei possidentem, Sacris litteris in principio credimus alloqui.* Hæc ex epistola, sive ex sacra Marciani Imp. quam videre potes Tom. 2. Concilior. in Epistolis præambularibus, propè finem. *Verba solis radiis scripta!* (ut in phrasi Vedrosiana) de Primatu Ecclesiæ Romanæ primis quingentis seculis agnito. **Aliud æquè augustum à Marciano Augusto annis 152. ante Phocam.**

§. III.

Justinianus Imp. 73. annis ante Phocam Imp. Ecclesiam Romanam agnoscit Caput omnium Ecclesiarum, & ut talem veneratur.

XIII. Extat hujus Justiniani Epistola ad Joannem II. Romanum Pontificem, cujus pars hunc habet tenorem.

Omnium verò expressissimum Justiniani Magni annis 73. ante Phocam.

Nec enim patimur, quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam Vestræ innotescat Sanctitati, quæ CAPUT *est* OMNIUM SANCTARUM ECCLESIARUM. Hæc Justinianus annis 73. ante Phocam Imperatorem. An non hæc quoque verba solaribus radijs pro sententia Catholica scripta sunt? Nihil omnino, nihil vult tantus Imperator moveri circa Ecclesiarū statum, non consulto, aut non præscio S. Leone tunc Romano Pontifice, idque ideo, quia Ipse sit *Caput omnium Sanctarum Ecclesiarum.* Jam tum igitur tot lustris ante Phocam Imperatorem Romanus Pontifex habitus & creditus est *Caput omnium Ecclesiarum.*

Enormis falsitas omnium Protestantium.

Quàm ergo adipatum, quàm crassum & palpabile mendacium est (scapha enim dicenda est scapha) dicere, primùm à temporibus Phocæ Imp. & ejus beneficio, à Bonifacio III. emendicato, cœptum esse haberi ac dici Pontificem Romanum, & Sedem ipsius Romanam *Caput omnium Ecclesiarum!* quod asserere ausus est etiam pag. 36. Vedrosius noster. Neque tamen tam ipsi hoc tam pudendum dictum, quàm illis imputo, à quibus, sed inconsultò valde, descripsit Vedrosius, & in hoc suam anhistoriam ostendit. Ergo falsitatibus eget Reformata Religio? falsitatibus, & tam apertis quidem, ædificatur? hinc vestri fundamentales & angulares lapides sunt? hæc fulcra vestra? planè sunt, mi Lector, & in hoc eorum dogmate, quo Primatum Romanæ Ecclesiæ abrogant, & in plurimis alijs. ô ædifi-

Misera Religio, quæ mendacijs indiget.

ædificatio, sed non ex Deo! Quæramus hic cum S. Jobo c. 13. *Numquid DEUS indiget mendacio vestro?* Planè neque DEUS, neque ulla vera Religio.

Illud insuper nosse te cupio, amice Lector, Bonifacium, illum III. Romanum Pontificem, cui Phocas Imperator uni adjudicavit titulum, ac nomen Oecumenici, sive Universalis Episcopi, & eundem abrogavit ambitiosis illis Constantinopolitanis Patriarchis suis, qui illum contra fas & omnem antiquitatem usurpabant, Sanctum, inquam, illum Bonifacium Papam (nam inter Divos à Catholicis meritò colitur) nunquam usurpasse, sicut neque Successores ipsius, quod tamen poterant, titulum illum *Universalis Episcopi*, sed satis habuisse Antichristianam illam superbiam, ut S. Gregorius nominabat, Patriarchæ Constantinopoleos fuisse repressam. Unde planè pueriliter Vedrosi⁹ (usurpo phrasin Vedrosij, quo prior ipse non semel contra D. Georgium utitur) pueriliter, inquam, pag. 36. tum totus propè grex Lutheranorum & Calvinistarũ, in Romanos Pontifices, velut in Antichristos, illud ejusd. S. Gregorij ex epistola ejus 34. lib. 4. detorquent: *Turpe valde est*, scribit Sanctus, *ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coëpiscopus meus* (Joannes Patriarcha Constantinop.) *solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac ejus superbia, quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi tempora designantur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum Legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere dicens: super astra Cæli exaltabo solium meum, ero similis altissimo?* Isa. 14. Hæc omnia Vedrosius, & gregales ipsius, ut dicebam, quasi de Romanis subsecuturis Pontificibus, prophetico velut spiritu, à S. Gregorio scripta essent, in eosdem detorquent, & mirificè hoc Gregorij dicto, itémque altero, quod Vedrosius quoque dictâ pag. citavit, triumphant. Sed quàm putidè & imprudenter! Primò enim verba hæc Gregorij omnia, unicè tendunt contra fastuosum illum Joannem Patriarcham, quem Luciferi imitatorem, & Antichristi velut Præcursorem facit, quod contra omne fas sibi titulum Oecumenici,

XIV.

S. Gregorij M. sententia inscitissimè torquetur in Rom. Papam ceu Antichristum.

ſive univerſalis Epiſcopi rapuerit. in quem omnia d &a S. Gregorij, unicè tendunt. Quid hoc autem ad ſucceſſores S. Gregorij, & nominatim ad Bonifacium III. virum probum & ſanctum? Si Antichriſtum ergo, vel ejus certè præcurſorem ex his S. Gregorij verbis exſculpere omnino vultis, non ex Bonifacio, ſed Joanne Conſtantinop. Patriarcha, ejuſque ſimilibus exſculpendus vobis erit.

XV. Sed neque is propterea Antichriſtus erit. plura longè ad Antichriſtum & Daniel propheta, & Paulus ac Ioannes Apoſtoli requirunt. Deinde vel in ſpeciem diceretis aliquid, & argumento à pari uteremini, ſi Bonifacius, aut ſucceſſores ejus hunc titulum *Vniverſalis Epiſcopi*, ijs à Græco Imp. adjudicatum uſurpaſſent. At neque ipſe, neque Succeſſores ipſius ad hanc uſque diem ſicuti potuiſſent, uſurpaverunt, ſed humilitatem ſecuti ſæpe jam memorati S. Gregorij, quò omnem invidiam & calumniam declinarent, ab eo penitus abſtinuerunt & in vicem ſubſtituerunt illum modeſtiâ pleniſſimum: *Servus Servorum* DEI (quo certè Antichriſtus non utetur) quo hodieque utitur Pater noſter Sanctiſſimus, Clemens X. in Bullis & Brevibus ſuis: *Clemens Romanus Epiſcopus, Servus Servorum DEI.* Sed neque Anteceſſores S. Gregorij facilè, imò teſte ipſo Gregorio, l. 6. ep. 194. nullus eorum, tam odioſo vocabulo (*Epiſcopi univerſalis*) uti conſenſit. Si ergo neque Anteceſſores, neque ſucceſſores S. Gregorij titulum ſibi iſtum uſurpaverunt, (ut maximè potuiſſent) quò clamores veſtri, ô Calviniani? quò vociferationes veſtræ, ô Lutherani, ex hoc Gregorij loco ex Romanis Pontificib⁹, qui S. Gregorium ſunt ſecuti, vel Prodromos Antichriſti, imò Antichriſtos ipſos, multò adhuc majori inſaniâ, exſculpere nitentium? Quis verò non videt, imò palpat etiã, quò omnia veſtra hæc tendant? Quam enim ob cauſſam aliam id tantopere laboratis, ut Primatum & Principatum ſuper omnes & Eccleſias & fideles, Papæ, velut Antichriſto, abrogetis, quàm ut omne ipſius Apoſtolicæ Sedis Iudicium hoc pacto à vobis amoliamini? ſi enim Primatum in Eccleſia obtinet, ſupremus cauſſarum eccleſiaſticarum, ad fidem præcipuè pertinentium, Iudex, & ſic veſter quoque Iudex erit, qui de veſtra doctrina nova pronuntiare ha-

ne habeat. Hoc vobis autem molestum, hoc intolerabile videtur. Nam si ad judicium ventum fuerit, damnabit novitates vestras, uti jam pro officij sui munere egit, meritóque tanquam *profanas novitates*, ut loquitur Apostolus, damnavit. Hoc dolet. huic dolori remedium quæritur; nec aliud invenitur, quâm ut omnem Primatum, & eminentiam Apostolicæ Sedis supra Ecclesias alias, atque fideles, eidem negetis, & quà potestis, per mille etiam falsa, præcipuè autem per confictam de Antichristo calumniam abrogetis. Nimirum omnis reus, quocumque potest modo, contra Iudicem, à quo sibi timet, excipit, & quantum à se est, à Iudicario solio suo eum excutit. Hoc unum ergo proficitis, ut demonstretis orbi, qui sitis, scilicet ij, qui Iudicem nullum aut vultis, aut potestis pati, quod omnes mali sibi conscij rei, si queant, faciunt. Ideo, nec aliam ob caussam, Acephalam quoque, id est, nullo Capite, nullo Iudice, nullo arbitro præditam Ecclesiam facitis. Ideo & Patres omnes, & Doctores Ecclesiæ, ubi vobis contrarij sunt, à suffragio dicendo removetis. Ideo denique scripturam sacram, eámque solam admittitis, & in solio Iudicis sacri collocatis. Cur autem? Quia ipsa per se muta est, & pro neutra parte clarè pronuntiat. Talem scil. Iudicem vultis, sanctissimum quidem, sed mutum, qui vos nunquam damnet. En ulcus vestrum, en caussam, cur loquenti Iudici, sive Pontifici summo; sive etiam Concilijs ab eodem convocatis, quæ totam Ecclesiam repræsentant; sive SS. Patrum consensui, qui & ipse loquens est Iudex, omnem auctoritatem, quantum à vobis est, detrahatis, & denique post omnia ad privatum vestrum spiritum omnia referatis, id est, ut S. Bernardus alicubi loquitur, *stulto Magistro* vos discipulos subdatis. Stultus enim magister privatus Spiritus est.

Cur ex Papa Antichristum facere tantopere laborent.

Ulcus aperitur.

Judicem nullum volunt ut omnes rei solvent.

XVI.

Ne tamen in tam necessario puncto quidquam sine responso prætereamus, alibi succinctiores futuri, etiam respondendum erit ad ea, quæ contra Primatum Romani Pontificis ex Ænea Sylvio, qui post & ipse Romanus Pontifex Pij II. nomine fuit, à Vedrosio nostro pag. eâdem allata sunt ex epistola ipsius

Alia Vedrosius argumenta contra Primatũ Romanum.

ipsius 188. ad Martinum Meyerum data, & sunt ista. *Ante fuerunt tempora* (scilicet ante Concilium Nicænum) *quibus sibi quisque vivebat, & ad Ecclesiam Romanam parvus habebatur respectus. Condebantur Canones invito Episcopo Romano &c.* Ita Vedrosius ex Silvio. Quæso te, Vedrosi, quâ fronte ausus es epistolam hanc Æneæ Silvij ad Meyerum datam contra primatum Papæ allegare, quæ tota est pro illo, tota contra vos? Ita enim epistola illa ad Meyerum incipit; quam apparet te nunquam legisse.

Reipsâ verò contra ipsū Vedrosium.

Ex Ænea Silvio.

Sunt nonnulli nationis tuæ homines (id est, Germani) *quibus Romani Pontificis auctoritas neque necessaria videtur, neque à Christo instituta. Contra quos hanc epistolam scribere, & tibi transmittere decrevimus, ut si quando tales homines te adierint, habeas ex nobis quo gladio temeritatem eorum confodias.* Hæc Silvius: Ecce temeritatis omnes illos accusat, quibus *neque necessaria videtur Romani Pontificis auctoritas, neque à Christo instituta*; quos inter & Vedrosius est. Quid ergo te juvat hæc epistola Silvij? imò magnopere obest, & turdus hîc sibi ipsi malum ac perniciem excernit. Quæ autem ex eadem epistola affers, quòd *ante Concilium Nicænum parvus habitus sit ad Romanam Ecclesiam respectus*, dolendo, non approbando dicit; quod tamen studiosè dissimulat Vedrosius. Hodie quoque, mi Vedrosi, ita loqui indolescendo possumus. Habetur exiguus, & heu! nimis exiguus ad Divinam ipsam majestatē, & mandata ipsius respectus, eâ invitâ, imò invitissimâ, plurima geruntur &c. Sed an probamus his verbis facta hæc? imò impensè dolemus. Ad eundem modum verba Pij II. Pontificis interpretare. Itaque neque Silvius tibi ad propositum tuum patrocinatur, neque Gregorius Magnus Papa, neque Phocas Imperator, neque Concilium Carthaginense VI. &c. aliò ergo te verte, si fortè res meliùs succedat. Et vertit se aliò Vedrosius, & cum eo Apologista.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Consonantia in origine prima, & institutione Primatûs Romani assignanda.

VIdimus hucusque in ruborem dari adversarios nostros, quotquot negant Romani Pontificis Primatum, si de facto, sive de eo, quod revera accidit, quæstio sit. Sexcentis enim testimoniis, etiam ex antiquitate ostendi potest, & ostensum ijs est, ab antiquissimis temporibus Romanos Pontifices Primatum reipsâ obtinuisse. Unde denique sapientiores Adversarij id non negant, sed potiùs de Jure, quo obtinuerint, disputant, negántque id tantùm, Pontifices eum Iure divino obtinuisse, sed solùm humano: sive à Conciliis Generalibus, unum sibi caput ad concordiam sanciendam, & cavenda schismata, & quidem Romanum Pontificem, ob eminentiam Urbis & Sedis illius deligentibus (uti facit Nilus Græcus & schismaticus Episcopus) sive ab Imperatoribus, quorum præcipuus fuerit Phocas Imperator, de quo jam vidimus id imperitissimè dici, cùm multò ante Phocæ tempora, imò & Valentiniani, Pontifex Romanus Primatum & obtinuerit, ut vidimus, & exercuerit; imò etiã ante omnia Concilia Generalia, uti latè ostendi potest. Unde nunc nos Catholici ulterius ita ratiocinamur. Si nullus itaque auctor, sive collator assignari ab adversarijs potest hujus Romani Primatûs ex hominum numero, neque Cæsarum, neq; Episcoporum in hac re conspirantium, neque Cardinalium eligentium, cùm ante omnem Cardinalium institutionem viguerit jam iste Primatus: si etiam nullum omnino tempus assignari potest, quo cœperit (nam tempora Bonifacij III. sub annum primùm 603. assignare stultissimum est) cùm quolibet tempore assignato, demonstrari queat, anteriorem, & antiquiorem illo tempore Primatum hunc esse: restat ut ad Christum D. sapientissimum suæ Ecclesiæ Ordinatorem, ac velut Architectum, & ad

Num. I.

Sapientiores Adversarij concedunt Romanis Pont. Primatum, de facto.

Negant de Jure.

Probatur esse de Jure & quidem divino.

Et à Christo immediatè obtento.

ad ipsa Christi tempora veniamus, ipsámque Domini institutionem, nolentis alio, quàm perfectissimo, id est, Monarchico Imperio sacro, Ecclesiam suam gubernari, in quem finem ex omnibus suis fidelibus delegerit unum, qui Caput esset visibile omnium Ecclesiarum atque fidelium. Delectum autem ad hoc, asserimus nos Catholici omnes, S. Petrum Apostolum, & qui ei mortuo in Apostolica Cathedra legitimè successuri erant. Et vel civiliter, sive Politicè rem considerando, sapientissimè hæc omnia dicuntur. Supra omnem autem Politicam sapientiam, ipsa Sapientia, Christus, Ecclesiæ suæ prudentissimus Ordinator, ceu terræ cœlum eminet. Quid enim si Sapientia ista æterna Corpus suum Ecclesiam sine Capite; Arcam suam, extra quam nulla est salus, sine suo Noë, navem scilicet sine gubernatore; Militantem Ecclesiæ Exercitum sine supremo Duce; ovile denique suum sine supremo Pastore reliquisset, quid, inquam, futurum erat? An non verissimum hîc quoque vernaculum verbum illud vetus valuisset? bey vilen Hirten wird übel gehütet. Quod adversaria pars Acephala scil. & capite orbata, satis experitur. Quin & malo suo docta, tam non potest carere Primatu & Principatu summo ecclesiastico, ut pueros quoque ac feminas pro Capitibus Ecclesiarum suarum, loco Summi Pontificis, in virorum defectu recipiant ac venerentur. Advertis opinor, Vedrosi, quo tendam. In Anglia enim, ubi flos Calvinismi vestri, an non Eduardus puer, post Henricum VIII. Rex Angliæ, pro Capite Summo Ecclesiæ vestræ agnitus est? post illum autem Femina (ò pudor!) Elisabetha? Tam necessarium vos ipsi quoque Primatum existimatis. Sed ad propositum.

Qui Ecclesiam suam sapientissimè ordinavit per Monarchicum Regimen.

Propudium in Regimine Reformatorum.

Hanc institutionem Primatûs S. Petri, & successorum ejus, à Christo D. provenientem, & Matthæi cap. 16. nobis revelatam illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: probat D. Georgius Documento V. pag. 26. ex suo S. Augustino, adducto Augustini loco, & mente ex epist. ejus 165. (non 164. ut mendosè habet margo Vedrosianus) ubi S. Doctor ita scribit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus*

II. Probatur Primatus ex c. 16. Matt. Tu es Petrus.

rendus est, quanto certiùs ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait (Matth. 16.) *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* quibus verbis indicat Sanctus, per Petram Petrum Matth. 16. per illa verba: *Super hanc Petram &c.* intellectum fuisse; qui sensus communis fuit, ab initio Ecclesiæ, multò maximæ partis Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, à quo neque S. Augustinus recedere voluit; etsi alibi sensus quoque alter, per petram Christum ipsum intelligens, Augustino non displicuerit, de quo paulò pòst.

Quomodo hunc locũ Matth. 8. August. intellexerit.

Poterat Georg. noster, nisi brevitati studuisset etiam alterum ex S. Augustino suo non minùs illustre testimonium adferre, scil. serm. 15. de Sanctis, ubi ita loquitur: *Petrum itaq. Fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit* (scil. Matth. 16.) *& ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.* poterat & tertium adferre ex illo psalmo S. Augustini contra partem Donati: *Numerate* (scribit Sanctus) *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri. Ipsa est Petra* (scilicet Sedes Petri) *quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Arrige ad hæc verba aures, Vedrosi, cum gregalibus tuis. Non vincis, teste Christo, & interprete Christi Augustino. Poterat insuper D. Georgius plurima alia vetustissimorum Patrum loca adducere, (quod ego ipsius loco hîc facio) qui illa verba Domini: *Super Petram ædificabo Ecclesiam meam:* non de Christo, ut adversarij volunt, sed de S. Petro interpretati sunt, ad eum prorsus modum, quo hodiéque Romana Ecclesia interpretatur. Inter hos ita interpretantes hunc locum sunt sexcenti illi Patres in Concilio Chalcedonensi collecti, qui Actione 3. respicientes ad hunc locum Matthæi, S. Petrum appellant: *Petram & Crepidinem* Ecclesiæ Catholicæ. His sexcentis Patribus, si sufficere fortè alicui (& cui illi?) non videantur, accedant ex Oriente & Occidente illi, qui peculiari prærogativâ, pro Doctoribus & Columnis Ecclesiæ habentur, qui omnes, uno ore, & calamo per Petram (Matth. 16.) S. Petrum intelligunt.

Quomodo 600. Patres Concilij Chalcedonensis.

S. Joannes Chrysost. hom. 55. in Matth. Tom. 2. mihi pag. 403. editionis Parisiens. 1570.

 S. Gre-

stropham, non alterius, quàm S. Ambrosij, testatur ipsemet S. Augustinus l. 1. Retract. c. 21. ubi hæc ipsa verba citat.

S. Hieron. S. August.

Sequitur S. Hieronymus, D. Ambrosij coævus, in cap. 16. Matth. S. Augustinum jam supra produximus.

S. Gregori Magnus.

Denique S. Gregorius, octava illa Ecclesiæ Catholicæ Columna, supra Fundamentum Petri ædificata, l. 6. Registri sui, epist 37. ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum.

Qui quidem omnes, cùm peculiari prærogativâ, & à Græca, & Latina Ecclesia pro Doctoribus Ecclesiæ, totiúsque orbis Christiani Magistris sint recepti, agite, & decedite, oro, de via, vos discipuli è Calvini, Lutherive schola.

Loquentibus Magistris decet tacere discipulos.

Pro Catholica ergo sententia, próque S. Petro Apostolo, seu Fundamento, & Petra Ecclesiæ, stare vides, mi Lector, plures sexcentis Doctoribus antiquissimis. Quod si tibi, aliisve, hi non sufficiant, quid vobis sufficere poterit? Nobis Catholicis ita sufficiunt duo, trésve ex his, ut si ab adversariorum parte ac sensu, ter quatérve sexcenti neoterici constiterint, nobis nec pro uno quidem tali futuri sint.

Huic tantorum Patrum expositioni quid opponat D. Vedrosius, nunc audiamus. talia certè quæ majori honore suo reticuisset.

D. Vedrosij oppositiones & Apologistæ Responsiones.

V. Oppositiones D. Vedrosij, & calliditas ejusdem.

PRimùm siluit studiosè & non incallidè D. Vedrosius, quæ D. Georgius pro hac Catholica expositione, etiam ex ipso Calvino & Bullingero, Reformatæ suæ Ecclesiæ, ut putant, columinibus pag. 22. attulit, quorum uterque non negat complures ex Græcis & Latinis Patribus illa verba Domini: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: more Catholico interpretatos esse, & per Petram, cui Ecclesia inædificata sit, non Christum, sed Petrum intellexisse.

Hæc, inquam, siluit. pòst irreverenter eorum interpretationes,

nes, qui per Petram volunt Petri personam intelligi debere, pag. 37. vocat *detortam Glossam.* quid ais, Vedrosi? Athanasius, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, & quos alios ex SS. Patribus sic interpretantes paginâ superiori attuli, *torserúntne*, ac in alienos & Spiritui Sancto contrarios sensus Scripturas violentè traxerunt? hæc enim sunt *detortæ glossæ.* Malè ergo auspicaris à convitio Sanctorum, refutationem tuam.

Deinde opponit S. Scripturam, in hoc videlicet Calvino suo suppetias laturus, qui ait Instit. l. 4. c. 6. sect. 6. ut eum citat D. Georgius noster pag. 26. *Patrum expositioni reclamare totam Scripturam, & sic eorum auctoritatem adversus Deum prætendi.* quod idem ait Bullingerus. Quæ itaque est illa Scriptura, quæ reclamat Patribus? Unicum Scripturæ locum affert Vedrosius ex S. Paulo, 1. Cor. 3. v. XI. ubi S. Apostolus habet hæc verba: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS.* eundem locum affert Calvinus. Vnde infert Vedrosius, huic Scripturæ repugnare illos, qui S. Petrum statuant *fundamentum Ecclesiæ*, dum *fundamentum* statuunt *aliud* præter JESVM Christum. Ita Vedrosius: Contra quærit Apologista. An igitur & ipse Paulus Paulo, & scripturæ huic suæmet repugnat? Repugnat sanè, si hæc argutatio Vedrosij quidquam valet. Nam ipse Paulus alibi aliud ponit fundamentum Ecclesiæ præter Christum, in quo utique errat Vedrosio. Ita enim loquitur ad fideles omnes, qui Ecclesiam constituunt, ad Ephes. 2. *Superædificati estis, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Repugnabit etiam S. Ioannes Apostolus Scripturæ, qui Apoc. 21. ponit Fundamenta 12. Ecclesiæ, & per ea Apostolos designat. Quàm ergò improvidè hoc objicis, Vedrosi! Sancti itaque Patres ponentes ex 16. Matth. Petrum, ceu Fundamentum Ecclesiæ, & ut talem magnificè laudantes, tam parum repugnant scripturæ sacræ, quàm parum Paulus sibi ipsi, & S. Ioannes Paulo repugnat. Intelligunt enim non de fundamento primario, quod utique est Christus, sempérque manet; sed de fundamento secundario, quod est ex verbis ipsius Christi

D. Vedrosius S. Paulum, S. Joannem, SS. Patres quasi sub ferulam vocat.

S. Pe-

S. Petrus; & quidem peculiari, & altiori modo, quàm Apostoli reliqui, ut paulò pòst ex S. Hieronymo ostendemus.

VI. Opponit alios SS. Patres.

Tertio loco opponit alios Patres, qui per petram non ipsum Petrum, sed confessionem, & fidem Petri intelligunt, super quam Ecclesia ædificetur, ut sunt S. Ambros. Hilarius, Leo Papa, Basilius Seleuciensis, & Theophylactus. hos enim solos citat.

Sed frustra.

Respondet Apologista, Dudum hoc argumentum præclarè, hoc modo, solvit Card. Bellarm. l. 1. c. 10. de Rom. Pontif. Cùm aliqui Sancti Patres, iique numero multò pauciores, docent per Petram, confessionem S. Petri intelligi, nihil prorsus diversum docent ab iis, qui per petram ipsum Petrum intelligunt. Nam fides Petri, utique aliquid Petri est. Super hanc autem fidem Petri, quæ deficere, juxta aliud Christi oraculum, non potest Luc. 22. ædificavit Christus Ecclesiam suam, non verò super aliam fidem, aut fidem in communi, & sine relatione, ut Bellarminus loquitur, ad ipsum Petrum. Idem igitur est, ac si Patres isti dicant: Super Petrum fidelem, & nunquam in fide defecturum ædificabo Ecclesiam meam. Nam quod deinde lapsus est Petrus, non amissæ fidei, sed infirmitatis animi lapsus fuit, ut multi SS. Patrum explicant.

VII. S. Augustinum pro se citat.

Quartò opponit S. Augustini locum ex serm. 13. de verbis Dom. & eo mirificè triumphat, non tantùm ante victoriam, sed planè victus, & doli mali in adducto hoc Augustini loco convincendus. Nam S. Augustinus eo loco interpretatur quidem omnino verba illa Christi ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: non de Petro, sed de Christo, inducens Christum ita loquentem Petro: *Super hanc Petram, quam cognovisti*, dicens: *Tu es Christus filius DEI vivi: ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. Verba*, inquit Vedrosius, *Solis radiis scripta!* Sed cur retices, quod ibidem addit Augustinus & fatetur, se alibi hæc eadem Christi verba non de Christo, sed de Petro interpretatum fuisse, quod in eo, tanquam in Petra, fundata sit Ecclesia? cur

etiam siles, quod extremo loco adjicit: *Harum autem duarum sententiarum*, inquit S. August. l. 1. Retractat. c. 21. *quæ sit probabilior, eligat Lector?* Ecce ut non inhæreat sensui suo modestissimus Doctor, sed eligendi faciat potestatem, utramque sententiam probabilem esse confessus. Ego bonâ S. Augustini veniâ eligo communem illam SS. Patrum, quæ hæc verba Christi: *Supra hanc petram &c.* non de Christo, sed de S. Petro, vicario Christi, interpretatur; quam & hodie S. Augustinus amplecteretur, si viveret, uti Bellarminus rectè admonet; cujus dicti caussam vide apud eundem l. c. atque ita verba quidem S. Augustini sunt *Solis radiis scripta*, sed dolo Vedrosiano turpiter obtenebrata. Et ecce dolum nectit dolo pag eâd §. *Sed ponamus &c.* ubi asserit Bellarminum l. 2. de Pontif. c. 17. ita loqui: *Licet fortè non sit de Iure divino Romanum Pontificem, ut Romanum Pontificem, Petro succedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinet.* Hæc autem verba, vel etiam sensum horum verborum, toto illo capite decimo septimo, quod citat, nullibi reperio, etsi in Vedrosij gratiam bis terve perlegerim. imô penitus contrarium scribit statim initio dicti capitis his verbis: *Atque hactenus ex Divino Iure, ex Generalibus Conciliis &c. ostendimus Romani Pontificis ecclesiasticum principatum &c.*

Citat autem infideliter.

Dolum infidelitati jungit.

Falsò citat Card. Bellarminum.

VIII.

Iterum falsum obtrudit Vedrosius.

Quinto loco opponit, æqualem in omnibus Apostostolis potestatem, ut adeò nefas sit, primatum D. Petro asserere. Verba Vedrosij sunt: *Quæcumque elogia sacra scriptura, vel prima vetustas Petro tribuit, eadem, vel æquivalentia tribuit reliquis Apostolis, in primis Paulo.* Utrumque falsum est, mi Vedrosi, & quæ de scriptura hic asseris, & quæ de prima vetustate. Nam scriptura quidem refert de S. Petro illa verba Christi ad Petrum: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Vbi autem ulli ex Apostolis reliquis ita locutus est Christus? Item, Scriptura refert Christum Dominum ita allocutum fuisse Petrum: *Tu es Petrus* (vel quod idem est ex Hebræo & Græco: *Tu es Petra*) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæro hic rursum: Quando unquam Servator noster simile quid ad ullum apostolorum præter D. Petrum locutus

cutus

cutus est? falsum itaque est, quod ait Vedrosius, eadem, vel æquivalentia tribuere scripturam elogia reliquis quoque Apostolis, quæ tribuerit Petro. falsum quoque est alterum, quòd pares honorum titulos tribuat sacra illa vetustas reliquis Apostolis, quos tribuit Petro. Quem enim alium Apostolum in particulari appellant *Fundamentum, Petram, Crepidinem Ecclesiæ &c.* Sicuti paulò ante vidimus S. Petrum, & Successores ejus à sexcentis illis Episcopis Synodi Chalcedonensis, item Athanasio, Basilio, Chrysostomo &c. appellatos fuisse? quâ enim auctoritate thesin suam probat Vedrosius? Adducit S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum ita scribentem: *Super Apostolos ex æquo solidatur Ecclesiæ fortitudo.* Si *ex æquo*, utique nihil supra reliquos Apostolos eximium habuisse S. Petrum inferre parat Vedrosius. Ecce mi Lector. Tenemus rursus vulpinantem Vedrosium, & infideliter citantem S. Hieronynum, quasi is diceret hæc ex proprio sensu & sententia, *Ecclesiæ fortitudinem ex æquo super Apostolos solidari*, atque adeo Petrum supra reliquos Apostololos nihil habere eximij; cùm tamen istud S. Doctor per modum duntaxat objectionis ab adversariis ingestæ proferat, quam Catholicè continuò solvit. Ipsa verba Hieronymi non mutilata sic habent: *Sed dicis: super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Audi nunc quemadmodum Hieronymo ipse respondeat Hieronymus & argumentum per modum objectionis allatum solvat ipse lib. eod contra Iovin. *Licet*, inquit, *super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto NB. Schismatis tolleretur occasio. Hæc Hier.* ubi apertissimis verbis S. Petrum *Caput* facit, & appellat Ecclesiæ; qui ex omnibus reliquis *unus* & solus electus à Christo sit, ut *Caput* esset ceterorum, *quò omnis occasio schismatis tolleretur*, si plura scilicet Capita, æqualem Iurisdictionem habentia, Ecclesiam gubernarent.

Iterum infideliter citat S. Hieronymum.

S. Hieronymus in hoc ipso loco vel maximè stat pro Primatu Romano.

Rursus itaque in confusionem potius suam & suorum, hunc S. Hieronymi locum adducit Vedrosius, quàm in adjumentum caussæ suæ.

Idem

IX. Mutilatur etiam locus S. Cypriani, qui maximè pro Catholicis facit.

Idem prorsus respondendum est ad locum illum S. Cypriani, quem affert pag. 39. qui Locus, si non mutiletur (uti eum mutilavit Vedrosius, sanè non laudabiliter) maximè pro nobis est, & contra Vedrosium. Ita autem habet integra sententia S. Cypriani, in libro de Simplicitate Prælatorum (aliter, de unitate Ecclesiæ) mihi pag. 254. Edit. Pamel. de anno 1568. unde & exscribo.

Dolis non stabilitur Religio.

Hoc erant utique & reliqui Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis. Sed exordium ab Vnitate proficiscitur: Primatus Petro datur (NB. PRIMATVS) *ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.* Quid clariùs, obsecro, dici de Primatu S. Petri ab ullo Sanctorum potuit? Tu verò cur priorem solùm partem sententiæ ponis, posteriorem rursus reticces, sine qua tamen prior penitus manca est? Nimirum illud Poëtæ tibi usurpas: DOLVS, *an virtus, quis in hoste requirat?*

Somnolentia D. Vedrosij in citando S. Clemente.

Imò tam jejunus est hoc loco bonus iste vir Vedrosius, ut etiam citetur ab ipso epistola S. Clementis Papæ ad S. Iacobum Apostolum; quam si ego citassem, vel Catholicorum alius, meritò nos Vedrosius effusissimè rideret. In illa enim epistola significatur Iacobo Apostolo mors S. Petri Romæ obita, cùm tamen constet omnibus historiæ gnaris, multò ante Sancti Petri obitum, vitam martyrio finiuisse Sanctum Iacobum Solymis. Scripta est itaque ad mortuum epistola illa, utique in cœlum. Apocrypha ergo epistola est, quam citat, quod ignorare vir doctus non debebat, multò minus cum dispendio famæ suæ inde argumentum sumere. Sed quid agas, cùm alia non suppetunt? Nec hilo aut meliora, aut efficaciora sunt, quæ pag. 39. & pag. 40. contra Primatum Romanum. 1. ex S. Cypriano. 2. ex S. Hieronymo. 3. ex S. Chrysostomo. 4. ex S. Basilio. 5. ex Sidonio Apollinari contra dictum primatum opponit, sed in detrimentum caussæ suæ. Nam quæ ex S. Cypriano, & S. Hie-

X. ronymo attulit, indicant aut famere bonum Vedrosium, aut eruditos Lectores famelicos credere, utpote qui recoctam toties

crambem

crambem recoquat. uterque enim hic Locus scilicet S. Cypriani & S. Hieronymi ante centum propè annos â vobis objectus, â Bellarmino sub annum 1577. dissolutus jam est, uti legere poterit Vedrosius apud eum l. 2. de Rom Pont. c. 16. §. *At objiciunt Adversarij &c.* & utique legit, sed dissimulat. ad alterum locum S. nimirum Hieronymi, idem Cardinalis solidè, & cum confusione adversariorum respondit libro & capite ijsdem, §. *Secundò objicit &c.* unde actum agere nolui, cùm Bellarmini hic liber obvius sit, & â Vedrosio non rarò citetur.

Ad loca S. Cypriani & S. Hieronymi jam ante annos propè centum est responsum.

XI.

Locum S. Chrysostomi, ex homil. quæ est de S. Ignatio Mart. quod attinet, & fraudem manifestam committit Vedrosius, & minus nihilo probat. Verba Vedrosij hæc sunt: *Antiochenam Ecclesiam toti Orbi æquipollere Chrysostomus dicit, homil. de laudibus Ignatij.* Atqui sanctus hic nec verbum habet unicum de Antiochena Ecclesia, sed de civitate Antiochia. ita enim loquitur in Editione Paris. Frontonis Ducæi, quæ est anni 1609. pag. 567. in homilia 42. circa med. unde exscribo. nam in antiquioribus editionibus non reperitur. *Præcipua,* inquit, *DEO hujusce Civitatis cura fuit, id quod & reipsa declaravit* (Antiochenam Civitatem intelligit.) *siquidem eum, quem toti orbi terrarum præfecit, Petrum NB. cui claves cælorum dedit, cujus arbitrio & potestati cuncta permisit, hunc ibi* (Antiochiæ) *longo tempore jussit commorari: & sic, ipsi* (Petro) *Civitas nostra* (Antiochia) *universo orbi est æquipollens:* vel ut Ducæus vertit: *universo orbi ex altera parte respondet civitas nostra.* Græca sic habent: οὕτως αὐτῷ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἡ πόλις ἀντίῤῥοπος ἡ ἡμετέρα. Vbi primùm quidem adverte, Lector, non de Antiochena Ecclesia, sed de urbe loqui Sanctum, contrà ac Vedrosius parum fideliter proponit. Adverte secundò Chrysostomum de illo tempore loqui, non quo Martyr Ignatius, sed quo S. Petrus, Apostolorum Princeps & Caput, Antiochiæ & versatus est, & totam inde Ecclesiam moderatus, ita ut hæc omnia encomia non S. Ignatio, particulari Episcopo, sed universali, S. Petro conveniant. Adverte tertiò, nihil potuisse contra se, & suos validius ex antiquitate producere Vedrosium,

Infidelitas Vedrosij in citando S. Chrysostomo,

& simul imprudentia.

drosium, quàm hunc ipsum Chrysostomi locum, qui Primatum S. Petri clarissimis verbis adstruit, quem tamen cœcus in hoc Vedrosius ex hoc loco destruere parabat. Quid facias huic viro? quid consilij des? sensum autem verborum, quæ in græco quoque ipso sat obscura sunt, hunc, salvo aliorum judicio, esse reor. Idem Petrus, qui fidelium orbi universo præsedit, etiam urbi nostræ pari solicitudine longo tempore præfuit, quamdiu scilicet Antiochiæ est commoratus, & secundam ibidem Cathedram posuit (nam prima Solymæa erat) & sic orbi toti velut æquivaluit urbs nostra. Sed quidquid sit de sensu verborum, quæ clara satis non sunt, illud constat, parum fideliter, parúmque prudenter hunc locum contra se à Vedrosio adductum.

Sensus verborum S. Chrysostomi.

XII. Alterum locum S. Chrysostomi, ex homil. 3. ad Pop. Antioch. magis adhuc fœdavit, & planè corrupit famæ suæ nimis quàm prodigus Vedrosius. Nam quod verum est, reticere hîc non possum, aut adversario in præjudicium Catholicæ parcere. Verba S. Chrysostomi primò ponere placuit, dein Vedrosiana subjicere. Ita ergo Sanctus in dicta homil. 3. paulò post initium mihi pag. 44. editionis Paris. Ducæanæ. *Novit ille planè* (hoc est Flavianus Episcopus ad Imperatorem eo tempore Legatus pro Antiochenis) *quòd non pro una sibi nunc civitate negotium est, sed pro Oriente toto. Civitatum enim sub oriente positarum CAPUT, & Mater est Civitas nostra.* hæc verba Chrysostomi sunt. Verba autem Vedrosij ista: *Chrysostomus* (inquit pag. 40.) *totius orbis Caput vocat eam* (scilicet Antiochenam Ecclesiam. hanc enim appellat istud: EAM: ut legenti patebit) Vides iterum, Lector, manifestam fallaciam, eámque duplicem. primùm enim non loquitur Chrysostomus de Antiochena Ecclesia, sed de urbe (*civitas*, inquit, *nostra.*) Dein nullo verbo facit eam, Antiochiam, dico, *totius orbis Caput*, quod tamen affirmare audet Vedrosius, sed solarum earum civitatum, quæ sub Oriente positæ erant (*civitatum*, inquit, *sub Oriente positarum Caput & Mater est civitas nostra* (Antiochia) & hoc verè dixit Sanctus. Erat enim à temporibus Alexandri Magni Asiaticarum, sive Orientalium civita-

Famæ suæ prodigus Vedrosius, dum

S. Chrysostomi locū alterum apertè corrumpit.

civitatum Caput, & Urbs regia Antiochia. Alterum verò sine mendacij nota dicere Chrysostomus non poterat, & Romæ Veteri injuriam per hoc irrogasset. Dixit autem Vedrosius.

XIII. Malè citatur Justinus Imperator.

Justini Imperatoris auctoritas, quam S. Chrysostomo subjunxit Vedrosius, nulla est. primùm enim non Justini, sed Justiniani est lex illa 24. quam citasti. inspiciendus tibi ipse Codex erat. deinde mera assentatio est, sibi & regnatrici tunc urbi suæ Constantinopoli blandientis, dum *Ecclesiam Constantinopoleos* appellat *omnium aliarum Caput.* ita autem non erat caput, ut non Romana solùm, sed & Alexandrina Ecclesia, & Antiochena eidem eminerent, uti gnaris historiæ notum est. Huic Imperatori omnes SS. Patres opponimus, quorum in hoc consentientium haud paulò major auctoritas est imò Justinianum ipsum, quem suprà adduximus pag. 50. nondum odio Sedis Apostolicæ imbutum, Justiniano jam imbuto opponimus.

S. Basilius Vedrosio nihil patrocinatur.

Sed nec Basilius Magnus, quem Justiniano subjungis, quidquam tibi patrocinatur, dum de S. Athanasio, uti tu perhibes, ita scribit. *Tu curam omnium Ecclesiarum geris non minùs, quàm tuæ.* Et quis Sanctorum Episcoporum hoc non facit, ut curam gerat omnium Ecclesiarum, imo qui non omnes omnino fideles per charitatem in corde suo velut inclusos circumferat? hoc solum, nec aliud S. Basilius dicere voluit. ubi verò hæc scripsit Basilius? cita locum, ut fides tua constet.

Sidonius Apollinaris ridiculè producitur.

Ridiculum verò est, quod post S. Basilium producit Sidonium Apollinarem l. 7. epist. ita alloquentem Trosan. Episc. Lupum: *Cùm sis, procul ambigo, primus omnium toto, quà patet, orbe, Pontificum.* Ego quoque, mi Vedrosi, *& procul ambigo*, & propè, an Lupus iste *primus* fuerit *omnium* per *totum orbem Pontificum*. credo teipsum risisse, cùm hæc exscriberes.

Pseudo-Chrysostomus pro Chrysostomo citatur, & contra te.

Denique verbis S. Chrysostomi concludere te scribis materiam hanc, ex homil. 43. Operis imperfecti. malè autem concludis. Nam liber inprimis non est Chrysostomi, uti satis notum est doctis. V. Bellarm. de scriptor. Eccles. Deinde sententia, quam citas, cujuscumque demum sit, nihil pro te, mul-

tum autem contra te facit. Ita enim habet: *Quicumque desideraverit Primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo.* hoc tibi dictum pro coronide puta, Vedrosi, qui passus es, non sine risu legentium, præfigi opusculo tuo gratulatoriũ carmen, in quo à Georgio Müllero vocatur Vedrosius: *Curiensis Episcopus orthodoxus.* Primatum tute quæris in terra, vide ne confusionem invenias in Cœlo.

Prolixus hîc præter morem fui, & quia res ipsa momenti erat maximi, & quia Vedrosius silvam hoc loco integram mirabilium artificiorum attulit, uti vidit Lector, quæ cædenda erat. Brevior posthac esse studebo.

CAPUT II.

De Sacramentis Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Consonantia in Septenario Numero, & virtute Sacramentorum.

SUMMARIUM.

I. Numerum septenarium Sacramentorum, & eorundem vim, conferendi gratiam, cum Veteri Ecclesia D. Georgius propugnat.

II. D. Vedrosius impugnat.

III. Contra impugnantem, propugnatorem D. Georgium Apologista defendit.

§. I.

De Numero septem Sacramentorum.

Posi-

Num. I. Sacramenta sunt septem.

POstquam D. Georgius sex Documentis demonstravit hodiernam Ecclesiam Romanam cum veteri illa sentire in ijs, quæ Romanum Episcopatum, & Primatum concernunt, frustra contra nitente D. Vedrosio, progreditur pag. 29. ad Documentum VI. quod est de Numero septenario Sacramentorum; deinde ad septimum, quod est de virtute Sacramentorum, & docet, idem, quod hodie de his credit Ecclesia Romana, credidisse & veterem, scilicet plura dari Sacramenta, quàm duo; eáque gratiam ex seipsis conferre.

Prius, de numero scilicet septenario Sacramentorum, more suo probat hac ratione ex S. Augustino suo D. Georgius.

Baptismus & Eucharistia extra controversiam sunt.

I. S. Augustinus pro vero Sacramento Ecclesiæ agnovit baptismum, quod nec Adversarij negant.

II. Agnovit & Eucharistiam, sive Cœnam Dominicam pro Sacramento novæ legis, quod ipsum etiam non negant.

II. Sed & Confirmatio agnita est pro Sacramento à S. Augustino.

III. Agnovit Sacramentum Confirmationis sive Chrismatis, ita quidem, ut illud omnino æquiparet ipsi baptismo in ratione Sacramenti. Ita enim contra litt. Petiliani l. 2. c. 104. mysticè unguentum barbæ Aaronicæ ex Ps. 132. interpretans scribit Sanctus: *In hoc unguento Sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* quæ verba Sancti tam clara visa sunt etiam ipsi Vedrosio pro Sacramento Confirmationis, ut nec verbum quidem inveniret Vedrosius, quod opponeret. Igitur ad hunc quidem locum silet, ut piscis. Habemus ergo jam tria Sacramenta, quæ vetus Ecclesia cum S. Augustino agnovit & admisit. Veniamus ad quartum.

III. Item Ordo non secus ac Baptismus.

IV. Agnovit S. Augustinus Sacramentum ordinis. Id probat D. Georg. ex l. 2. S. August. contra epistolam Parmen. ubi disputans sanctus Pater contra eos Donatistas, qui de recedentibus à sua secta ita pronuntiabant, eos quidem baptismũ eo recessu non amittere, amittere tamen jus conferendi alijs baptismũ, id est, amittere Sacerdotij & ordinationis Sacramentũ, quod ijs jus tribuat baptizandi. Contra hos, inquã, ita cooritur S. August. *Multis,* inquit,

inquit, *modis apparet frustra & inaniter hoc dici. Primò, quia nulla ostenditur caussa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit.* Dat exinde hanc rationem. *Vtrumque enim*, inquit, *Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur NB. ideóq; in Catholica utrumque non licet iterari.* Ex Augustini ergo sententia, quando quis ordinatur (quo verbo hodiéque utitur Ecclesia orthodoxa) id est, quando sacerdotio initiatur, æquè sacramentum percipit, quàm cùm baptizatur. *Vtrumque*, ait, *Sacramentum est.* ubi vides iterum Ordinationem Baptismo ipsi in ratione Sacramenti æquiparari à S. Augusti. Atqui Baptismus verissimi nominis sacramentum est. Igitur & Ordinatio Sacerdotum, quod nos Germani rectè vocamus **die Priesterweyhe**. Contra hunc quoque tam apertum locum S. Augustini penitus mutus Vedrosius est.

IV. Item Matrimonium

V. Agnovit S. Augustinus sacramentum Matrimonij. Id probat pag. 31. D. Georgius longissimâ & clarissimâ sententiâ ex S. August. lib. de bono Conjugii, c. 18. & c. 24. ubi matrimonium quinquies Sacramenti nomine compellat. Ego tantùm extrema verba refero: *Bonum nuptiarum*, inquit, *ad populum DEI permanet etiam in Sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio interveniente, alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Ubi rectissimè S. Doctor indissolubilitatem matrimonij Catholici, consummati præsertim, sanctitati matrimonij, ut Sacramenti, cum omnibus Catholicis Theologis adscribit. Agnovit ergo quintum quoque sacramentum S. Augustinus. Hic quoque elinguis Vedrosius est, & silentio se tuetur.

V. Item Pœnitentia.

VI. Agnovit & sextum sacramentum *S.* Augustinus, quod ego addo, nec satis scio, cur D. Georgius omiserit. An quia hæc testimonia sufficere credidit? Pœnitentiam, inquam, sive potestatem clavium pro sacramento habuit *S.* Augustinus. Ter enim in suis scriptis, sicut de Confirmatione, & Ordine fecerat, conjungit Pœnitentiam, (quam *Reconciliationem*, more veterum, appellat,) cum ipso baptismo, & de eo, sicut de baptismo ipso

loqui-

loquitur. Primus locus est in l. 1. de adulterin. conjug. c. ult. ubi cum quæreret de catechumenis nondum baptizatis, ijs potissimùm, qui adulterinis conjugijs implicati essent, an in agone baptizandi essent, si per se ob vim morbi respondere non possent, affirmat baptizandos esse; & probat inde, quod etiam Reconciliatio, sive pœnitentia in tali necessitate constitutis, jam baptizatis, non negetur. Verba Sancti sunt: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est caussa, si fortè pænitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* quæ verba S. Augustinus nunquam protulisset, nisi Reconciliationem æquè pro Sacramento agnovisset, ac ipsum baptismum. Similia habet l. 2. itidem de conjugijs adulterinis, c. 6. ubi suadet, ut á læsa conjuge adulter denuo recipiatur, qui adulterium suum sive per baptismum, sive per pœnitentiam expiaverit. Verba ejus sunt: *Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel Pænitentiâ credimus esse Sanctos?* Ecce iterum ceu æquivalens peccati remedium ponit pœnitentiam & baptismum. Similia quoque reperies epist. 180. ad Honoratum, ubi rursus baptismum cum *Reconciliatione* conjungit, & eorum confectionem, *Sacramentorum confectionem* appellat, quæ â fidelibus in extremis periculis, v. g. irruptionibus hostilibus constitutis, expetantur. Et paulò pòst hæc tria, ceu Sacramenta conjungit, Baptismum, Reconciliationem & Eucharistiam. Loquens enim adhuc de extremo illo vitæ periculo, in quo fideles contingat deprehendi, ita scribit. *Si ministri adsint, alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.* Quàm autem ineptè diceretur Augustinus in medio, inter duo indubia sacramenta, ponere tertium non sacramentum, scilicet Reconciliationem, sive Pœnitentiam?

VII. Pro septimo Sacramento â Catholicis omnibus recepto, scilicet pro Extrema unctione non habemus expressum textum S. Augustini, ex indubitato libro Augustini, habemus tamen expressum testimonium talis ex Patribus, qui fuit coævus S. Augustini, & ipso Augustino major, uti Augustinus ipsemet VI.

met perlibenter fatebitur. Is est S. Innocentius I. Pontifex, Romanus cujus doctrinam Sanctus Augustinus non uno loco commen dat, atque reverenter recipit l. 1. contra Julianum c. 2. uti & S. Hieron. & S. Chrysostomus. Hic autem Innocentius Episcopo Eugubino respondens, quærenti an Pœnitentibus publicis administrari possit extrema unctio, ita scribit: *Pœnitentibus istud* (Oleum scilicet sanctum) *infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Unde constat Augustini temporibus Oleum sanctum infirmorum, ut â Patribus appellatur, sive Sacramentum extremæ unctionis jam pro Sacramento esse agnitum.

Extrema unctio pro Sacramento veri nominis recipitur â coævo S. Augustini S. Innocentio.

Aliud quoque manifestum testimonium, quod plura agnoverit Sacramenta, quàm duo, affert pag. 29. Georgius noster ex eod. August. in Psal. 103. ubi S. Doctor ita loquitur. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in Cæteris Sacramentis, quale munus est?* Quis non clarè perspicit ex his verbis S. Doctoris, eum plura agnovisse Sacramenta, quàm Baptismum, & Eucharistiam? alias utique non addidisset: *In cæteris Sacramentis.*

Alius clariss. locus S. Augustini, plura, quam duo agnoscentis Sacramenta.

D. Vedrosij Oppositiones.

VII.

Vedrosius partim silet, partim infeliciter respondet.

AD hæc respondere conatur, sed reipsa nihil respondet D. Vedrosius pag. 40. in Examine Documenti VI. Inprimis enim ad ea testimouia clarissima, S. Augustini, quæ de Sacramento Chrismatis, sive Confirmationis, itemque Ordinis & Matrimonij D Georgius attulit, planè nihil respondet. Quid enim, obsecro, responderet ad hæc Augustini verba luce meridiana clariora? *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, SICUT IPSE BAPTISMUS?* Quid etiam ad illa de Baptismo & Ordine? *Utrumque Sacramentum est; illud cum baptizatur; istud cum ordinatur.* Silere hic securius utique est, quàm nihil ad rem respondere.

Ad unicum itaque testimonium Augustini in Psalm. 103. ad

ad illud scilicet: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris quale munus est?* Respondet quidem pag. 41. Vedrosius, sed infelicissimè. Ait enim per illa verba Augustini: ET CŒTERA SACRAMENTA, non intelligenda esse propriè dicta Sacramenta, sed alios Ecclesiæ ritus, eò quòd vox Sacramenti latè admodum pateat, ut si omnia pro sacramentis propriè dictis accipienda sint, quæ à Patribus Sacramenta vocantur, etiam lotio pedum, exorcismus, lacrymæ &c sacramenta vocanda sint; eò quòd hoc nomine nonnunquam à Patribus appellentur.

Secundo loco affert infirmissimum illud argumentum pag. 40. *Apud Augustinum*, inquit, *nusquam numerus apparet septenarius:* Ex Calvino autem ista: *Nusquam*, inquit Calvinus, *apud Ecclesiasticos scriptores numerus hic septenarius invenitur*. Ita Vedrosius. Futile argumentum Vedrosij contra Septenarium Sacramentorum.

Apologistæ Responsiones.

Hucusque contra Theologiam & historiam peccavit Vedrosij calamus, hic verò in prima sua oppositione contra ipsam etiam Grammaticam an non peccare tibi videtur, dum illa verba Augustini: *Et cætera Sacramenta*, audet ita, ingeniosè sanè, explicare, quasi non propriè dicta Sacramenta intellexerit, sed alios quosdam vulgares ritus? O te malum etiam Grammaticum. Quis istud: *Et cætera*, in eadem constructione positum, non de rebus generis ejusdem capit & intelligit? Exempli caussa, si dicam: Ita scripsit S. Matthæus, Marcus, & ceteri Evangelistæ: quis ita audeat interpretari, ut dicat, per ceteros Evangelistas non Lucam & Joannem, sed Polycarpum, & Ignatium, ac similes Joannis Evangelistæ discipulos significari? aut si dicam Leo, ursus, equus, & cetera quadrupedia: quis istud: *& cætera*: de avibus & piscibus, etsi etiam animantia sint, interpretabitur? Idem sexcentis aliis exemplis ostendi potest, quàm leviter istud: *Et cætera*: de rebus alterius generis, quæ cum antecedentibus non conveniant, accipiatur. Per *cætera* itaque *Sacramenta* S. Augusti-

VIII. In quo contra ipsam Grammaticam peccat.

gustinus veri nominis Sacramenta, ut Sacramentum Chrismatis Ordinis &c. intellexit, utpote de quibus clarè affirmat, ea æquè Sacramenta esse, ac ipsum Baptismum, ut superiùs vidimus. Hanc itaque interpretationem & detorsionem verborum S. Augustini, quæ hîc â Vedrosio affertur, vel Grammaticorum pueri refutabunt. Nihilo quoque melius est alterum effugium Vedrosij, quod ex se, & Calvino quoque suo attulit, scilicet numerum hunc septenarium apud Augustinum, & alios Ecclesiasticos scriptores veteres non inveniri. Quare illud quoque non adjecisti, more vestro, hunc septenarium numerum in scriptura quoque non reperiri? Quid autem, obsecro, dici potest simplicius in re tanta?

Et seipsum suo argumento jugulat.

Quæro enim primùm, ubi disertis verbis ait S. Scriptura, Duo esse Sacramenta, quod vos Reformati affirmatis? imò ubi omnino dicit, Baptismum esse Sacramentum? Quàm vanum itaque est, quòd perpetuò clamatis, Nihil credendum, nisi quod in scriptura? ubi etiam ullus veterum Patrum asserit Duo tantum esse Ecclesiæ Sacramenta, sicut vos asseritis? Quod ergò vobis Reformatis æquè ac nobis solvendum est, quàm insulsè Catholicis objicitis, qui vicissim ex vobis quærimus, ubi numerus vester binarius reperiatur? Quod enim ex Augustino binarium illum, allatis â te pag. 41. testimonijs evincere nitimini, non tantum frustra estis, sed in præjudicium vestrum Augustinum adducitis. Ita enim Augustinus â vobis allatus epist. 118. ad Januar. *Christus*, inquit, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi Populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & Communicatio corporis & sanguinis Domini, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur.* Ita Sanctus. quæ ultima verba: *Et si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*: vos & confundunt, & jugulant, tantum abest, ut caussam vestram juvent. Iis enim clarissimè indicat S. Doctor, præter hæc duo, de quibus locutus est, Sacramenta, Baptismi & Eucharistæ, esse prætera alia *in Scripturis Canonicis* nobis commendata. Ad quid

S. Augustinum in dedecus suum adducit.

enim

enim clausula illa sententiæ Augustinianæ: *& si quid aliud &c.* Et verò præter hæc duo Sacramenta Eucharistiæ & Baptismi, omnino *commendant nobis Scripturæ Canonicæ* etiam manuum Impositionem, tum quæ in Confirmatione, tum quæ in Ordinatione Sacerdotum adhibetur. Et illam quidem in Confirmatione, commendat nobis Liber actuum Apostolorum c. 8. ℣. 17. illis verbis: *Tunc imponebant* (Apostoli) *manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Alteram verò in Ordinatione Sacerdotum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, *commendat* nobis idem Liber c. 13. ubi per manuum Impositionem ordinati sunt Episcopi Paulus & Barnabas. & Act 6. ℣. 7. ubi per eandem manuum impositionem ordinati sunt Diaconi. S. Stephanus, Philippus, Prochorus &c. Eandem manuum impositionem, Sacramentum scilicet Ordinis *commendat* prima epistola S. Pauli ad Timoth. c. 4. & 5. & secunda ad eundem c. 1. ℣. 6. ubi S. Paulus Timotheum suum alloquitur his verbis: *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Extrema verò Unctio *commendatur* nobis in epistola Canonica S. Jacobi Apostoli c. 5. ℣. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ecce hæc sunt, (ut de alijs sileam) quæ nobis præter baptismum & Eucharistiam *Canonicæ Scripturæ commendant.* hæc itaque, hæc intellexit S. Augustinus per illa verba: *Et si quid aliud &c.*

Qui manifestè plura quàm duo Sacramenta agnoscit.

Eáque omnia in Scripturis Canonicis nobis commendata.

Habetis ergo, ô Reformati, fundamenta nostra Catholica, quare non solam Euchatistiam cum Baptismo, pro Sacramentis propriè dictis recipiamus. habetis auctoritates veterum Patrum pro septenario nostro, maximè autem S. Augustini, & coævi ipsius S. Innocentij, plurimorúmque aliorum, quorum testimonia clarissima apud Bellarm. in singulis ab eo explicatis Sacramentis legere potestis, & in ijs sensum vetustæ, sanctæ, & vobis etiam orthodoxæ antiquitatis, ad quam novitas vestra erubescat. Habetis & Scripturas Canonicas modò à me adductas, quibus Sancti hi Patres unicè nixi sunt. Deniq; quantum illud est,

Septem Sacramenta etiam Græca Ecclesia agnoscit & recipit.

Christianè loqui solent; Vel enim non intelligit, quid per opus operatum nos intelligamus, vel frustra negat hanc virtutem Sacramentis Novi Testamenti Vedrosius. Quid intelligant Catholici DD. per *opus operatum*, ita habeat. Significant hac loquendi formulâ, ipsa Sacramenta per se, quatenus sunt operationes quædam ad eum finem divinitus institutæ, & quatenus ita exercentur, conferre instrumentaliter gratiam. Ita explicat ex communi Theologorum noster Gregorius de Valentia in 3. p. Disp. 3. q. 3. p. 1. pag. 681. & addit, *opus operatum* idem esse ac opus exercitum.

Quod Vedrosius impugnat, quia non intelligit.

Cùm ergo D. Vedrosius concedat Sacramenta non tantùm *obsignare & significare*, sed etiam reipsâ *conferre gratiam*, quærimus ex eo ulteriùs, quomodo conferant gratiam? an ex solo opere operantis, sive suscipientis v. g. baptismum? atqui hoc dici non potest de baptismo infantium, apud quos nullum est opus operantis, scilicet neque actus fidei, neque contritionis &c. & confertur tamen ijs gratia sacramentalis. quomodo? utique virtute ipsius baptismi ritè administrati. hoc autem nos appellamus *opus operatum*, sive exercitum, ad distinctionem operis operantis, sive ab operante provenientis. Aliter se res habet in adultis, ubi Catholici non solùm opus operatum, sed & opus operantis, requirunt; ut fidem, contritionem, aliósque pios motus: qui tamen non sunt caussa gratiæ, sed dispositiones ad gratiam, quam Sacramentum ipsum operatur ac confert. An verò ut caussa physica, an ut caussa moralis conferat, ab Ecclesia definitum non est, & quoad hoc licet cuilibet *in suo sensu*, juxta Apostolum, *abundare*. Unde non est quod Vedrosius in illos Catholicos Doctores tantopere invehatur, qui docent, Sacramenta esse instrumenta physica, & vehicula naturalia gratiæ, quod Gabrieli Biel tribuit, Theologo insigni & antiquo, additque: *hoc statuere, esse vehiculum impietatis*. Primùm enim neque Gabriel, neque ullus alius Doctor Catholicus ait Sacramenta esse *naturalia vehicula gratiæ*, etsi concedant esse instrumenta physica; quæ Vedrosius imperitè conjunxit.

Reipsâ autem concedit, aut contradicit sibi.

Theologos quosdam Catholicos carpit, quia non intelligit.

Nam in Sacramentis, operatio omnis supernaturalis est, uti & virtus ipsa operandi. Per physicum ergo influxum non intelligunt aliud, quàm influxum realem, non moralem tantùm, quem habent secundùm quosdam ut instrumenta elevata supra ordinem naturalem, quæ Scholis relinquimus. Si non placet hæc sententia Vedrosio, eligat alteram, quæ tenet, Sacramenta non nisi moraliter caussare, sive efficere gratiam. Nam alterutra eligenda est, nisi Sacramenta facere velimus pura signa gratiæ, quæ hæresis esset.

XII. Ad extremum monendus Vedrosius est, ut ne carpat, quæ non satis intelligit. Carpit enim pag. 45. etiam doctissimum Becanum, uti & Canum, Ledesmam, Molinam, Vasquium, Scotum & alios, quòd docuerint Sacramenta non esse nisi Instrumenta morália, non autem physica gratiæ, idque docuisse eos ait contra Concilium Tridentinum, quod Sess. 7. c. 8. his verbis utatur.

Puta Gabrielem Biel, Vasquium, Molinam.

Si quis dixerit per ipsa nova Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divina promissionis, ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit. Et can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta nova Legis non continere gratiam, quam significant, anathema sit.*

Sicut & Concilium Tridentinum non intellectum.

O quam hospes es in Catholica nostra Theologia, mi Vedrosi! an his â te citatis verbis Concilium quidquam determinat, sintne physica, an moralia instrumenta gratiæ? an damnat eos, qui moralem tantùm efficientiam Sacramentis tribuunt? Nihil horum. tantùm dicit anathema illis hæreticis, qui dicere audeant, solam fidem divinæ promissionis in usu Sacramentorum sufficere ad conferendam gratiam; Sacramenta autem ipsa per se (hoc est: *Ex opere operato*) nihil gratiæ conferre. Contra hoc nihil docet Becanus, nihil Vasquius &c. dum Sacramenta faciunt moralia tantùm gratiæ instrumenta, ut tu non intellectis Concilij Tridentini verbis temerè eos accusas. Nam per *opus operatum* non intelligit Concilium caussam physicè in Sacramentis operantem, aut, quod idem est, realiter & non morali-

raliter tantùm influentem, uti tu videris Concilium intelligere, sed ab utroque operandi modo abstrahit. Cautiùs itaque, mi Vedrosi, cautiùs posthac, *& parcius ista viris.* Discendum prius, tum docendum.

ARTICVLVS II.

Consonantia in asserenda Necessitate, & Cerimoniis Baptismi: Item in Discrimine inter Christi, & Ioannis Baptismum, & in baptismo collato per Laicos.

§. I.

De Necessitate Baptismi.

BAptismi necessitatem ad consecutionem vitæ æternæ tum pro adultis, tum pro parvulis probat noster D. Georgius ex S. suo Augustino pag. 34. in Documento VIII. & adducit inter alia illud ex Augustini libro de anima, & ejus origine: *Noli credere*, scribit August. *nec dicere, nec docere, aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita migraverint, ad Regni Cælorum beatitudinem pervenire, si vis esse Catholicus.* Ita Sanctus. Et verò ad hoc probandũ neq; S. Augustini nec cujusquam alterius testimonio indigemus, cum majus habeamus & clarissimum testimonium ipsius Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Catholica ergo sententia est, sempérque fuit ista: Baptismum, parvulis quidem ita necessitate medij necessarium esse, ut nisi reipsa eum suscipiant, *non introeant in Regnum Cælorum*, ut Servator noster loquitur (& hæc pluribus locis indubitata S. Augustini sententia & interpretatio est, aliorúmque communis) Adultis verò vel in re, vel in voto (si reipsa obti-

Num. I.


Nemo salvus fit sine baptismo juxta S. August.

Imò ipsum Christum.

constitutum Circumcisionis diem moriebantur? Respondeo, par periculum salutis in Iudæorum non circumcisis infantibus extitisse. neque in hoc illos parvulos nostris fuisse feliciores. Cur autem dilatum fuerit Sacramentum illud Circumcisionis ad dies octo, ratio suberat, nimia scilicet parvulorum teneritudo, si primo statim, aut secundo die circumciderentur; qualis nulla est in nostrorum infantium baptismo. Ceterùm si Judæorum infantes vel in utero matris, vel jam nati, ante circumcisionem moriebantur, valuit contra eos quoque illud quod Gen. 17, ℣. 14. legimus: *Masculus cujus præputij caro, octavo die, circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo*, id est, non annumerabitur DEI electis & sanctis, ait Greg. de Val. in 3. p. Disp. 4. q. 3. punct. 4. Istúdne tibi nimis rigidum, ac durum videtur, Vedrosi? Accusa Legislatorem, si audes, & dic illi: *Cur ita facis?* III. Argumentum Vedrosij ex Circumcisione petitum nullum est.

Vide, si placet, pluribus hæc prosequentes Theologos nostros, S. Thomam in 3. p. q. 70. art. 3. & Interpretes ipsius ad hunc ipsum locum, præter S. Augustinum in iis locis, quæ D. Georgius Documento suo VIII. citavit.

Tu verò, D. Vedrosi, *si vis esse*, & haberi *Catholicus*, uti vos omnes haberi vultis, sequere monitum Magni Augustini, quod antè adduximus: *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita migraverint, ad regni cælorum beatitudinem pervenire, si vis esse Catholicus.* Huic Hipponensi Magno Episcopo crede potiùs, quàm vel Episcopo Bitontino, vel aliis tantò Augustino inferioribus, quantùm myricæ Cedris decedunt.



§. II.

De Ceremoniis Baptismi.

DE his agit noster D. Georgius à pag. 35. usque ad pag. 42. éstque Documentum 9. quo probat, eandem in hoc quoq; esse doctrinam de Ceremoniis Baptismi, hodiernæ Romanæ, quæ fuit Veteris illius ac primæ, per primos quingentos annos, Ecclesiæ. Ponit autem cerimonias sequentes.

IV. Iisdē Ceremoniis utitur in Baptismo hodierna Romana Ecclesia, quibus usa est Vetus.

Probatur ex S. Aug.

I. Fidejussionem susceptorum pro parvulis, *ex epist.* 23. *S. Aug ad Bonifac.*

II. Signum Crucis, & degustationem salis, *ex variis libris S. Augustini*, ubi valde notabilis est illa ejus sententia ex tractatu 3. in Joann. *Signum*, inquit, *Christi in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestamus.*

III. Abrenuntiationem Satanæ, Exorcismum & Exsufflationem *ex lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 34.*

IV. Impositionem manuum. *Ex l.2. de pecc. mer & remiss. c. 26.*

V. Unctionem & Chrisma. *Ex serm. 206. de Temp. & lib. 15. de Trinit. c. 26.*

VI. Ignem, sive in cereo adhibeatur, uti factum suis temporibus docet S. Gregor. Naz. in orat. in sanctum lavacrum, sive aliter, de quo *S. August. in Ps. 65.*

Quæ omnia cùm rideant, & exsibilent; certè non usurpent Reformati in baptismo suorum, rectè infert D. Georgius, non hodiernam Romanam à Veteri illa descivisse, sed hodiernam, ita dictam, Reformatam Ecclesiam ab eadem defecisse: quæ omnia irrefragabiliter sunt vera: quid autem ad hæc tam manifesta D. Vedrosius?

D. Vedrosij Oppositiones.

V. Rident has Ceremonias Reformati.

NOn nisi per calumnias pag 47. & 48. respondet, & sacerrimos hos ritus, sapientissimis Patribus probatos, imò quosdam eorum ex Apostolica traditione manantes vocat: *Cerebri*

proprij figmenta, ad conciliandam fucatam gratiam excogitata, imò cum Calvino suo, *Imposturas Sathanæ* (ô impium dictum!) *nugas, superstitiones magicas &c.* quid ego autem ad ista?

ipsi ob hoc ridendi.

Apologistæ Confutatio.

Quid hîc nisi Spiritum verè malignum agnoscam, omnia sacra pro libitu polluentem, spernentem, mutantem, evertentem, nemini, neque Sanctis Patribus, neq; Apostolis, neque Christo ipsi parcentem. Non Patribus, quos *impostores* eo ipso facitis tu & Calvinus tuus, dum eorum instituta *imposturas* vocatis: non Apostolis, ex quorum traditione acceptæ sunt ex jam dictis ceremoniis non paucæ, ut est consecratio aquæ baptismalis, cujus jam meminit S. Dionys. Areopag. S. Pauli discupulus cap. de Baptismo, & S. Basilius l. de Spiritu S. c. 27. ubi consecrationem hanc vocat *Apostolicam traditionem*. Sed nec Christo hi tales parcunt. Si enim nugarum & ludibriorum in loco ponendum est sputum, sive saliva, in baptismo usurpari solita, ut Calvinus apud Vedrosium pag. 48. verè nugatur, & plusquam nugatur; ergo Christus ipse Dominus, dum linguam, & aures muti, & surdi sputo linivit, Marc. 7. & oculos cœci nati, Joan. 9. cum dicto: *Epheta, adaperire*; nugator fuit, quia hanc ipsam ceremoniam adhibuit, & exemplo Christi Ecclesia adhibet. Utique si Calvinus, aut discipulus ejus Vedrosius Christo tunc affuissent, despuissent hoc sputum Christi, utpote quod merum ludibrium esset, *ad conciliandam fucatam aliquam gratiam* usurpatum, ut de simillimis Ecclesiæ ceremoniis, ore illoto, & calamo impuro loqui & scribere isti Magistrorum orbis Magistri audent. Alio ulteriori responso nec opus mihi est, aut Lectori meo, nec digni hi subsannatores sunt. Interim triumphum agit hîc cum suo Augustino D. Georgius; victus herbam porrigit, qui solis se convitiis tuetur, cum Calvino suo Vedrosius.

Sed & miserandi ob blasphemias in ipsum Christum ex hoc redundantes.

§. III.

De Discrimine inter Baptismum Christi & S. Ioannis.

VI.

Inter baptismum Christi & Joannis latum est discrimen.

VEtus Romana, & Catholica omnis Ecclesia semper credidit, alium, & multò excellentiorem fuisse baptismum Christi, baptismate Joannis, idque credit hodiéque Romana Catholica Ecclesia, quia per Christi baptisma remittuntur peccata, non item per baptismum Joannis, nisi in spe solùm.

Probat id D. Georgius pag. 42. ex suo rursus S. Augustino ex l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 10. neque solùm auctoritate, sed etiam adjectâ ratione Augustini, quæ talis est. *Si baptismo Ioannis peccata dimittebantur, quid amplius præstari potuit per baptismum Christi ijs, quos Apostolus Paulus, post baptismum Ioannis. Christi baptismo voluit baptizari?* Intelligit autem S. Doctor 12. illos viros, quos solo baptismate Joannis jam baptizatos, voluit Paulus denuo tingi baptismo Christi; quod utique facturus non fuerat, si baptismus Ioannis non alius fuisset â baptismo Christi. aliter Paulus Anabaptista fuisset. Quo autem modo discrimen latum facit S. Augustinus inter baptismum Christi & Ioannis, pari modo faciunt Patres alij, præsertim vetustissimus Origenes in c. 6. epistolæ ad Romanos, lib. 5. pluribus argumentis hanc orthodoxam sententiam confirmans, scilicet baptismo Ioannis non dimissa fuisse reipsâ peccata; fuisse autem remissa in baptismo Christi, cui gratia hæc servabatur. Ejusdem Sententiæ est D. Hieron. in Dial. contra Luciferian. ubi contrariam sententiam *perversum dogma* vocat. Et Augustinus alibi, scil. lib. 2 contra litt. Petil. c. 39. vocat contrariam doctrinam, *impiam & sacrilegam opinionem.*

Probatur ex c. 19. Actor.

Doctrina contraria S. Hieronymo est perversum dogma.

D. Ve-

D. Vedrosij Oppositiones, & Apologistæ Responsiones.

PRimò eludere conatur pag. 49. quæ supra ex Augustino allata sunt; *An res hæc*, inquit, *tanti momenti?* Audisti jam ex S. Hieronymo & S. Augustino, quanti ea momenti sit, maximi scilicet.

VII. Deinde cùm evadere aliter non queat, cùm clara nimis sint verba Augustini, taxat & culpat Augustinum, ut qui verba Pauli Act. 19. non satis expenderit. Imò tu Vedrosi, cum Calvino tuo. Verba S. Pauli lucidissima sunt, quæ mox admetiemur. Cùm enim D. Paulus venisset Ephesum, & intellexisset ex Duodecim viris illis, eos neque *audivisse, si esset Spiritus Sanctus*, quærit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* Subjicientibus autem illis: *In Ioannis baptismate.* Tum Paulus: *Ioannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum.* Posthæc subjungit sacer textus: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini IESV*, utique jussu D. Pauli. Quid horum non satis expendit S. Augustinus? quid expendit meliùs aut Vedrosius, aut Calvinus? taxas ergo Sanctum, jure meliori taxandus ipse.

Vedrosius culpat S. Augustinum.

Ipse potius culpandus.

Sed opponunt. Atqui S. Lucæ potius utique credendum est, quàm vel Augustino, vel quibusvis aliis Patribus. At S. Lucas c. 3. ℣. 3. expressè ait: *Ioannem baptismum pœnitentiæ prædicasse in remissionem peccatorum*, adeòque Christi & Ioannis baptismum eundem fuisse. Circa quæ verba Lucæ quæritur, quomodo ea intelligenda sint: *In remissionem peccatorum?* Antiqui Patres priùs citati ita explicant: Prædicasse S. Ioannem baptismum, qui excitaret ad pœnitentiam, per quam consequerentur remissionem peccatorum, non qui conferret remissionem peccatorum. Et verò ipse Ioannes hoc satis indicat, & baptismum Christi Domini, suò multùm illis verbis anteponit Matth. & Luc. 3. *Ego*, inquit Ioannes, *baptizo in aqua, ille vos baptizabit*

S. Lucas explicatur.

An S. Lucam melius intellexerint SS. Patres, an Calvinus, & Vedrosius?

bit in Spiritu S. & igne. Rectè itaque Bellarminus de hac controversia agens l. 1. de Bapt. c. 21. ait: Non est quæstio, an sit credendum Lucæ potiùs, aut Marco, an verò Patribus? (quæ utique absurda foret) sed an Lucam, aut Marcum meliùs intellexerit Calvinus, quàm tot Patres? Quid judicas, Vedrosi, & tu bone Lector?

§. IV.

De Baptismo à Laicis collato, an validus sit?

VIII. VT probaret D. Georgius nulla in re, momenti alicujus, hodiernam Ecclesiam Romanam à Veteri illa discrepare, ostendit hoc idem, Documento suo XI. pag. 43. in baptismo, per Laicos quoque in Veteri illa Ecclesia conferri solito, neque tamen aliter, quàm urgente necessitate, mortis præsertim instante periculo; simul demonstrat idem hoc, ad exemplum veteris, apud hodiernam Ecclesiam Catholicam in usu esse; cùm contrarium apud Reformatos & doceatur, & usurpetur, contra doctrinam veteris Ecclesiæ, à qua, ut in plurimis aliis, ita in hoc quoque discedant ac discrepent.

Laicorum baptismus validus est ex S. Augustino:

Probat autem thesin hanc suam D. Georgius rursus ex suo S. August. l. 2. c. 13. contra epist. Parmeniani. Probat & testimonio Calvini Instit. l. 4. c. 15. sect. 20. ubi concedit talem à Laicis collatum in necessitatis articulo baptismum *ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuisse.* Quid ad hæc Vedrosius? Imprimis S. Augustinum culpat, Calvinum suum laudat, & sequitur. Quo pacto satis teipsum refutasti, Vedrosi; simul tamen & præcipitantiam calami tui demonstrasti. Affers enim ulteriùs contra nos, & morem nostrum, quo etiam mulieres in necessitate summa baptizant, Epiphanij locum, qui ita habet: *Non permissum mulieribus quodcumque Sacrum obire munus in Ecclesia.* An hoc autem Epiphanij dictum contra nos Catholicos militat? quis Catholicorum unquam concessit mulieri, sacrum quod-

Quem culpat Vedrosius, & Calvinum suum præfert

Imperitè citat S. Athanasium.

quodcumque munus, & sic baptismum quoque, in Ecclesia obire? In domibus privatis, & urgente necessitate extremâ, rectissimè ipsis quoque, nisi sacerdos, vel vir alius peritus adsit, permittitur, ne sine baptismo mortui infantes cœlesti beatitudine excludantur. Ergo contra se, imprudens, hoc testimonium Vedrosius affert; uti & alterum ex Tertulliano, qui eodem modo loquitur, *in Ecclesia* scilicet *non licere neque loqui mulieri, neque tingere, neque offerre.* qui est locus valde illustris contra omnes Reformatos, sacrificium missæ inficiantes; quod clarè hic à Tertulliano asseritur. Ait enim: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere* (id est baptizare) *nec offerre* NB. quod verbum hîc non aliud significat, quàm sacrificare. Nam si de oblationibus v. g. pecuniariis super altari solitis offerri, velit interpretari Vedrosius, ridebitur, cùm hæ oblationes etiam mulieribus in Ecclesiis vetitæ non essent, sed æquè ac viris consuetæ. Atque hunc ad modum dum aggreditur D. Georgium confutare Vedrosius, seipsum multipliciter ipsemet confutat. Deinde mirum valde est Reformatos non admittere mulieres ad baptismum conferendum, sive privatum, sive etiam publicum, cùm juxta placita ipsorum non minùs sint Sacerdotes, quàm viri. Omnes enim, qui Reformatæ Ecclesiæ membra sunt, pro Sacerdotibus habentur, juxta illud 1. Petr. 2. ℣. 9. *Vos autem genus electum; regale Sacerdotium, gens sancta &c.* quæ Apostoli verba ipsi de omnibus fidelibus, viris, feminis, pueris, magno cum plausu interpretantur, & Sacerdotium eis ex æquo attribuunt. Unde meritò & uxor Vedrosij & aliæ omnes, de Prædicantibus conqueri queant, quòd ab hac Sacerdotij parte, baptismo, à viris suis excludantur. Denique risu dignum est, moveri à vobis hanc quæstionem, an licitus baptismus sit per Laicos adhibitus? cùm universi vos, meri Laici sitis, quia nullis prorsus Sacris ordinibus initiati; cùm & Episcopis omnibus, qui initiare possent, sitis destituti. Nobis ergo Catholicis solis hanc de laicorum & Sacerdotum baptismo quæstionem relinquite, quam rectissimè jam dudum decidimus.

IX.

Imperitè quoque Tertullianum, & contra se.

Omnis baptismus apud Reformatos à Laicis datur, cur ergo quæstionem hanc movent?

Articulus III.

Consonantia in asserendo Sacrosancto Missæ sacrificio.

Num. I. PRomovemus gradum ad illud Sanctissimum, & vel Angelis, ut SS. Patres loquuntur, tremendum Missæ Sacrificium, quod non alio, quàm Diabolo auctore, in verè nocturna disputatione victus, imò vinci volens, & sustinens miserandus Lutherus, post annos mille quingentos sustulit apud suos, & abominationem apud DEUM, ipse abominatio apud Deum, appellare est ausus. quem deinde & Calvinus secutus est, & Vedrosius sequitur, & ipsi miserandi.

Sacrosanctæ Missæ negatio Diabolum habet primum auctorem.

De hac Sacrosancta Missa, tria & præclarè quidem probat D. Georgius noster pag. 44. & seqq.

Primum. In Veteri, sicut in præsenti Ecclesia Romana, celebratam fuisse Missam.

Alterum. Veterem Ecclesiam, sicut hodiernam Romanam constantissimè credidisse, Missam verum esse, & propriè dictum pro vivis & mortuis salubre Sacrificium.

Tertium. Veterem illam & Sanctam Ecclesiam, sicut hodiernam Romanam, sacratissimam hanc altaris Hostiam asservasse, & ad ægrotos detulisse.

II. Primum Caput de Missa in primitiva quoque Ecclesia celebrata probat D. Georgius præter suum S. Augûstinum etiam ex D. Ambrosio epist. 33. ad Marcell. & adducit quoque Helveticam Confessionem c. 21. hoc confitentem. Hæc sola attulit D. Georgius, brevitatis studio, cùm mille alia hujus rei testimonia adducere potuisset, quæ ego ejusdem brevitatis amore obiter solùm indico.

Missa celebrata est in Ecclesia primitiva.

Inprimis extant hodiéque Missæ antiquissimæ primis quingentis annis pleno usu receptæ, Græcis Liturgiæ appellatæ. Qualis est Liturgia, sive, quod idem est, Missa S. Basilii Magni, quâ

Probatur ex Liturgiis antiquissimis.

quâ Ecclesiæ Cappodociæ & Syriæ, inde usque â tempore dicti M. Basilij usæ sunt. Similiter extat hodiéque Liturgia S. Joan. Chrysostomi, Tomo 5. operum ad fin. quâ Ecclesia Constantinopolitana â temporibus memorati sui Patriarchæ Joannis uti consuevit. Extat quoque antiquissima Missa, & sub Missæ quidem nomine, Ecclesiæ Mediolanensis, quæ S. Ambrosio, dictæ Urbis sanctissimo Episcopo gloriatur auctore, cujus primus tamen auctor non S. Ambrosius, sed solùm locupletator fuit; sicut & Chrysostomianæ & Basilianæ primi auctores non Basilius, & Chrysostomus fuere, sed S. Jacobus Apostolus, ex cujus antiquissima Liturgia, quæ & ipsa etiamnum exstat, pleraque, sed paulùm succinctiora, desumpta â SS. Basilio & Chrysost. videmus; ut de Missa Alexandrina, sive Ægyptiaca antiquissima, & altera Æthiopica, itidem tali, aliisque similibus taceam, quæ originem ipsis etiam Apostolis, vel Evangelistis, S. Matthæo & Marco se debere fatentur. Quod si exemplis etiam antiquissimis utendum est, de S. Matthæo ex historia Ecclesiastica constat, eum mysterium ad altare celebrantem, uti acta ejus loquuntur, fuisse occisum. Quod verò aliud illud mysterium fuit, nisi Missæ Sacrificium? Imò de omnibus Apostolis constat ex actis Apostolorum c. 13. ℣. 2. eos Solymis *Sacrificium* peregisse, non Judaicum utique, sed Christianum, quod aliud non est, quàm Missæ. Ita enim ibidem legimus: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus.* (In Græco est: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν κυρίῳ. quod rectè vertit Erasmus ipse: *Sacrificantibus autem illis Domino.*) & S. Paulus ad Hebr. 13. ℣. 10. *Habemus*, inquit, *Altare, de quo non edere habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Altare:* â quo Sacrificium abesse nullo modo potest. Neque enim est aliud altare omnibus linguis & gentibus, quàm Locus, in quo celebratur Sacrificium; quod clarissimè patet ex Græco, dum altare vocatur, θυσιαστήριον, id est, *Sacrificij locus*, sive statio, quòd optimè efferas Germanicè, nec possis aliter, quàm: ein Opfferstatt. Ubi ergo altare, ibi & Sacrificium. De hoc autem altari Christianorum non solùm hoc loco S. Paulus, sed innumera-

Ex historia S. Matthæi & cap. 13. Actor.

Idem probat nomen Altaris Hebr. 13.

merabilibus locis SS.PP. primorum quinq; Seculorum. Quoties enim legis in Veterum illis monumentis, Altare, Altare, Altare, (quod millies leges) tot habes testimonia de Sacrificio Christianorum, quod non est aliud, quàm Missa: Non autem Cœna, ut stolidè adversarij. Nec enim altari ad cibum etiam Sacrum opus est, sed mensâ.

Idem nomen à SS. Patribus millies repetitum.

III. Quoties etiam in jam dictis veterum Monumentis legis: *Liturgiam facere, ad Liturgiam convenire, ex Liturgia robur concipere*, ut S. Gregorius Naz. orat. 19. loquitur, toties tibi Sacrificium, nec aliud quàm Missæ, indicatur; & millies indicatur. Rursum, quoties in Veterum Sanctorum scriptis legis: *Sacrificium incruentum* (& millies leges apud Græcos) quoties etiam leges: *Sacerdos*, vel *Sacerdotes*, vel *Sacerdotium*: Quoties nomen *hostiæ incruentæ*, *hostiæ Salutaris*, *hostiæ immaculatæ* (quod millies, iterúmque millies invenies) toties tibi Sacrificium Legis novæ, quod est Missa, insinuatur. Nemo enim Sacerdos propriè dictus est, nisi qui sacrificat, & immolat. Hostia quoque nullibi, nisi in Sacrificio locum habet. Rectè etiam in testimonium hujus rei antiquissima illa Germanorum nostrorum vocabula, doctissimus Gretserus adducit, dum panes in Missa benedicendi, Germanis, etiam heterodoxis, Hostien / Oblaten / oder Oflaten vocantur, id est, panes, qui in Hostiam & oblationem, hoc est, Sacrificium adhibendi & consecrandi sunt.

Hocidem probat nomen: Liturgia. Vox illa: Sacrificium incruentum: millies repetita â SS. Patribus. Item nomẽ Sacerdotis & Sacerdotij. Nomen, Hostia. Nomen germanicum: Oflaten / Hostiẽ.

IV. Quin & ipsum Missæ nomen antiquissimis temporibus frequentissimum, imò ordinarium fuit. Eo usus est S. Alexander, Papa Romanus, anno 109. in epistola sua 1. c. 4. Verba ejus sunt: *In Sacramentorum quoque Oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est.* Item S. Telesphorus, anno 127. c. 2. suæ epistolæ Decretalis ad omnes fideles scriptæ; ubi repetit hæc verba: *Missa, Missarum celebratio, Missarum solennia.* Item S. Pius Pontifex, in epist. ad Iustum Episcopum Gallicanum, anno 142. S. Cornelius Pontifex, anno 250. in epist. ad Lupicinum. Silvester, Papa ille Sanctissimus, in Actis Concilij Rom. verba ejus & Concilij ista sunt: *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in Sacratis ab Episcopo locis.* Item S. Ambro-

Ipsum nomen Missæ antiquissimum est.

Ambrosius Episcopus anno 370. in epist. 33. ad Marcellinam sororem. *Ego*, inquit, *mansi in munere. Missam facere cœpi. Dum offero &c.* quem locum etiam adducit D. noster Georgius. Ecce mera testimonia ex vetustissimis SS. Patribus, qui ante annum Christi quadringentesimum vixerunt, & scripserunt. Et tamen temerarius Vedrosij calamus ausus est scribere pag. 52. *Missæ nomen totis ferè quadringentis annis ignotum fuit.* Quid nunc huic viro in aliis credas, vel tam imperito, vel tam insincero, ut mollissimè loquar? Negabit fortassis epistolas illas Decretales, esse dictorum Pontificum, Alexandri, Telesphori &c. atqui contrarium solidè probavit Franciscus Turrianus Jesuita, libro sing. de hac re edito. huic respondeat priùs; tum neget Vedrosius. Negando talia non aliud, nisi desperationem suam adversarij indicant.

Etiam S. Ambrosio usurpatum.

Temerè hoc negat Vedrosius.

Aliæ Vedrosianæ Oppositiones.

Nunc quid præterea contra SS. Missæ Sacrificium Vedrosius afferat, videamus. Totus est in negandis his tribus, primò Missam, primis quadringentis aut quingentis annis, in usu fuisse: quod jam demonstravimus falsum esse. aut si fuerit alicubi in usu, pro Sacrificio propriè dicto negat fuisse habitam, sed pro Eucharistico solùm. negat tertiò asservari solitam Eucharistiam, & ad ægros pro solatio, & viatico delatam. In hunc finem, scilicet ut has trinas negationes, in speciem probet, implet paginas omnino duodecim, à pag. scil. 52. usque ad pag. 62. & promiscuè Sanctos è vetustate, & non Sanctos ex novitate; alienos, & suos; famâ inclytos, & infames in partes suas trahit, & Paulis, Augustinis, Cyprianis, Chrysostomis, Lombardis &c. jungit Beatos (sed solo nomine) Rhenanos, Mornæos, Hottingeros &c. operosâ quidem, sed inutili planè, ex pluribus capitibus, diligentiâ, & ipsimet propudiosâ. Inutili quidem, quia vix quidquam affert, ad quod non dudum à Card. Bellarmino ita sit responsum, ut Vedrosiis multis, ad infirmanda illa, sit opus, qualia sunt, quæ ex S. Paulo Vedrosius affert pag. 54. V.

Inutilis diligentia Vedrosij, & ipsimet propudiosa.

ad Hebr. X. ℣. 14. ubi Paulus: *Unâ*, ait, *oblatione consummavit* (Christus) *in sempiternum sanctificatos*. Et ℣. 18. *Ubi horum* (peccatorum scilicet) *remissio, jam non est oblatio pro peccato*. Hunc enim, & similes è S. Scriptura locos, jam ante centum annos contra Missam allatos â Calvino, minimè dissimulavit dictus Cardinalis, fuséque ac solidè ad eos respondit l. 1. de Missa, c. 25. bene longo. Vocavi & propudiosam diligentiam, quia quæ summi apud Reformatos viri negare non sunt ausi, sed ultrò concesserunt Catholicis, scilicet Missam esse celebratam, & pro Sacrificio etiam propitiatorio pro vivis atque defunctis, habitam, & ad ægros solitam deportari, id negare non erubescit Vedrosius. Quid ergo illi Magni apud Reformatos, Zvvinglij, Calvini, Bullingeri? Factum non negarunt, ritè factum negarunt. Et Zvvinglius quidem in Epicher. de Canone Missæ, errasse ait Patres. *Errori autem illorum occasionem dedisse verbi DEI neglectionem*. Ita confidentissimè, sed & arrogantissimè Zvvinglius. Calvinus autem l. 3. Instit. c. 5. sect. 10. *anile votum* audet appellare illud S. Monicæ votum, quo optabat sui memoriam, post mortem, in peragendis mysterijs fieri ad ALTARE, additque Augustinum Filium, dum votum hoc matris commendat in suis Confessionibus, *illud ad normam Scripturæ non exegisse*. quibus, etsi arrogantissimis verbis, confitetur tamen, pro Monica factum ad Aram, & mysterium (nec aliud, quàm Missæ) celebratum, etsi perperam; perverso scilicet judicio ipsius. Sic & Bullingerus, Dec. 5. serm. 9. §. pro mortuis, ita scribit, *Quod Veteres meminerint oblationis pro mortuis, nihil ad se pertinere: canonicis id scripturis non congruere*. Apertissimè autem Confessio Helvetica c. 21. *Missa*, inquit, *qualis olim fuerit apud Veteres, tolerabilis, an intolerabilis, modò non disputamus*. (Et hæc quidem omnia annotavit D. Georgius Documento XIII. Rationis III.) Idem si fecisset Vedrosius, & errasse potiùs in hoc Veteres asseruisset, non autem, uti fecit, omnia negasset, si non sapientiùs, certè callidiùs, ut ipsi, egisset. Itaq; ad illa omnia, quæ per duodecim paginas contra Missam Catholicam congessit undique Vedrosius,

Quare inutilis?

Quare propudiosa?

VI.

Quod doctissimi suorum concedunt, negat Vedrosius.

ſius, nihil ſigillatim reſpondendum duxi, cùm hoc ſolum hoc loco quæratur, an Miſſæ celebratæ ſint â Veteri illa Sancta, & orthodoxa Eccleſia? Item an pro Sacrificio ſit agnita, & pro defunctis quoque oblata, atque ad ægros deportata? Concedunt Zvvinglius, Calvinus, Bullingerus, anteſignani veſtri: & deportationem quidem Euchariſtiæ ad ægros ita non negat Theodorus Beza, anima illa Calvini, ut hunc morem etiam in Eccleſiis Reformatorum reſtitutum cuperet, in lib. Quæſt. part. 2. q. 241. quam confeſſionem adverſariorum, nec aliud hoc loco quærimus: contrà Vedroſius præfidentiſſimè negat omnia, non ſine præjudicio famæ ſuæ. Sed inter clamores tam claros confitentium ſuorum ſymmyſtarum, negantis Vedroſij vox nimis quâm tenuis eſt, ut exaudiatur. Conſonat ergo in hoc quoque Vetus & hodierna Eccleſia, id quod erat demonſtrandum.

ARTICVLVS IV.

Conſonantia in Pœnitentiæ Sacramento, & Satisfactionibus.

COnſenſum Veteris & hodiernæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, circa ſanctum Pœnitentiæ Sacramentum, ſive Confeſſionem auricularem, ſicut & circa Satisfactiones eidem Sacramento adjunctas, probat non niſi breviter Athleta noſter, D. Georgius, Documento ſuo, 3. & 4 pag. 60. & 61. referens ſe ad aliud ſuum Scriptum contra D. Danzium editum, ubi hæc fuſiùs, in Articulo de Miſſa, Conformitate 50. pertractaverit. Num. I.

Ratio D. Georgij prima, eſt deſumpta ex auctoritate SS. Patrum, confeſſionem privatam & auricularem clarè docentium, S. Cypriani potiſſimum, & ſui S. Auguſtini; quorum iſte in lib. de pœnitentia, c. 10. ita ſcribit: *Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis oſtendat; repræſentet vitam ſuam DEO per Sacerdotem, præveniat judicium DEI per Confeſſionem.* addit & S.

Confeſſio auricularis adſtruitur â S. Cypriano.

Cyprianum in Serm. de lapsis ita loquentem: *Confiteantur singuli, quæso vos Fratres, delictum suum, donec adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.* ubi S. Cyprianus præter confessionem, Sacerdotis auribus concreditam, claris quoque verbis satisfactionem pro admissis culpis docet. Quod si D. Georgius in consilio non habuisset brevitatem, poterat plurima insuper valde illustria loca alia, tum ex S. Augustino, tum alijs planè omnibus magni nominis Patribus pro thesi hac sua adferre. quale est illud ejusdem Augustini hom 49. ubi agens contra eos, qui cum hodiernis Sectarijs sentiebant, contentum esse posse Christianum occultâ confessione peccatorum suorum coram DEO, ita scribit: *Nemo sibi dicat: Occultè ago, apud DEUM ago. Ergo sine caussa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ DEI? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? promittimus vobis, quod ille negat?* Ratio D. Georgij altera desumpta est ex confessione propria Reformatorum, ut Bullingeri & Calvini; quorum hic, Calvinus, confessionis auricularis usum esse vetustissimum non negat, sed id solùm contendit, confessionem ejusmodi non esse Juris divini. Bullingerus autem ita loquitur: *Agnosco equidem, in Veteri Ecclesia NB. receptum fuisse, ut communicaturi confiterentur prius Sacerdoti Pœnitentiario &c.*

& S. Augustino NB.

Et ex ipsis Reformatorum Scriptis.

D. Vedrosij Oppositiones.

II.

Vedrosius contra audacissimè negat.

MOris sui etiam hoc loco retinens est Vedrosius, qui negando, quæ Calvinus ipse, aliique ejus Synergi concedunt, evadere se posse sperat, nec alium, quo se tueatur, clypeum, præter hunc habet; in quo liceat mihi veterum more inscriptionem inserere, nec aliam, quàm istam: *Desperatio*: desperationem eam intelligo, quâ diffidit, & hîc, & alibi, aliâ ratione, quàm negando, retundere se posse adversariorum suorum tela; quod Calvinus tamen, & alij non metuebant, sed hac in parte multò sive sapientiores, sive calllidiores, admittebant usum-

quoad

quoad auricularem etiam confessionem Veteris Ecclesiæ, sed Juris divini esse negabant, ut suprà de Calvino vidimus. Contrà Vedrosius pag. 64. *Legimus*, inquit, *Confessionem apud Veteres, sed non auricularem, qualis nulla, statâ lege, sancita fuit ante Innoc. III. seculo à Christo nato, duodecimo.* Hæc Vedrosius, qui in pauculis his lineis duo falsa habet. primum est, *De Confessione auriculari nihil apud veteres legi.* Qualis ergo fuit illa, quæ apud Sacerdotem Pœnitentiarium, teste ipso Bullingero, peragebatur? An ocularis fuit? An muta & surda, nihil loquente Pœnitente, nihil audiente Pœnitentiario? si talis erat, quomodo confessio peccatorum erat? an publica confessio fuit? atqui apud unicum hominem peragebatur. Quid ergo reliquum est, quàm ut auricularis fuerit, apud singularem hominem instituta, quod tam præfractè negat Vedrosius, & quidem contra suos negat. Alterum falsum est, quòd nullâ lege confessio talis ante Innocentium Papam sancita fuerit. Erras & decipis. Lege Christi, non Innocentij III. non seculo primùm duodecimo, sed seculo primo, statim à Resurrectione Domini, confessio auricularis sancita fuit à Christo, verbis illis satis utique apertis Joan. 20. ℣. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* quæ verba, qui aliter, quàm de confessione peccatorum Sacerdoti facienda explicant, juxta citatum supra August. *frustrantur Evangelium, frustrantur verba Christi.* Ecce quid agas, Vedrosi, ex Augustini sententia! Atqui Evangelicum Pastorem se ferre, uti Vedrosius facit, *& Evangelium frustrari*, quomodo conveniunt? Post legem Christi, habemus de hac peccatorum Confessione Leges & præcepta SS. Apostolorum. Et inprimis S. Jacobi Apostoli c. 5. canonicæ ejus epistolæ, ubi hoc præceptum tradit, & legem Christi iteratò velut promulgat: *Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra.* id est, Homines hominibus confitemini; homines scilicet, qui constricti estis peccatis, velut gravissimis vinculis, confitemini hominibus potestatem habentibus ab ijs vos absolvendi, quales sunt soli illi, quibus dictum est:

Et negationem suam duplici falsitate fulcit.

Non lege Innocentij III. sed Christi D. Confessio est instituta.

Non seculo duodecimo sed primo.

Confirmante id S. Jacobo Apost.

Quorum

Quorum remiseritis peccata &c. qui sunt Apostoli Domini, & Successores eorum Episcopi, & Sacerdotes. Deinde S. Ioannis Apostoli 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ubi quæstio nascitur, quam confessionem peccatorum S. Ioannes hoc loco intellexerit? Vedrosius cum suis dicet, non aliam hîc intellectam, nisi quæ fit soli DEO. Nos Catholici contrà asserimus, S. Ioannem intellexisse eam, quæ fit propter solum DEUM hominibus Sacerdotibus; & rationem dicti nostri hanc reddimus. Quia S. Ioannes illam utique Confessionem intellexit, quam instituit Christus, & quam promulgavit Apostolus ejus Iacobus. Ea verò est confessio, quæ fit ijs, quibus dictum à Christo est: *Quorum remiseritis peccata &c.* & quæ intellecta est ab Apostolo Christi dicente: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, quod per confessionem fit auricularem homini factam.

Et S. Joanne Evangelista.

III. Quare qui dicere audet, *Innocentium III. fuisse primum, qui seculo primùm duodecimo, statâ lege, confessionem auricularem introduxerit*, sicut audet Vedrosius, fucum suis Reformatis manifestum facit, ah! nimium fucorum ejusmodi patientibus. Nam, ut omnes etiam semiperiti norunt, Innocentius III. *Confessionem auricularem* neutiquam *lege latâ* instituit, sed tempus solùm faciendæ hujus confessionis, dudum à Christo institutæ, determinavit, ut illa singulis saltem annis, in Paschate, ante susceptionem SS. Eucharistiæ, obiretur. Qui autem non facit aliud, quàm ut tempus determinet, an dici potest primò quidpiam instituisse? Et si maximè voluisset (hypothesin pono) sive Innocentius III. sive alius quicumque confessionem auricularem omnium, etiam occultissimorum peccatorum, instituere, & Christianis præcipere, an humano ejusmodi instituto, in re tam gravi, & ardua continuò omnes Imperatores, & Reges Catholici, omnes Principes, & reliqui fideles paruissent? Mandato divino in hujusmodi est opus, quod habemus Ioan. 20. Et huic paremus, non Innocentij III. non Alexandri VII. non Clementis IX. aut X. quorum non est Sacramenta, quale hoc est, institu-

Innocentius III. non Confessionem ipsam instituit, sed tempus solùm illius peragendæ præscripsit.

stitue-

stituere, sed semetipsos talium Sacramentorum institutioni à Christo profectæ humillimè subjicere, & auriculari ejusmodi confessioni, sive clavibus ejusdem, in occultissimorum quoque confessione peccatorum se non minùs, ac ceteri omnes, prosternere.

IV.

Nectarius Patriarcha non privatam, sed publicam solùm confessionem abrogavit.

Quæ de abrogatione confessionis à Nectario Patriarcha Constantinopoli facta, adducit Vedrosius, novit ipse (aut parum novit) de publica solùm confessione, non item de privata auriculari intelligenda esse. Publica enim arbitraria erat, quam potuerunt abolere Præsides Ecclesiæ, si ita expedire judicarent, uti judicavit Nectarius, & post eum S. Chrysostomus; privata autem ex dispositione Christi est; quam nemo unquam Catholicorum Præsidum tollendam judicavit, nec potuit. In hoc itaque rursus fucum facit Vedrosius, qui non nesciens de publica solùm confessione abroganda, & Nectarium, & Chrysostomum agere, contra mentem, amborum, ad confessionem privatam factum utriusque detorquet. V. Bellarm. l. 3. de Pœnit. c. 14. fusè.

Nam quæ ex S. Chrysostomi homil. XXXI. in epist. ad Hebr. pag. 65. adducit Vedrosius (*Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses &c.*) quis non videt, atque adeò palpat rursus, contra mentem Sancti, malignè adversùs privatam confessionem à Vedrosio adduci? quomodo enim apertiùs poterat Chrysostomus indicare, de publica se loqui, quando ita loquitur: *Non dico tibi, ut prodas te in publicum &c.* an enim in publicum se prodit, qui occultissimè peccata sua alicui Sacerdoti in aurem dicit?

V.

Quæ ex S. Augustino, & S. Cypriano affert, interpretatione sua depravat Vedrosius.

Adhuc inaniora sunt, quæ ex lib. X. Confess. S. Augustini c. 3. attulit, quo loco apertè loquitur S. Augustinus de suis illis confessionibus scriptis; quas utique non in ordine ad absolutionem aliquam à Sacerdotibus super illis confessis peccatis suis percipiendam scripsit, sed ad confusionem sui salutarem, insuper & ad laudandum cœlestem medicum, qui tanta ejus vulnera persanasset. Unde nihil prorsus huc facit locus iste Augustini, nisi

nisi ut chartam, & oculos impleat, & minùs considerabundis imponat.

Quæ verò contra sententiam S. Cypriani, ex sermone ejus *de lapsis*, à D. Georgio pag. 65. adductam, excipit Vedrosius, non inania tantùm sunt, sed planè perversa. Cypriani verba sunt: *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, donec adhuc, qui deliquit, in seculo est, &c.* quæ supra num. 1. exscripsimus integra. His verbis Cypriani (quia sermonem negare non est ausus, esse Cypriani) perversum affingit sensum Vedrosius, dum ait (sed fallit) *Cyprianum loqui de publica Confessione coram Ecclesia facta, & quidem notoriorum tantùm peccatorum: sed nec de Confessione omnium hominum, sed cumprimis Libellaticorum, & Thurificatorum &c.* Ita Vedrosius. Ex his verbis Vedrosij solùm ultima sunt vera, quod scilicet S. Cyprianus ibi agat cumprimis de Libellaticis & Thurificatoribus, non tamen solis, (qui quales fuerint, Vedrosius rectè l. c. exponit) hæc, inquam, sola vera sunt; reliqua falsa, ut, quòd agat de confessione publica coram Ecclesia facta. aliud docent illa verba Cypriani in serm. eod. Edit. Pamel. m. p. 244. *Denique quantò & fide majores, (ait Cyprian.) & timore* (DEI) *meliores sunt, qui quamvis nullo Sacrificij, aut Libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes DEI (NB) dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt &c.* ubi falsum vides esse, quod Vedrosius dicit, S. Cyprianum agere non de confessione occultorum, sed tantùm notoriorum scelerum. An enim notorium est illud, de quo quis solùm cogitat? hoc autem *pondus* cogitationum etiam solarum, ait Cyprianus, *deponere apud Sacerdotes*, eos, qui *fide majores sint, & timore divino meliores.* falsum & alterum, quod ait; non agere Sanctum de alia confessione, quàm ea, quæ coram tota Ecclesia fiat: cùm Cyprianus disertè dicat, tales *fide majores, apud Sacerdotes DEI*, occultissima etiam hæc sua, cogitationum peccata, veluti *animi sui pondus exponere.* Iterum se ergo deprehensum Vedrosius meminerit, in facto minimè laudando. Locum ex S. August. à D. Georgio adductum

ctum ex lib. de Pœnit. c. 10. non ſatis refutat Vedroſius, dum ait, librum hunc, non eſſe Auguſtini, Bellarmino etiam teſte. At antiqui Scriptoris eſt, quod non negat Bellarminus.

Ad illud autem, velut palmarium Vedroſij argumentum, §. *ſpurcitiem &c.* quid poterimus reſpondere Catholici? *Spurcitiem libidinoſiſſimam Monialium*, inquit Vedroſius, *& conſtuprationes Matronarum, & atrocia Regicidia, Confeſſionis auricularis fructus eſſe, docet Eraſmus in Exomologeſi.* Mi Vedroſi, calumniam offers ex Eraſmo, nimis quàm audaci Scriptore in multis, & fallente, non argumentum (ſi tamen ita ſcripſit, & tam crudè Eraſmus) & confirmas ex Hiſtoria Inquiſitionis Hiſpanicæ, Auguſtino item Thuano, & Geringio exſcriptore, Eraſmo etiam deterioribus; quibus tu in crimine jungeris, dum adprobas. Nec alio hîc opus reſponſo. Quòd ſi abuſus etiam graviſsimi, occaſione confeſsionum exceptarum, ſæpius eveniſſent, an hic fructus Sacramenti eſt, ut blaſphemas, ac non, potiùs perverſæ mentis, & malitiæ exquiſitæ? Aut quid unquam tam fuit Sanctum, hominúmque generi tam ſalubre, à DEO ipſo inſtitutum, quod abuſus graviſsimi ſæpius non polluerint? Age Theologum potiùs, Vedroſi, hæc talia plebeis relinque. VI. Convitiatur Vedroſius.

Appendix ad Caput præcedens, ubi de Satisfactione agitur pro peccato.

NE prolixius fieret, quod præceſsit, Caput, appendicem præſentem ſubjungere placuit de parte tertia Pœnitentiæ, quæ ſecundum Catholicos eſt Satisfactio, de qua etiam agit noſter D. Georgius Rationis ſuæ tertiæ Documento XIV. pag. 61. Adverſarius autem pag. 66. & 67. Audiamus utrumque.

§. I. *Catholica Sententia.*

SEntentiam Catholicam ita tradit Catholicè, & confirmat D. Georgius, ſimúlque conſonantiam Veteris, & hodiernæ Romæ ob oculos ponit. Citat S. Auguſtinum ſuum l. de Pœnitentia, I.

Satisfactionem agnovit S. Augustinus.

tentia, c. 10. ita loquentem: *Multum* SATISFACTIONIS *obtulit* (Christianus ille) *qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, Nuncio* DEI (Sacerdotem intelligit) *denegavit.* vult dicere, nihil gravium peccatorum apud eum reticuit. Et verò omnino alij quoque Doctores Sancti hanc erubescentiæ victoriam, in enumeratione quantumvis pudendorum delictorum, apud Sacerdotem hominem à pœnitente relatam, loco præcipuæ Satisfactionis, quæ DEO fiat, non immeritò collocant cum Augustino, cùm sæpe quamlibet aliam pœnam, etiam gravissimam, subire mallet pœnitens, quàm ad hunc se modum confundere; quæ tamen confusio talis est, de qua Sapiens Eccli. 4. ℣. 25. *Est confusio adducens gloriam & gratiam.* quamvis verò, ut suprà etiam insinuatum est, liber iste de Pœnitentia non sit fortassis Augustini, ex Bellarmini, & Doctorum Lovaniensium sensu, est tamen vetusti, & orthodoxi Doctoris. quod nec Bellarminus, nec Lovanienses negant. Quod si certiora loca, ex indubitatis libris S. Augustini requirat Vedrosius cum suis, habent locum clarissimum S. hujus Doctoris in Enchiridio ejus ad Laurent. qui est indubitatus liber Sancti, qui talis est. *In melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus* DEUS; *non ad hoc emendus, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserendo deleat* (DEUS) *jam facta peccata, si non* SATISFACTIO *debita negligatur.* Ita Sanctus, ubi non intelligit *Satisfactionem*, quæ vel Ecclesiæ fiat, vel hominibus, quibus nocitum sit, sed quæ fiat DEO. Sic enim statim sequenti c. 71. loquitur, agens de Satisfactione pro delictis etiam venialibus: *De quotidianis autem*, inquit, *brevibus, levibúsque peccatis, sine quibus vita non ducitur, quotidiana oratio* SATISFACIT. Et cui alteri, nisi DEO? an enim ad homines dirigitur oratio, ac non potiùs ad DEUM? Similia plura invenies apud S. August. præsertim verò in Enarratione Psalmi 50. in illa Psalmi verba: *Et à peccato meo munda me*; & alibi. Ideo verò D. Georgius hic in citando prolixior esse noluit, quòd id jam antè prolixiùs

præ-

præstitisset in alio suo libro, quem adversùs D. Danzium de Purgatorio edidit, quò & Lectorem remittit.

Addit tamen Augustino Cyprianum, Afro Afrum, qui in serm. de Lapsis ita scribit: *Satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est &c.*

Robur autem assertionis suæ, quæ est Consonantia veteris, & hodiernæ Romæ, in doctrina de Satisfactionibus pœnitentium, non tam in locis SS. Patrum D. Georgius noster collocavit, quàm in confessione aperta ipsorummet Reformatorum, maximè autem Calvini ipsius, utpote Coryphæi, Ducis, & antesignani ipsorum, qui l. 4. Instit. c. 38. sic scribit.

II. *Parum me movent, quæ in Veterum scriptis NB. de Satisfactione passim occurrunt* (vult dicere: quæ magno numero occurrunt in Scriptis Patrum) *Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes ferè, quorum libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè, ac durè locutos. Sed non concedam, eos ipsos adeò fuisse rudes, & imperitos, ut eo sensu illa scripserint, quo à novis istis Satisfactionarijs leguntur &c.* Et paulò post: *Scio*, inquit, *Veteres interdum duriusculè loqui, nec, ut nuper dixi, lapsos esse nego &c.* Ecce ut apertè asserere non vereatur hoc loco Calvinus, *omnes ferè veteres*, Sanctos scilicet Patres, & Ecclesiæ universæ receptos Doctores, *quorum libri extent, lapsos esse* in hoc puncto Satisfactionis, & planè errasse; quorum errorem in hac re commissum Ipse (αὐτὸς ille) corrigere debeat, & Ecclesiam DEI meliora, & *viciniora saluti* docere. Quæ verba Calvini cùm etiam Bellarminus citasset, & refutasset l. 4. de Pœnit. c. X. *fecit* justa *indignatio* & dictavit ipsi hos *versus:*

Agnovit ipse quoq; Calvinus nimis quam apertè. Ob id Patres culpat, quod nos in laude ducimus.

III. *Ioannes Calvinus tametsi conetur utcumque respondere, tamen fatetur, quod res est, Patres à partibus nostris* (Catholicorum) *stare, eósque reprehendere, quàm sequi utilius esse, stultissimè judicavit.* citat exin verba illamet Calvini, & meritissimè subjungit: *Hæc Calvinus*; inquit, *qui satis apertè arrogantiam suam, & intolerandam superbiam prodit: dum ipse unus, tot Ecclesiæ lumina, quæ varijs temporibus, non solùm insigni doctrinâ, sed etiam probitate in-*

Crisis Justissima Bellarmini de intolerandaCalvini superbia.

 compa-

comparabili; pars etiam miraculis, aut martyrio claruerunt, prorsus contemnere & castigare non erubescit. Ita moderatissimus ceterà Bellarminus, rei indignitate omnem ejus patientiam exhauriente. Ergo *Veteres ferè omnes, quorum libri exstant*, satisfactiones & agnovisse, & nimiopere laudasse confiteris, Calvine? neque tamen illas, sed tuum sensum sequeris? Quid ad ista Vedrosius?

§. 2. *Vedrosianæ Responsiones, & earundem Confutationes.*

IV. PRimùm sub cultro planè relinquit Calvinum suum, & nec verbo unico eum vindicat, quem severis satis verbis & meritò, etiam D. Georgius pag. 62. depectit: *Quàm contumeliosè hic Calvinus contendat, Veteres in hac etiam de Satisfactionibus sententia lapsos esse, sanè vel hinc elucet. Si enim sanctissima fuit tunc temporis Ecclesia: si insuper tradidit ex Scriptura, & secundùm Scripturam, doctrinam in nullo fidei articulo à mente Spiritus Sancti recedentem* (quæ ipsorum Reformatorum confessio est alibi à D. Georgio fusè probata) *falsum utique, imò blasphemum est dicere, illam hac in parte lapsam esse &c.* quæ verissimè à D. Georgio sunt dicta. Ad hæc tamen omnia Vedrosius planè, & altùm tacet. qui enim intolerandam hanc superbiam Calvini, & Thrasonismum inauditum defendet? Sapit in hoc Vedrosius, & utinam *ad sobrietatem* ejusmodi, ut mallet & in hac doctrina, & alijs *omnes ferè Veteres* Sanctos Patres, & Christiani orbis totius Magistros, quàm unicum hominem, neque Sanctum, neque orbis, sed scholæ unius Magistrum, superbiâ tamen tumentissimum sequi! O quantò & sapientiùs, & famæ, ac saluti suæ consultiùs ageret! Præstet hoc illi bonus DEUS, ut malit.

Calvinus sub cultro relinquitur à Vedrosio.

Vedrosius sapit.

Pro Calvino ergo suo nihil affert, Vedrosius, nec potest.

V. An & nihil pro se, & caussa omnium? Conatur aliquid, sed effectu nullo.

Ex responsionibus Vedrosianis prima est falsa.

Ait primò pag. 66. *Catholicos ipsos ingenuè fateri, novam hanc esse suam doctrinam de Satisfactionibus, uti & de Purgatorio & Indulgentiis.* Qui verò Catholici illi? dic Vedrosi. *Alphonsus à Castro,* inquit,

inquit, *& Petrus de Soto, Roffensis item; ac Navarrus.* Magna nobis nomina ingeris. Sed ubi hoc fatetur Alphonsus? Mutus & hîc est Vedrosius; aut certè mancus. Nam nec librum citat, nec verba Alphonsi exscribit. Ubi Petrus à Soto? silet. ubi Roffensis, & Navarrus? tacet. quæ hæc disputandi ratio, Vedrosi? falsum credemus, dum contrarium ostendas, & locum, aut verba adducas. Adducit & S. Leonis epistolam 83. in qua tamen Sanctus hic nullo verbo satisfactiones negat, quas alibi apertè concedit, in epistola scilicet 91. quæ est ad Theodorum Foroliviensem Episcopum, ubi ait, *Præpositos Ecclesiæ, confitentes, salubri* SATISFACTIONE *purgatos, ad communionem Sacramentorum, per januam Reconciliationis, admittere.* Vide etiam epist. sequentem 92. quæ est ad Rusticum.

Ait secundò: Sanctos Cyprianum, Augustinum &c. cùm de Satisfactionibus loquuntur, non in sensu Papistico accipiendos in quo ergo, mi Vedrosi? utique in sensu Calvinistico? quem illi tamen despuerent, si ad nos è cœlo redirent. aut quis erit tertius sensus? indica. Secunda irrationabilis.

Ait tertiò, cùm de Satisfactionibus agunt SS. Patres, agere non de Satisfactione, quâ DEO satisfiat, sed quâ satisfiat Ecclesiæ. quæ Vedrosij interpretatio in plurimis SS. Patrum locis apertè est falsa, & Patrum sensui, menti, & verbis ipsis contraria. Falsa certè est in illa S. Augustini sententia, suprà ex Enchiridio ejus allata: *Per eleemosynas*, inquit Sanctus, *de peccatis præteritis est propitiandus DEUS*; quam propitiandi DEI virtutem, & sic eidem satisfaciendi, vos Reformati, sed malè, eleemosynæ, omnibúsque aliis, ex Catholicolicorum sententia, Satisfactorijs operibus, contra omnes Sanctos Patres, negatis. falsa quoq; est in illa altera ejusdem Sancti sententia, & quidem apertiùs falsa. Sic loquitur Augustinus homil. 50. c. 15. ex 50. homilijs, quas Bellarminus & alii docti pro Augustinianis agnoscunt, & venerantur, mihi in aversa pag. 122. Tom. X. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt,* SATISFACIAT DEO (peccator scil.) *per pænitentiæ dolorem,* Tertia itarum apertissimè falsa.

rem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Ita Sanctus. in quo utique lapsus est bonus Augustinus, & erectore Calvino indiget. Fallit ergo iterum Vedrosius, cùm dicit, eas doctrinas, quæ ex SS. Patribus afferuntur de Satisfactionibus pœnitentium & confitentium, non nisi de ijs esse intelligendas, quibus satisfiat Ecclesiæ, cùm Augustinus apertè dicat: *Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt,* (scilicet malè, & scelerate) *Satisfiat DEO.* DEO; dixit Augustinus: DEO, inquam, non Ecclesiæ. Plures ejusmodi SS. Patrum sententias apertissimas adducere possem. Sed Augustino solo, cum D. meo Georgio contentus sum. Nec pluribus est opus Apologistæ. Non enim modò id quæritur (quod decies & sæpius est inculcandum) an Satisfactiones istæ Satisfactioni Christi præjudicent (quod Vedrosius asserit, §. *Verbo dicam &c.*) an non præjudicent? An Satisfactioni divinæ, eiq; infinitæ Christi D. conjungi aut possint, aut debeant satisfactiones nostræ humanæ? quod disputat Vedrosius in §. *Verum enimvero &c.* Id enim modò non quæritur, & facillima est Catholicorum responsio, eáque talis, quòd sola Satisfactio Christi ex rigore justitiæ, satisfaciat DEO; nostræ autem omnes Satisfactiones ex benevola duntaxat acceptatione DEI; quam omnis Scriptura Sacra nobis indubiam reddit, & ad eam procurandam nos ubique hortatur.

VI.

Verum statum quæstionis non observat Vedrosius, & declinat.

Sed quod quæritur inter D. Georgium, & omnes Reformatos, illud est in hoc opere Georgiano: An Ecclesia vetus, Sancta illa, & Reformatorum quoq; judicio Orthodoxa, agnoverit Satisfactiones illas peccatorum, quibus per opera pœnalia, quæ nobis Satisfactoria dicuntur, satisfieri possit, ac soleat etiam ipsi DEO? Sancti Patres veteris, & primitivæ Ecclesiæ asserunt. Fatetur Calvinus; sed in hoc lapsos eosesse contendit, & in hoc ipso turpiter labitur. Faciliùs enim credet totus orbis Christianus labi in hoc Calvinum potiùs, quam tantos, & tam Sanctos Patres. Vedrosius non invenit, quid pro Calvino respondeat. sua affert, quæ nulla sunt, & extra quæstionem nostram vagantur. Vicit ergo in hoc rursus gloriosus Athleta noster Georgius.

Eum Apologista detegit.

Vincit D. Georgius.

CAPUT

CAPUT III.

De Traditionibus, & Sacris Ritibus Ecclesiæ.

POst Sacramenta, quæ sunt Ritus Essentiales, & præcipuæ considerationis in Ecclesia DEI, delabimur ad Ritus quosdam alios ejusdem Ecclesiæ minùs principales quidem, antiquissimos tamen, & Sanctissimos, quorum primus esto Signum S. Crucis in fronte à Christianis veris semper efformari solitũ, additâ invocatione SSS. Trinitatis, dicendo: In nomine Patris &c. In hoc ritu an consonet Vetus Sancta Ecclesia cum hodierna nostra Catholicorum, in seq. Articulo dispiciemus.

ARTICVLVS I.

Consonantia Veteris & hodiernæ S. Ecclesiæ in Signo S. Crucis in fronte efformando.

IN hoc itaque Ritu, & Consonantia ejusdem, quam modò diximus, probanda, D. Georgius brevissimus est, pag. 63. Docum. 15. quia & Adversarij ultro concedunt, nominatim Molinæus, primi apud Reformatos nominis Minister. Hic denique D. Vedrosius, clypeo illo suo Negante, nec ipse utitur, quod laudo; concedit, & fatetur usum hunc antiquissimum esse. *Paucis expediam*, inquit pag. 69. *De Signo concedimus, veterem de eo in fronte designando esse traditionem.* Cur verò non addis: De Signo Crucis? an tam malè de te merita fuit Crux Christi, ut nec nominari à te mereatur? an vel nomen Crucis horres? malum indicium! addis tamen: *De Signi abusu minimè*, scilicet concedimus. Mane in orbita, Vedrosi. De facto quæstio hîc nobis est, an Vetus scilicet illa & Sancta Ecclesia Romano-Catholica signo S. Crucis frontem communire sit solita? an hodierna quoque Romana

Signum S. Crucis in fronte Christianorum primæ Ecclesiæ usitatissimũ.

Etiam adversariis non diffitentibus.

Retinetur à Catholica hodierna.

Romana Ecclesia idem præstet? & Reformata è contrario non præstet, sed vetet potius? atque ita, an hodierna Romana veteri illi sit conformior, quàm Reformata? Hoc quæritur, Vedrosi, & verò quæstio hæc, nullo molimine, solvitur hunc ad modum. Vetus Ecclesia omnino usurpavit. fatentur Adversarij. Hodierna Catholica eundem morem, ceu divitem hæreditatem retinet. Patet id oculis. Reformata repudiat. Hoc voluit probare D. Georgius. hoc conceditur à D. Vedrosio. Habet ergo quod desiderabat. Habemus & nos Catholici, quod desideramus. Sed infert D. Vedrosius. *At sine abusu Veteres adhibebant, cum abusu*

II. *autem adhibet hodie Ecclesia Romana.* Quis verò ille abusus? edic, doce. Crucem, inquit, adorat Roma hodierna cum sequacibus suis. quam Vetus non adorabat. Quam verò Crucem, mi Vedrosi, adoramus nos hodierni Catholici? an illam, quam in fronte in honorem Crucifixi, pingere solemus? Quis verò Catholicorum Crucem hanc in fronte circumductam unquam adoravit? an vidisti id unquam fieri, vel etiam audisti? Non hanc in fronte fixam intelligere se, respondebit Vedrosius, sed ligneas nostras, sive æreas, argenteásve Cruces, & ipsum lignum Crucis ab Helena inventum. Atqui, ô bone vir, non de ligneis Crucibus, non de Cruce ab Helena reperta sermo hic nobis ullus erat, sed de Cruce in fronte & aëre, ab antiquis, & hodiernis Catholicis formari solita. Contra hanc Crucem quid affers? Vide ut extra chorum iterum saltes. In loco objice nobis, si placet, abusum illius Crucis Christi, & adorationem ipsius; & respondebimus strenuè. In loco, inquam, qui hic non est, ubi de solo consensu Veteris, & nostræ Ecclesiæ, & dissensu vestræ agitur. Erit autem infra. S. 4. c. 6. art. 3. fusè quidem, dicendi locus.

Et quidem sine abusu.

Quem Vedrosius frustra objicit.

Et extra Chorum saltat.

ARTICULUS II.

Consonantia in Traditionibus, sive Doctrinis Ecclesiæ non Scriptis, æquè ac Scriptis recipiendis.

Num. I. VT consensum & conformitatem omnimodam hodiernæ nostræ Ecclesiæ Romanæ cum Veteri illa probaret D. Georgius,

gius, difformitatem contrà Ecclesiæ Reformatæ, adducit etiam Doctrinam de Traditionibus, sive doctrinis Ecclesiæ non scriptis, & in Sacra Scriptura expresse non contentis.

II. De his probat ex suo S. Augustino noster D. Georgius pag. 64. Documento 16. eas in Ecclesia Veteri receptissimas fuisse, toto terrarum orbe observatas, & omnino observandas. Ita enim loquitur Sanctus l. 5. c. 23. contra Donat. *Multa sunt, quæ universa tenet Ecclesia (& ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur) quanquam Scripta non reperiantur.* Quæ autem illa sint, alibi tradit, ac præsertim epist. 118. ad Januarium, ubi inter observationes has ecclesiasticas non scripto præceptas, sed traditione vetustissimâ commendatas, ponuntur â Sancto, *quòd Domini Passio, Resurrectio, Ascensio in cælum, & adventus de Cælo Spiritûs S. anniversariâ solennitate celebrantur*: Item Jejunium Quadragesimæ &c.

Traditiones recipiuntur à S. August.

Probat exin D. Georg. ex confessione quoque propria Reformatorum, præsertim ex quodam Szegedino, qui ita scribat: *Non est negandum, quin aliqua fuerint Apostolorum traditiones non scriptæ &c.* Sed & Calvinum adducit, qui confiteatur quædam non scripta, Apostolis tamen â S. Augustino adscribi; in quo tamen nihil se morari, id est, curare doctrinam Augustini idem Calvinus, pro sua scilicet in SS. Patres consueta reverentia, affirmat.

Non negantur à Ministris Reformatis doctioribus.

III. Quid ad ista D. Vedrosius? Facit distinctionem pag. 71. inter Traditiones *Historicas, Dogmaticas, & Rituales.* *Historicas*, quando cum S. Scriptura non pugnant, admittit, sicut & *Rituales*: pro libitu tamen aut retinendas, aut repudiandas. *Dogmaticas* autem, quæ de fide sunt, & moribus Christianis, penitus rejicit, & præter eas, quæ in Sacra Scriptura exstant, nullas docet suscipiendas. Atqui nobis de his ultimis, scilicet *Dogmaticis*, præcipua quæstio est, mi Vedrosi. has nos Catholici, præter dogmata in Scripturis expressa, cum omni reverentia, non aliter ac illas alteras scripto traditas cum veneranda antiquitate suscipiendas esse docemus; vos negatis, sed ad probrum vestrum; quod

In iis distinguendis frustra laborat Vedrosius.

quod, ex vestris quidem principiis, ostendimus. Quæcumque
IV. S. Scriptura nobis credenda proponit, hæc sine ulla tergiversa-
tione, eáque sola suscipienda sunt, uti vos ipsi docetis. Atqui S. Scriptura nobis proponit & jubet, ut præter ea, quæ de rebus fidei scripta sunt, etiam Traditiones, sive doctrinas non scriptas reverenter suscipiamus (Ita enim Paulus habet 2. Thessal. 2. 14. *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*) Ergo juxta ipsam Scripturam Sacram, per *sermonem* Apostolorum nobis tradita, non minùs, quàm per *epistolam*, aliámve Scripturam præcepta, suscipienda sunt, cúmq; in his etiam reperiantur, quæ de fide agunt, admittendum vobis est, traditiones etiam dogmaticas, non verò solas historicas, aut rituales, pari esse reverentiâ recipiendas. Quæ si negatis vos Reformati, uti negavit in Examine Documenti 16. Vedrosius, apertè contradicitis & vobis, & Paulo, & Scripturæ, atque ita neque Scripturas, neque Traditiones suscipitis, nisi cûm vultis, quòd perpetuò & verissimè facitis.

Contra principia sua propria rejiciunt Traditiones Reformati.

V. Est & aliud argumentum Catholicum pro traditionibus etiam Dogmaticis, quæ scripturis nullis probari possint, necessariò suscipiendis, quod hucusque adversarij nunquam solverunt, neque solvent. Quærimus enim nos Catholici, an dogma fidei sit, eas Scripturas Novi Testamenti, quas pro Canonicis & nos Catholici, & vos Reformati suscipitis, ut est S. Matthæi Evangelium, itemque S. Marci, Lucæ & Joannis, esse veras Scripturas sanctas? Non negabitis utique, hoc dogma fidei esse. Rectè. Nunc autem altera nostra Catholicorum quæstio est: quâ Scripturâ, sive quo loco Scripturæ, has ipsas scripturas, esse sacras scripturas, adeóque hoc fidei dogma, nobis probatis? Nullo, neque enim ullam hucusque Scripturam potuistis allegare, quæ dicat Evangelium Matthæi, Marci &c. esse veras Canonicas scripturas, sed hoc solâ Ecclesiæ sanctæ traditione, & nos habemus & vos. Falsum itaque est, quod aitis, omnia reperiri in Scriptura, quæ credenda nobis sint, ut adeò traditione nullâ extra Scripturam indigeamus, cùm ipsam Scripturam sacram, esse

Irrefragibile argumentum Catholicorũ pro Traditionibus.

Scriptu-

Scripturam sacram, non ex Scriptura sacra, verùm ex Traditione non scripta, sed per manus tradita habeamus; quo respiciens Magnus ille Augustinus celebrem illam sententiam, & verè Catholicam protulit: *Ego Evangelio non crederem, nisi me ad hoc Ecclesiæ commoveret auctoritas*, Traditionem Ecclesiæ per hoc intelligens, quæ auctoritatem Scripturæ sanctæ, dat omnibus sacris Scripturis, & sic Evangelio quoque sive Matthæi, sive Joannis, quòd verum Christi Evangelium sit, cui aliter non credendum rectissimè docet Augustinus.

Illustrissima S. August. sententia pro Traditionibus, & Ecclesiæ auctoritate.

ARTICVLVS III.

Consonantia doctrinæ de Limbo Patrum, & descensu Christi ad Inferos.

Limbum Patrum, nobis Germanis die Vorhöll/ Sacræ Scripturæ *Sinum Abrahæ* dictum, Luc. 16. concedunt cum Primitiva Ecclesia hodierni Catholici, in eúmque dicunt â morte sua salvifica Christum Dominum descendisse secundùm animam, testantibus id ipsis sanctissimis Apostolis in Symbolo suo per illa: *Descendit ad inferos*: ubi non infernus damnatorum intelligitur, qui S. Davidi dicitur: *Infernus inferior*, Ps. 85. 13. sed locus ille infra terram depressus (unde nomen inferorum ab Apostolis accepit) in quo animæ SS. Patrum liberationem suam per Christum maximis desiderijs exspectarunt, & continuò â morte Christi consecuti sunt. Hos inferos non damnatorum, sed beandorum, nondum tamen beatorum; hunc Sinum Abrahæ, in quem Lazarus post mortem suam ab Angelis deportatus est, Catholicis Limbum Patrum appellatum, credidisse vetustissimos illos & primos Catholicos Num. I.

Limbus Patrum idem est cum Sinu Abrahæ.

Probat 1. noster D. Georgius pag. 65. auctoritate sui S. Augustini ex duabus præsertim epistolis ejus, quæ ex professo hoc tractant, quarum prima est epist. 57. ad Dardanum: altera 99. ad Evodium, ubi Sanctus his utitur verbis. *Quis, nisi infidelis negaverit,* II.

Probatur is ex S. Augustino.

gaverit, fuisse apud inferos Christum? Probat etiam testimonio Calvini quondam sui, qui non negat hunc descensum Christi ad inferos magnis auctoribus niti (uti sunt S. Ignatius Martyr in epist. ad Trallianos, Justinus Martyr, Irenæus, antiquissimi Patrum &c.) addit tamen audacissimus ejus calamus, *nihil hoc tamen, quàm fabulam esse*, verè pessimus fabulator ipse.

Vedrosius per meras admirationes respondet, & sic nihil respondet.

Quid ad ista D. Vedrosius? Per meras admirationes respondet S. Augustino, & aliis Catholicis. *Quid hoc*, inquit, *ad Patres Veteris Test. Abrahamum, Moysen, Davidem! Hinc apud inferos? Hinc constituti in doloribus? In sinu Abrahæ an torquentur animæ?* Respondent tibi Catholici. Imò apud inferos, in significatione suprà allata, hi omnes secundùm animam erant, id est, *in inferioribus partibus terræ*, uti sapientia DEI loquitur Eccli. 24. *Penetrabo*, inquit, *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes &c.* non verò *in inferno inferiori*, ubi miserrimi damnati erant. Ibi autem Abrahamum cum Lazaro fuisse clarissimum est ex historia Epulonis, Luc. 16. Si quæras ulteriùs: *Hinc constituti in doloribus?* Respondemus in doloribus damnatorum minimè; in afflictione tamen juxta illud S. Scripturæ: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Prov. 13. 12. Spes autem horum Sanctorum utique differebatur, & per plura quidem annorum millia apud non paucos, atque ita afflictione omni, sive quod idem est, dolore, non omnino carebant, soluti autem sunt ab his *doloribus inferni* â Christo ad ipsos benignissimè descendente, & *vinctos* hos cum ineffabili jubilo *educente de lacu*, juxta illam Zachariæ prophetiam c. 9. *Tu autem in Sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* scil. nulla consolationis beatificæ aqua. Habes ad tuas admirationes responsum, & simul apertum sensum Catholicorum de hoc descensu Christi ad inferos. Tu verò cur sensum tuum celas tam studiosè? an cum blasphemo illo, tibi notissimo, sentis, Christum passum esse â sua morte dolores animarum damnatarum, & hoc esse, *Descendit ad inferos?* Itáne & tu quoque sentis in animo tuo, sed verbis prodere erubescis? certè nec verbo prodis, quod

Quas vicissim miratur Apologista, & sigillatim ad eas respondet.

quod facere tamen debueras, si Catholicos in hoc articulo suo volebas impugnare. ostendere scilicet oportebat te, sic intellectum à Catholicis descensum Christi ad inferos, ad liberandos Patres è limbo, sanam fidem non continere; posthæc aliam descensûs hujus explicationem, & meliorem adferre. quod tamen nequaquã facis, & non nisi cum S. Augustino inaniter altercaris ut conferenti patebit; quem ais in hac doctrina nimiùm variare. Sed injuriam in hoc facis Sancto. In ipso articulo de descensu Christi ad inferos, ad liberandos inde Patres, nullibi variat Augustinus, sed solùm in utramque partem disputat, quomodo unus alterve locus scripturæ, de hoc descensu Christi agens, propriè sit intelligendus, maximè autem verba illa omniũ opinione obscurissima S. Petri, ex epistola ejus prima c. 3. & 4. ubi dicitur, *quod Christus iis, qui in carcere erant, Spiritibus* (in hoc scilicet descensu suo) *prædicarit &c* de quo loco præter ipsum S. Augustinum epist. 99. lege, si placet, Card. Bellarm. l. 4. de Christo, c. 13. Itaque hic quoque actum agit Vedrosius. Nos Catholici, ut visum est, orthodoxè sentimus de descensu Christi ad inferos, & limbo Patrum cum antiquis. Vestra autem doctrina & nova de hoc est, & si sentis cum Calvino, impia ac blasphema.

III.

Vedrosius sensum suũ de descensu ad inferos callidè celat.

S. Augustinum immeritò culpat.

CAPUT IV.

Consonantia in Prædestinatione, Iustificatione, Legis Observatione, Libero Arbitrio & Concupiscentia.

Cùm hæc omnia inter se apta nexáque sint, uno quoque capite conjungere placuit, & Lectori judicandum relinquere, quæ pars de omnibus his fidei articulis conformiorem veteri Ecclesiæ doctrinam tradat, hodiernáne Romana Ecclesia, an Genevensis & Curiensis Reformata? unde liqueat ulteriùs, quàm sapienter D. Georgius Genevensem & Curiensem deseruerit, & Romanam amplexus sit.

AR-

ARTICVLVS I.

De Prædestinationis Arcano arcanissimo.

Num. I. PRofundum hic ingredimur, cujus vadum vix reperiatur, in quo mersi sunt plurimi, qui audaciùs, quàm cautiùs sunt ingressi, & in his Calvinus. In altissimam voraginem tutò, & sine præcipitij periculo non despicitur, qualem monuit esse Sapientissimus Augustinus, *epistola 105. ad Sixtum presbyterum,* hoc, de quo agimus, prædestinationis, vel etiam Reprobationis mysterium. Sic enim loquitur: *Cur istum potiùs, quàm illum liberet, aut non liberet* DEVS (quod fit per prædestinationem DEI) *scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam* MAGNUM PROFVNDVM; *veruntamen caveat præcipitium.* Ita Sanctus. Ut periculo itaque vacemus, legamus littora cymbulis nostris, Vedrosi. Alij onerarijs suis altum hoc petant. Præit D. Georgius, nullam texens de tanto Arcano disputationem subtiliorem, & non nisi unam alterámve ex veteri Ecclesia Sententiam Patrum, pag. 66. Docum. 17. afferens de Prædestinatione, quibus probat, Veteres Patres præscientiam DEI, à negotio prædestinationis nostræ non exclusisse, uti modò Reformati excludunt. Talis sententia est illa S. Augustini cap. 6. de Prædestinatione & gratia, quam pag. cit. affert D. Georgius, ubi S. Augustinus ait: *Quod indurasse* DEVS *cor Pharaonis præmittit* (in sermone scil. ex rubo ad Mosen) *non ad operationem* DEI, *sed ad præscientiam pertinet.* Et c. 19. ejusd. lib. *Si dicitur jam, Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciverat* DEVS *non esse mutandum: Respondetur,* ait August. DEI *præscientiam non cogere hominem, ut talis sit, qualem præscivit* DEVS; *sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamvis eum non sic fecerit* DEVS. Contra hunc S. Augustini locum, & librum non excipit, nec rejicit illum Calvinus, sed hoc solum opponit: *Ne Augustinus quidem,* inquit, *illâ superstitione interdum solutus est: quemadmodum ubi dicit, Indurationem & obcæcationem non operationem* DEI, *sed ad præscien-*

Prædestinatio profundum est,

Multis exitiabile, si cautela absit.

In ejus doctrina convenit hodierna Catholica cum Veteri.

Maximè cum S. Augustino.

Quem superstitionis idcirco arguere audet Calvin.

præscientiam spectare. Vedrosius contrà & librum hunc, & sententiam hanc negat esse Augustini, idque probat pag. 76. ex Crisi tum Lovaniensium Theologorum, tum etiam Bellarmini, librum hunc de prædestin. & grat. negantium esse Augustini; & sic elusisse se putat D. Georgium, & ictum effugisse. Verùm secus est. Etsi enim fortassis liber hic non sit Augustini, est tamen etiam D. Vedrosio non dissentiente, vel Cassiani, vel Fulgentij, adeôque Catholici & antiquissimi Patris. Nam Cassianus quidem S. Chrysostomi discipulus fuit. S. Fulgentius autem intra annum quingentesimum vixit sub Trasimundo Rege Wandalorum, qui anno Domini 495. in Africa regnavit. Atque ita, si auctoritas à D. Georgio allata non sit fortè S. Augustini, est tamen talis Catholici & perantiqui Doctoris, ex peritorum judicio, qui in prima illa, ipsis etiam Reformatis, orthodoxa Ecclesia vixit & scripsit, eáque scripsit, quæ tunc à fidelibus credebantur. Hoc autem seposito tantisper, quid de toto hoc arcano Prædestinationis D. Vedrosius sentit? Declarat id pag. 75. statim à principio his verbis: *In quæstione*, inquit, *de Prædestinatione, stamus Bellarmini calculo, qui lib. 2. de grat. & lib. Arbitr. c. 10. ait: Esse Electos ex mera DEI gratia & misericordia, docet imprimis Dominus Luc. 12. v. 32. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Certè vox illa: complacuit* (sunt adhuc verba Bellarmini) *indicat puram DEI benignitatem.* Ita Vedrosius. Rectam instas viam, Vedrosi. Catholicè sentis, si cum Bellarmino sentis, Electos ex mera DEI gratia & misericordia in Electorum numero poni. Nam & alij quoque magni nominis Catholici Theologi, quos tute etiam citas pag. cit. quoad hoc cum Bellarmino faciunt, ij scilicet, qui ante prævisa merita fieri prædestinationem sentiunt, uti permulti sentiunt; etsi alij salvâ Catholicâ fide, & Unitate dissentiunt; inter quos etiam doctissimus Molina noster est, à te quoque citatus, Leonardus Lessius & alij primi nominis Theologi, qui docent, prædestinationem Electorum non ante, sed post prævisa eorum merita fieri. Ex his Catholicis sententiis, si præplacet prima illa Bellarmini, amplectere.

Cassium effugium Vedrosij.

II.

In reliquo laudatur D. Vedrosius, ut rectè circa hoc sentiens.

re. Licet. Quod si Bellarmino etiam in altero accedis, in sententia scilicet, quam tenet de reprobatione damnandorum, ex toto quoad hoc Catholicus eris. Est autem non Bellarmini solùm, sed omnium omnino Catholicorum Theologorum consentiens circa hoc sententia ista: Reprobos ante prævisionem peccati neutiquam ad mortem æternam destinari (quod S. Augustinus vocat *prædestinari ad interitum*) eò quod hoc justitiæ DEI planè repugnet; sed reprobationis eorum caussam, præter DEI voluntatem, etiam ad peccata eorum prævisa referendam esse. An & hîc calculo Bellarmini stat Vedrosius? Certè Calvinus ipsius non stat, sed homines ex sola DEI voluntate, ante prævisionem peccatorum ipsorum, ad mortem æternam destinari docet, quod Vedrosius non ignorat, nec tamen quid ipse hac in parte sentiat, prodit. An quia erubescit? Certè Calvini sententia erubescenda est, & cuilibet orthodoxo detestanda. Quod si quæras ex me, quæ quoad prædestinationem hanc mea sententia sit, breviter dicam, & candidè. Credo illis verbis Christi Domini mei, pollicentis vitam æternam benè operantibus, Matth. 25. ℣. 34. ubi illum audio sic loquentem Electis suis: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* ita contrà damnatis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Et rursum c. eod. ℣. 46. *Et ibunt hi* (malè scil. operantes) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Ecce hæc mea planissima de Prædistinatione Electorum, aut Reproborum Theologia est.

III. Declaratio tamen amplior ejus Sententiæ petitur: quam videtur de industria celare.

ARTICVLVS II.

Consonantia in Justificatione peccatoris, & quòd solâ fide non consequamur Salutem.

Num. I. D. Georgius in hoc puncto brevissimus est hoc loco, referens se ad longiorem ejus tractationem, quam instituerit

fuerit alibi contra D. Danzium in articulo de Justificatione. Hîc ergo pag. 67. non disputat aliud, quàm ut ostendat & perniciosam esse doctrinam, & planè novam Reformatorum unà cum Lutheranis docentium, Solam fidem justificare, cujus contrarium Vetus Ecclesia, & sigillatim S. Augustinus non uno loco docuerit. primus Augustini locus est, quem affert D. Georgius ex l. 15. de Trinit. c. 18. ubi ait: *Ipsam fidem non facit utilem nisi Charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Alter locus est ex lib. de fide & operib. c. 14. ubi ait, *eos malà securitate salutem suam perdere, qui ad eandem obtinendam sufficere solam fidem putaverint.* Quid ad ista D. Vedrosius? satis Catholicè quædam respondet, maximè pag. 77. ubi ait: *Ad Salutem obtinendam, fidem solam non sufficere, & nos fatemur.* Subscribit deinde illi quoque S. Augustini sententiæ ex eod. lib. quæ ita habet. *Etiam ipse Paulus non quamlibet Fidem, quâ in DEUM creditur, sed eam salubrem, planéque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Hîc ergo, quod confutem, non habeo, habeo contrà quod laudem, si ita sentit, uti scribit Vedrosius; cui similes & consentientes quoad istud dogma, optem omnes Reformatos. Et hæc quidem Vedrosius pag. 77. Non intelligo autem, quâ mente paulò pòst, pag. eâd. §. *Perertus* ex Cassandro (quem pro sincerè Catholico Catholici nos non recipimus) adjiciat hæc verba: *Nihil frequentiùs apud Patres, quàm quòd solâ justificemur fide.* in cujus rei probationem adducitur etiam Origenes in Epistolam ad Romanos c. 3 (non lib. 3. uti cum citat Vedrosius) & Hilarius Can. 8. in Matth. Basilius quoque in homilia de Humilitate, & S. Chrysostomus in c. 4. ad Rom. Quid verò hisce testimoniis Patrum sibi vult Vedrosius? An probare intendit, solâ fide nos justificari, & Salutem consequi, cùm priùs cùm S. August. no senserit: *Ad salutem obtinendam Fidem solam non sufficere?* An tam citò pœnituit Vedrosium dicti verè Catholici? Certum si Lector nosse vult, quomodo quatuor illi Patres, aliique, cùm soli fidei salutē adscribunt, intelligendi sint, adeat Card. Bellarm. qui dictorum quatuor

Sola fides neutiquam sufficit ad Justificationem.

Ita S. Augustinus apertissimè.

II. Subscribere se S. Augustino simulat Vedrosius.

Cujus tamen illum paulò pòst pœnitere videtur.

Quo sensu fides sola justificet.

antiquorum, & aliorum quoque loca exactè explicat, L. 1. de Justif. c. 25. & valde illustrat sententiâ S. Leonis Papæ in epist. 70. ubi ait: *Sola Fides Catholica vivificat, & sanctificat.* quo loquendi modo & S. Leo, & alii Patres non actum, vel habitum fidei intelligunt, quo sanctificemur, sed totam complexionem fidei Catholicæ, cum observatione mandatorum DEI, prout illa opponitur fidei Judaicæ veteris testamenti, & fidei Philosophicæ gentilium sapientum, ac potissimum prout opponitur omnibus sectis hæreticis, Arianæ, Novatianæ &c. & in hoc sensu verissimum est, solâ fide, id est, solâ fide Catholica, non Judaicâ &c. homines salutem consequi.

III. Sicut autem in hoc, quòd fides sola non sufficiat ad salutem, D. Vedrosius Catholicè sentit, ita in altero eâd. pag. 77. Catholicè non sensit, dum ad sententiam S. Augustini: *Fides sine charitate esse potest, prodesse non potest:* Respondens, ait, S. Augustinum hoc loco non aliam Fidem, quàm miraculorum intellexisse. illam, scilicet miraculorum fidem, esse posse sine charitate, sed prodesse non posse: contrà, fidem mysteriorum sine charitate esse non posse. Hîc erras, Vedrosi. S. Augustinus, utpote sincerè Catholicus, non agnovit duos, aut tres diversos habitus fidei, sicuti vos Reformati; qui duas, aut etiam tres fides facitis, planè contra Scripturas: ita ut apud vos una fides sit miraculorum, id est, ea, quâ miracula patrantur; alia historiarum in Sacris Scripturis contentarum; alia denique, eâque præcipua mysteriorum fidei, & dogmatum. Novus hic error est, antiquis incognitus, & Scripturæ prorsus contrarius, quæ unicam fidem agnoscit ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* quasi S. Paulus dicere vellet: quàm simplex, & unicè unus est in Esse suo DEUS, tam simplex & unicè una est Fides recta in DEUM. Est etiam hæc vestra multiplicatio fidei contra omnem rationem. Nam si ipsa ratio consulatur, non est alia fides miraculorum, alia mysteriorum fidei, quia idem prorsus objectum est utriusque, quare idem etiam habitus. Nam qui miracula patrat, ex illâ fide patrat, quæ pro objecto suo habet omnipotentiam DEI, quâ valeat DEUS, quidquid velit, supra omnem

In quo D. Vedrosius Catholicè non sentiat cum Augustino.

Non dantur plures Fides, quas sibi fingit Vedrosius.

etiam

etiam naturam efficere; & bonitatem ac fidelitatem DEI, quâ velit etiam talia, juxta pacta, & fidelia conventa sua, patrare. Atqui hæc eadem omnipotentia, Bonitas, & fidelitas DEI sunt itidem objectum illius fidei, quâ mysteria divina creduntur. Magnum enim utique mysterium est omnipotentia DEI, quæ prima in primo articulo Symboli Apostolici credenda proponitur. Magnum etiam mysterium Bonitas DEI, neque minus ejusdem fidelitas inservandis promissis. Gratis itaque finguntur duæ fides, ubi objectum est idem. Novus ergo error, nec aliud est, duas aut tres fides distinguere, in quem errorem lepidè lusit Catholicus ille, & egregius ante alios Epigrammatarius; dum dubius hæret, quomodo hîc loquendum: Quæ & meritò irridentur.

- - - - *fidibus dicam, anne fidebus?* inquit; insinuans neq; comunem loquendi morem ferre, ut de pluribus sive fidibus, sive fidebus disputationem instituamus, aut moveamus quæstionem. cùm unus, unicus, in se prorsus indivisibilis detur habitus fidei, qui tamen non sit forma ipsa, sed initium justificationis; sit fundamentum ædificij cœlestis, non tota ædificatio cœlestis, sive justificatio. quod optimè hac sententiâ expressit vetustissimus Origenes, quâ libenter claudo hanc quæstionem, qui c. 4. in expos. epist. ad Rom. ita scribit: *Puto, quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta Fides est: profectus vero, & augmenta ædificii, Spes: perfectio autem & Culmen totius operis Charitas.* Ecce hæc & nostra, & omniũ Catholicorum sententia est. An & tua Vedrosi? quem laudo, quòd hîc Calvinum suum, in dogmate illo de fide sola justificante, meritò quidem deseruerit. Fides est fundamentum, non tota ædificatio.

ARTICVLVS III.

Consonantia in Possibili Legis observatione, & Concupiscentia.

Conjungo hæc duo Documenta D. Georgij, quæ ipse divisim ponit in Documento suo XX pag. 68 & Docum. XXII. pag. 70. quia faciliorem & clariorem reddet tractationem nostram. I.

Negare possibilia man lata blasphemia est.

Itaque Documento suo xx. probat D. Georgius de observatione mandatorum DEI ita, & non aliter docuisse Patres primitivæ Ecclesiæ, sicut hodiéque Catholici doceant; nimirum non tantùm possibilem esse mandatorum DEI, maximè quæ Decalogo contineantur, observationem, sed planè ad salutem necessariam contrà ac Reformati hodie docent.

S. Augustino.

Probat id primò clarissimâ S. Augustini sententiâ, quæ sic habet serm. 191. de temp. *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, Impossibile aliquid homini à DEO præceptum esse, & mandata DEI non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Poterat autem ejusdem generis multa, & clarissima aliorum quoq; Patrum testimonia adducere, quale est istud S. Basil. in illud: *Attende tibi:* ubi sic loquitur. *Impium est dicere, Impossibilia esse Spiritûs Sancti præcepta.* Quale & illud S. Hieron. l. 3. contra Pelagian. *DEVS possibilia mandavit. hoc nulli dubium est.* vult dicere, nisi homini in reprobum sensum dato, aut rationis impoti: ut omittamus alia.

Impietas juxta S. Basilium.

II. Calvinus Hieronymum nihil moratur, nec nos Calvinum.

Probat 2 confessione Calvini, qui cùm ita visum esse Hieronymo primùm confessus esset, adjicit tamen: *Quid visum sit Hieronymo* (idem de aliis omnibus diceret) *nihil moror: nos quid verum sit, inquiramus.* Ita Calvinus; cui non aliud reponendum, nisi istud: Et nos, quid tibi, Calvine, videatur, neq; Sancto, neque Doctori Ecclesiæ, ut Hieronymus fuit, quid moremur? magnum tibi sit, vel discipulum Hieronymi, aut Augustini esse. arbitrum te horum non recipimus.

Quæ nunc Vedrosij nostri sententia est? Post varias, & planè mirabiles distinctiones, quas adducit pag. 80. quatuor Status facit. *1. Statum institutum* (nota phrasin) *2. Destitutum. 3. Restitutum. 4. Præstitutum.* eodem modo *possibile* distinguit in *possibile absolutum, secundùm partes, ac gradus*; item in *possibile secundùm quid, & possibile secundùm partes tantùm.* post tot inanes, inquam, & inauditas distinctiones, quibus aquam per se clarissimam turbidam reddit, ut in ea feliciùs piscetur, prodit demum Calvinianum sensum suum pag. 81. aitque, *affectu & desiderio impleri*

impleri posse mandata, effectu impleri non posse. Et iterum. *Legem* DEI *absolutè possibilem esse mortalium nulli, nisi quem reperias, in quo naturalis illa ad obstrependum proclivitas, prorsus sit suffocata atque demortua.* Habes Lector sententiam Vedrosij juxta Augustinum, *blasphemam*, juxta S. Basilium *impiam*; Neque quidquam distinctiunculis suis proficit Vedrosius. Cùm enim quæritur inter fideles, an possibilis sit mandatorum observatio, nemo de alio quærit statu, in quo sit possibilis, nisi de illo, in quo modò degimus, qui est status gratiæ. De hoc statu gratiæ, quem tu *Restitutum* vocas, quærunt omnes, an in eo possint mandata DEI observari? & de hoc solo quærunt. quis enim de statu gloriæ, quem tu *præstitutum* vocas, quæsivit unquam, an præcepta DEI in eo custodiantur? quis etiam de statu integritatis, quem tu *institutum* vocas? status autem corruptionis, qui tibi *status destitutus* vocatur, si ritè consideretur, conjunctus modò est cum Gratiæ sive Reparationis statu, qui à te *Status restitutus* appellatur. Et primo quidem Adamo debemus à prima nostra generatione miserum hunc corruptionis statum; à prima autem Regeneratione, meliori & cœlesti Adamo statum reparationis & gratiæ. De hoc statu & destituto & restituto, conjunctim sumpto, in quo omnes baptizati degimus, an possibilis sit mandatorum DEI observatio, & de hoc solo, quæritur, & an absolutè possibilis sit, quæritur. Affirmant omnes Catholici, cum veteri Ecclesia, & ceu impiam detestantur contrariam non doctrinam, sed inscitiam; & probant satis uno hoc irrefragibili ex S. Scriptura argumento.

Mirabiles distinctiones Vedrosii explodantur.

IV. Irrefragabili argumento probatur possibilitas observationis mandatorum.

Multi in hoc statu corruptionis constituti, adjuvante DEI gratia, omnia mandata DEI observarunt, teste ipsa Scripturâ. Ergo possunt observari. Est argumentum ab Actu ad potentiã, quod nunquam non concludit, & nunquam fallit, ut infinitis exemplis ostendi potest. Tale argumentũ foret, si dicerem: Milo portavit bovem in humeris, ergo potest portari bos in humeris. Petrus agricola projecit lapidem ducentorum pondo ad decem pedes. Ergo ab homine potest projici tanti ponderis lapis ad decem

cem pedes. Tricongio ebibit uno haustu tres, aut sex, aut etiam novẽ mensuras vini: ergo possunt uno haustu bibi tot mensuræ vini. Quis tali propositioni refragari audet, nisi qui nihil sapit? Si ergo probare possumus, & quidem ex ipsa S. Scriptura, fuisse homines in statu naturæ corruptæ constitutos, qui mandata Dei inviolata per Dei gratiam servarint, erit etiam probatum, ea posse servari. Hoc autem possumus, & continuò præstamus.

Josias Rex observavit, ergo potuit.

Nam 1. de S. Josia Rege testatur id ipsa Scriptura 4. Reg. 23. ℣. 25. *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota virtute sua, juxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Quibus verbis, quid aliud dicere voluit sacer textus, nisi illud? Josias Rex dilexit Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omni virtute sua? qui autem hoc agit, Legem Dei perfectè utique & plenè observat quod etiam confirmatur illo dicto altero: *Iuxta omnem legem Moysi.* Atqui in statu corrupto, sive destituto Josias vixit. Alterum testimonium est ex Evangelio, de SS. Zacharia & Elisabeth Luc. 1. *Erant justi ambo ANTE DEUM incedentes in omnibus Mandatis, & justificationibus Domini.* An clariùs quidquam pro sententia Catholica dici poterat?

Item S. Zacharias & Elisabeth.

V.

Totus longissimus Psalm. 118. est pro observatione mandatorum.

Denique totus ille longissimus, sed & pulcherrimus Psalmus 118. qui incipit: *Beati immaculati in via &c.* plenissimus est testimoniis, de servatis & servandis præceptis Dei. Ita enim in eo de semetipso David. *Servavi mandata tua, & testimonia tua.* Et iterum: *Ab omni via mala prohibui pedes meos* quod secundùm litteram verum invenitur usque ad lapsum illum cum Bethsabea, & occisionem Uriæ. In his duobus miserabilibus casibus, utique non servavit mandata Dei. Servavit autem antea, & postea; quod ipsa rursum Scriptura affirmat 3. Reg. 15. ℣. 5. *Fecit David rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone* (id est, facto) *Uriæ Hethæi.* Quod si ipsum Davidem vel tum rogasses, vel rogare posses hodie, cur quintum præ-

præceptum in occidendo Uria, sextum verò in committendo cum Bethsabea adulterio transgressus fuisset, nunquam conjecisset aut conjiceret hodiéque caussam in impossibilitatem ea servandi, sed in propriam malitiam, & liberi sui arbitrij abusum. Manet ergo irrefragabiliter verum: Ergo possunt mandata DEI observari. Manet etiam irrefragabiliter verum: Ergo blasphema, & impia opinio est, mandata DEI non posse observari, aut impossibilia observatu esse, quæ nobis à justissimo, & nostrarum virium, suâ gratiâ adjutarum, scientissimo DEO, & quidem sub interminatione damnationis æternæ sunt præcepta.

VI. Neque quidquam proficit Vedrosius, aut similes eius; sive illam adducat S. Joannis sententiam 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sive objiciat nobis Augustinos, & Hieronymos, quod facit pag. 81. qui doceant, etiam à sanctissimis hominibus sine peccatis non vivi. Primò enim nullus etiam sanctissimorum hominum, si peccat, ideo se peccasse dicit, quòd non possimus præcepta DEI servare, sed quòd non toto corde velimus.

Objectio Vedrosij.

Deinde hæc dicta tum Apostolorum (inter quæ est etiam illud S. Jacobi: *In multis offendimus omnes*, c. 3. ℣. 2.) tum SS. Patrum, intelligenda non sunt de peccatis gravibus, quæ à Patribus mortalia vocantur, sed de levioribus & quotidianis, in quæ facilè etiam cautissimus incidit. Hæc autem leviora & quotidiana peccata, cùm non evacuent justitiam, & gratiam DEI, neque finem Legis, quæ est charitas, non tam committuntur contra Legem DEI, quàm præter Legem DEI, neque constituunt hominem prævaricatorem Legis DEI, aut inimicum eiusdem DEI, sed solùm imminuunt eam, quæ ad DEUM esse deberet, ardentissimam, & ab omni omnino offensa abstinentem se charitatem, & obedientiam exactissimam. Quare in tales non convenit illud Ps. 118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Aliàs inter maledictos, etiam SS. ipsos Apostolos collocare deberemus. Nam non de aliis solùm Christianis loquitur S. Joannes: *Si dixerimus, quia*

Diluitur duplici responso.

Quo sensu sine peccato vivi non possit.

Sine veniali scilicet.

quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus: sed etiam seipsum, & reliquos Apostolos iis includit; quos tamen constat in gratia post adventum Spiritûs sancti confirmatos fuisse, & mortaliter non peccâsse. Hoc ergo age, Vedrosi, cum tuis, quod Apostoli & alij homines sancti egerunt, & ab omnibus mortalibus peccatis, inprimísque à Calvinismo tuo abstine, & non nisi venialiter ex humana imbecillitate pecca, & justum te pronuntiabimus, talémque, qui Legem DEI impleverit; finem ipsius, quæ est charitas, non amiserit; júsque ad cœlum, & æternam beatitudinem ex illis Christi verbis acquisiverit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matth. 19.

VII. Hunc esse Sensum totius Ecclesiæ Catholicæ, nimirum de solis venialibus, sine quibus vivi, extra singulare DEI beneficium, etiam à justis non queat, accipienda esse hæc Apostolorum & Patrum dicta, disce ex Concilio Trident. sess. 6. Can. 23. ubi hæc habentur: *Si quis hominem semel justificatum &c. doceat posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Vt explicat Tridentinum.

Frustra etiam objicitur contra dicta hactenus, neminem idcirco servare posse præcepta, eò quòd illud præceptum Domini nemo servare possit: *Non concupisces*. Nam millies parti adversæ probatum est, concupiscentiam malam, quæ etiam in gravissima peccata feratur, per se peccati nihil habere, nisi consensus pravus accedat; quod D. Georgius pag. 70. rectè ex S. Augustino probat, ajente! *Non in ipso desiderio pravo, sed in nostra consensione peccamus*: Ad quem clarissimum locum August. frigidissimè respondet Vedrosius pag. 84. (quod judicabit conferens Lector.) & tanto Doctori suum Calvinum opponit, l. 3. Instit. c. 3. §. 10. ita pro tota scilicet Ecclesia, contra omnes Patres dogmatizantem. *Nos*, inquit Calvinus (*nos* scilicet *poma*) *pro peccato habemus, quòd aliquâ omnino cupiditate contra legem DEI titillatur homo.* Atqui, ô Calvine, ô Vedrosi, nos non habemus; quod satis ad tales Ecclesiæ Doctores responsi est. Et sic etiam ad Examen

Concupiscentia per se non est peccatum.

Vt docet S. Augustinus.

Et frustra reclamant Calvinus & Vedrosius.

men Vedrosianum Documenti XXII. quod habet pag. 84. satis est responsum. Venimus ad Documentum XXI. quod est de Libero Arbitrio, momenti non minoris.

ARTICULUS IV.

Consonantia in Libero Arbitrio explicando.

Est hoc nostri D. Georgij Documentum XXI. pag. 69. ubi docet de Libero Arbitrio eandem apud hodiernam Romanam Ecclesiam vigere doctrinam, quæ primis quingentis annis apud Veterem viguerit, nimirum in nostra potestate, sive libertate situm esse, ut acquiescamus salutiferæ Numinis inspirationi, vel è contrario repugnemus; ut præsente occasione, vel tentatione, peccemus, vel non peccemus. Num. I. Liberum arbitrium est in homine.

Probat id primò ex suo S. Augustino, qui ita scribit in lib. de Spir. & litt. *Consentire vocationi DEI, vel dissentire, ut dixi, propriæ voluntatis est.* Item: *Esse autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, si velit; non peccare, si nolit, tibi probo, &c.* Alloquitur autem Felicem Manichæum hæreticum, qui ex hæresi sua hoc negabat. Sed quid opus Augustini testimoniis, vel aliorum Doctorum Ecclesiæ? Ratio ipsa, ô boni, ratio testimonium fortissimum præbet. Omnes assentientur huic Ecclesiæ nostræ propositioni, Philosophi Græcorum, Flamines Romanorum, Brachmanes & Bonzij Indorum, ac Japonum, Rabbini Judæorum, & ratione magistrâ contrarium errorem, si rogentur, non impietatis solùm, sed & stoliditatis damnabunt, qui ex hominibus facit asinos. Quid enim hominis in homine erit, si libertatem ei dempseris? qui etiam virtutis aut vitij, si voluntarium sustuleris? Tot ergo testibus uti potuisset D. Georgius, quot populi in orbe degunt. Iuxta S. Augustinum. Et communem sensum totius generis humani.

Probat 2. ex ipso Calvino, id de Veteribus minimè negante. Sic enim ipsum loquentem inducit l. 2. Instit. c. 2. S. 4. *Semper apud Latinos, & arrogantius, etiam apud Græcos, LIBERI ARBI-* De S. Augustino fatetur ipse Calvinus.

TRII nomen extitit. Sigillatim id verò de S. Augustino fatetur. Contrarium autem ipse contra omnes tum Latinos, tum Græcos (ô fastum Luciferinum!) amplectitur.

Quid ad ista D. Vedrosius? Cùm argumenta in contrarium deessent, statim initio, dum hoc Documentum Georgianum pag. 82. examinat, calumniari incipit, ut talium mos est. Ita autem Vedrosius loquitur:

Calumniando respondet Vedrosius.

Pergit militare Pelagio Dominus Georgius, affirmando Ecclesiæ Romanæ, in capite de libero arbitrio, cùm Augustino pulchrè convenire. Calumnia hæc est, Vedrosi, & quidem, ut apparet, ex ignorantia tua orta. Itáne Pelagio hæretico pergit patrociniari D. Georgius, dum liberum undequaque hominis arbitrium defendit? apparet te ignorare, quid docuerit cum Pelagianis suis Pelagius. Pelagij hæresis erat, detestata omnibus Catholicis, posse hominem totam legem servare, bona quælibet operari, abstinere à peccatis, & sic beatitudinem sibi parare viribus solius liberi sui arbitrii, absque auxilio peculiaris gratiæ DEI. An simile quid defendit D. Georgius, aut Catholicorum hodie quisquam? Nemo ullus, ullibi. Quomodo ergo Pelagio militat? Non Pelagio D. Georgius, sed Manichæo D. Vedrosius militat, dum liberum arbitrium cum Calvino suo, & Manichæis, contra omnem rationem, Scripturam, & SS. Patrum authoritatem sublatum it.

Alter clypeus Vedrosii contra D. Georgium, sed prorsus invalidus est, dum ait, primam illam sententiam, quæ ita incipit: *Initium ergo salutis &c.* quam D. Georgius ex lib. de ecclesiasticis dogmatibus attulit, S. Augustini non esse, cùm nec liber ille, ex Doctorum judicio, Augustini sit. Sed numquid & altera sententia, & tertia quam D. Georgius ex lib. de Spiritu & littera, & ex lib. contra Felicem Manichæum, quæ multò clariores sunt, Augustini non sunt? An & hos libros negas esse S. Augustini? numquid & quarta ex eod. lib c. 4. Augustini non est, quæ ita habet? *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Quid ad has tres indubitatas S. Augustini sententias Vedrosius?

S. Augustino stultitiis affingit Vedrosius.

drosius? Respondet pag 83. Hæc quidem Augustini esse, sed aliud iis non significare velle Augustinum, quàm lubentiam, & in agendo spontaneitatem. Quidquid enim homo velit, sponte eum agere, etiamsi contrarium non possit velle; & hoc dicere voluisse Augustinum. Ita Vedrosius. Hoc dicis Vedrosi, sed nulli sensato persuades, ita sensisse, aut tam stolidum fuisse Augustinum, ut sponte crederet agere eum, qui contrarium non possit velle; stolidus hic sensus est, adeóque indignus Augustino. Tunc enim solùm, omnium non pertinacium judicio, sponte virtuosè agere censeor, v. g. parcere inimico, cùm eius contrarium agere possem, si vellem; scilicet inimicum occidere; & in hoc omnis laus, ac virtutis ratio; uti egit S. David cum Saule. Eodem modo tunc sponte occido meum inimicum, cùm contrarium eius agere possem. & vitam ei, condonare, nec condono, uti egit cum Abele impius Cain; uti egit Judas tradendo Christum, quem utique non necessitatus à DEO, sed malâ suâ sponte tradidit.

Alteram injuriam irrogas S. Augustino eâd. pag. 83. § *Gratiæ enim &c.* ubi ais, S. Augustinum Gratiæ vocem, Apostolico more (Calvinistico debebas dicere) sumpsisse pro virtute physicè operante, cujus respectu homo merè passivè se habeat. Facis, inquam, injuriam Augustino. Ne cogitavit hoc quidem unquam Augustinus, aut ullus orthodoxus Theologus. Error est, hæresis est, quam nihil juvat, quod Vedrosius de doctissimo Andrea Vega affert (nescio quàm verè, quia locum non exscripsit) quasi ita senserit: Nam hîc inter nos non quæritur, an Vega, sed an Augustinus ita senserit. Augustinum ita sensisse, hoc proba. Sensisse cum Catholicis tum veteribus, tum hodiernis nos jam probavimus. Qui copiosiora desiderat, adeat Card. Bellarm. l. 6. de Gratia & Lib. arbitrio, potissimùm cap. 9. & seqq. Nobis ad propositum nostrum hæc sufficiunt, ostendisse scilicet, ita veterem Ecclesiam de Libero arbitrio sensisse, quemadmodum hodierna Romana Ecclesia sentit. Nam præter S. Augustinum, S. Chrysostomi illa celeberrima sententia est, ita loquentis de DEO plurimis locis,

Nec non injuriam addit.

Præ S. Chrysostomo se vult audiri Calvinus.

cis, teste ipso Calvino: *Quem trahit DEUS, volentem trahit.* de quo hoc solùm Calvinus l. Instit. c. 3. §. XI. *Illud à Chrysostomo toties repetitum (quem trahit DEUS, volentem trahit) repudiare necesse est.* Ita Calvinus. Itáne, Calvine, ut plumbum tuum recipiatur, Chrysostomi aurum repudiandum est! In eandem sententiam conspirant planè & ceteri antiquissimi Patres, S. Ignatius S. Pauli discipulus, S. Irenæus S. Polycarpi, Apostolici discipuli, discipulus, S. Cyprianus, cujus solius adhuc verba clarissima opponere libet ex l. 6. ep. 3. ubi sic planissimè loquitur. *Servat Dominus legem, quâ homo libertati suæ relictus sibimet ipsi mortem appetit, vel salutem.* V. dicto l. 6. Bellarm. c. X.

S. Chrysostomo antiquissimi Patrum consonant.

ARTICULUS V.

Consonantia in doctrina de Christo Redemptore & Mediatore.

Num. I.

Christus secundùm naturam humanam, non divinam Mediator est.

Rectè & perquam eruditè D. Georgius XXIII. Documento, quo consensum hodiernæ, & Veteris Ecclesiæ probat, adducit articulum illum, qui est de Christo Redemptore, & Mediatore; de quo quæritur, an Christus D. secundùm humanam, an divinam, an utramque naturam fuerit Mediator DEI, & hominum? Ait autem rectè, & probat ex S. Augustino D. Georgius, Veterem & orthodoxam sententiam esse, Christum non secundùm divinam, sed secundùm naturam humanam Mediatoris, & sic Redemptoris munus executum fuisse. Adducit autem probationis loco duos tantum textus ex S. Augustino suo, quorum prior est valde illustris, quia adjunctam habet ipsam S. Scripturam, ex qua suam hanc doctrinam probat, nimirum illud S. Pauli 1. Tim. 2. ℣. 5. *Unus enim DEUS. Unus & Mediator DEI, & hominum, HOMO Christus JESUS.* quam Pauli sententiam in Serm. XI. de verb. Apost. S. Doctor ita, verè Catholicè interpretatur. *Magnam,* inquit, *istam gratiam commendat Apostolus Christianis, ubi dicit: Unus est DEUS, & unus Mediator DEI & hominum. Non ait* (Apostolus

Vt docet Magnus Augustinus

ius scilicet) *Christus JESUS, ne tu putares secundùm VERBUM dictum, sed addidit: HOMO: Mediator DEI & hominum, Homo Christus JESUS &c.* Augustino consentit tota Vetus Ecclesia, ut videre est apud Card. Bellarm. l. 5. de Christo, c. 4.

Cui consentit omnis Ecclesia vetus.

Ratio sanctorum istorum Patrum, quâ probant Christum secundum naturam humanam fuisse Mediatorem, si in summam colligatur, uti & hodiernæ Theologiæ Catholicæ, ista est. Filius DEI, sive Verbum, est ipsum quoque pars offensa ab homine, & ideo homini itidem infensa, non minùs, ac Pater, & Spiritus sanctus. Ergo ut Filius DEI, non potest Christus esse Mediator. Sic enim esset Mediator ad seipsum, quod continuò apparet esset absurdum. Nam *Mediator*, ut S. Chrysost. in c. 9. Hebr. loquitur, *non est Dominus rei, cujus est mediator, sed alia quædam res.* Sequitur itaque, ut Christus Mediator sit secundum humanam naturam, secundum quam consideratus Dominus eius, id est, hominis, non est, sed frater, & velut conservus eius; & ideo talis, qui Mediatorem ipsius agere queat. Sed hæc clarissimè alibi declarantem S. Augustinum iterum audiamus conc. 1. in Ps. 29. ita theologizantem. *Quid est*, inquit, *Mediatorem esse inter DEUM & homines? Non inter Patrem, & homines, sed inter DEUM & homines? Quid est DEUS? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Qui sunt homines? peccatores, impij, mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, & iniquitatem, Mediator factus est Homo non iniquus, sed tamen infirmus.* (Christum intelligens, quâ hominem) Hæc Catholica de Christo Redemptore, & antiqua & hodierna sententia est, ex Scriptura & ratione insigniter stabilita, ut vidimus. Hanc tamen Catholicam sententiam ita accipias velim, ut simul noveris, Divinitatem neutiquam, in opere Mediationis, à Catholicis excludi sed includi vel maximè. Notissima est enim illa S. Leonis Papæ illustris, omnibúsque recepta sententia, Serm. 1. de Natali Dom. *Christus, nisi esset verus DEUS, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* Et ipsius S. Augustini in Enchirid. c. 108. *Nam neque per ipsum liberaremur, unum Mediatorem*

Divinitas tamen non excluditur.

Vt docent Leo Magnus, & S. Augustinus

rem

regit, & Doctores Ecclesiæ suæ sanctæ constituit; errant, & toto quidem cœlo, tui similes, quos vertiginis Spiritus agitat.

CAPVT V.

Consonantia in Votis Monachorum, Cœlibatu Sacerdotum, & universim in Consilijs Evangelicis, uti contra Præcepta distinguuntur.

AB altioribus & subtilioribus materijs, quæ erant de Prædestinatione, Justificatione, & Redemptionis modo, descendit D. Georgius ad planiora rursus, & Documento 24. & 25. agit de Monachorum habitaculis, vita, & moribus, ac præsertim votis eorum. Documento deinde 26. de Sacerdotum Cœlibatu; Documento autem 27 de Præceptis & Consilijs Evangelicis universim, & docet dilucidè, eadem de his omnibus sentire hodiernam Romanam Ecclesiam, quæ senserit Vetus illa & Sancta, quin & reipsâ se doctrinæ illi, erectione Monasteriorum &c. conformare; cùm penitus in contrarium abeat Reformata Religio, & hæc omnia abdicet, eliminet, spernat, ad eum prorsus modum, quo antiqui Sectarij & fecerunt, & senserunt: quod sibi novo stimulo fuerit deserendi Reformatam Ecclesiam, & amplectendi Romanam. eum ordinem & nos cum bono DEO sequamur, & opera ab eo inspirata, ab adversarijs derisa defendamus. Num. I. Transitio ad sequentem materiam.

ARTICVLVS I.

Consonantia in doctrina de Monasteriis, Monachorum Statu & Votis.

NOn probat multis Patrum Sententijs, D. noster Georgius pag. 71. & seqq. sed totis eorum operibus, Monachorum II.

Sanctissimi Patrum & laudarunt, & egerunt ipsi vitam Monachorum.

Statum, si unquam, in primæva Ecclesia & viguisse, & floruisse. Tale opus est S. Augustini, cui titulum dedit: *De opere Monachorum.* Talis est & regula S. Augustini, quam collectis in unum Monachis, & quidem sexûs utriusque, S. Doctor scriptam reliquit. Tales sunt notissimi illi tractatus S. Basilij, de Regulis Monachorum fusiùs disputatis, & alius de ijsdem breviùs disputatis. Talis est integer ille liber S. Chrysostomi contra Vituperatores vitæ Monasticæ &c.

Mollissimi contra hæreticorum semper insectati sunt.

Accedunt exempla eorundem, quorum etiam D. Georgius meminit, qui non tantùm de Monachorum vita scripserunt, sed vitam cum Monachis & ipsi egerunt, sicuti egit dictus sanctissimus Pater, Augustinus, Basilius M. cum suo S. Gregorio Nazianzeno, S. Hieronymus strictissimæ disciplinæ Monachus, & plurimi alij, quos enumerare fastidij plenum foret. Unde apparet, Monachorum vitam ac instituta, & antiquissima, & bonis, ac sanctis hominibus semper laudatissima, neque unquam ab alijs, nisi â perversis, vel nimiùm mollibus, & carnalibus reprehensa fuisse, quibus facilius nimirum erat sancta hæc instituta vituperare, quàm forti, & rerum omnium caducarum contemptore animo imitari: quod hodiéque fit â Sectariis nostris, qui odio præcipuo, styloque insuper venenato, in omnibus suis libris & declamationibus ad populum, insectantur & Monachorum, & aliorum Religiosorum cœtus, instituta sancta, ritus ac mores; dolentes scilicet ab austeritate illorum continentia, & voluntaria paupertate, mollissimos sibi mores suos, ac incontinentiam, &, ut verbo absolvam, carnalitatem, quâ immersi sunt, perpetuò exprobari. In quorum numero etiam Vedrosius noster censeri vult, qui paginâ suâ 86. 87. & seqq. corradit undiq; ex nostris Catholicis, simul & heterodoxis suis, quidquid in contumeliam Instituti tam Sancti, & Sanctorum tam feracis, potuit consarcinare.

Et cur?

Inter quos vituperatores & Vedrosius est.

III. Quæ contra affert, nihil ad propositũ sunt.

Negat inprimis pag. 86. Monachos olim Clericos fuisse: quid hoc ad rem, Vedrosi? An Monachi in veteri Ecclesia, & magno quidem numero fuerint, non quid fuerint, quæritur. Manes in orbita.

Negat

Negat deinde, Mendicos fuisse Monachos veteres, aut ex eleemosynis; sed manuum suarum labore, vixisse. Et isto quid probas? nisi perfectiores hodiernos Monachos esse; qui ad mendicitatem usque sint pauperes, qualis & Dominus illorum fuit; qui de se Ps. 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, & prædicationis tempore non ex manuum labore, sed piorum eleemosynis vitam sustentavit; quod hodiéque tot millia faciunt.

Negat tertiò Monachos antiquos in urbibus conspectos, nisi ad divendendos labores suos eò ventitarent. addere debebat Vedrosius, & ad confundendos hæreticos. hos enim ut reprimerent, & confunderent, non rarò etiam, Monasterijs suis relictis, tantisper urbes immigrarunt: quod de Magno Antonio, & aliis legimus; aut si aliæ graves Ecclesiæ necessitates præsentiam eorum postularent; quod â ferventibus Monachis hodiéque fieri videmus. Nam vagos, & sine legitimis caussis excurrentes nemo probat.

Pergit exin, & in laudes adeò, sincero, an ficto animo? abit asceteriorum illorum, in quibus Basilij, & Augustini ipsi, cum aliis, Monachorum vitam duxerunt, studiis sacris invigilarunt, alios quoque in iisdem instituerunt. Addit pag. 87. *Nempe erant ipsorum Monasteria non latibula fucorum, sed Gymnasia pietatis & virtutis cultorum.* Quod ulteriùs ex doctissimo sui temporis, Trithemio probat, neque negat ex hujusmodi Veterum Monasterijs *Viros undequaque piissimos, & doctissimos* (verba Vedrosij sunt) *prodiisse.*

Antiquis tamen Monachis præconium facit, cum aliter non potest.

IV.

Cur autem sequi recusât?

Ad hæc ut respondeam Vedrosio, quæro primùm, cur hæc Veterum exempla, &, ut Paulus loquitur, *meliora charismata*, quæ tantopere in speciem probatis vos Reformati, & Reformatores orbis Christiani, non & ipsi æmulamini? Si probatis, cur non & sequimini? Cur in tota Reformata Ecclesia vestra ne unicum quidem asceterium, vel Monasterium, simile illis veterum invenitur, ubi paupertino more frugaliter, ex labore manuum, castéque & continenter vivatur, ita quidem, ut similiter ex eo viri *undequaque doctissimi & piissimi prodeant?* Cur destru-

xistis, & expilastis potiùs Monasteria, quàm Reformastis? Non ejicere Monachos, Basilij & Augustini imitatores, par erat, sed, si mali erant, juxta pollicitationem nominis vestri, reformare eos in melius. Si Reformationem detrectassent, alios ex Scholis vestris lectos, in eorum locum substituere, cósque ad morem S. Augustini, & S. Basilij ita, præsertim exemplo, instituere, ut ex ijs *Viri* quoque & *piissimi & doctissimi* processissent. Cur Vedrosius antiquorum Patrum, si non fictè eos laudat, Zelo & ipse ductus, Asceterium ejusmodi in Rhætia sua non aut excitat, aut excitandum curat, in quo velut alter Augustinus uni DEO, tum & sacris studiis propter DEUM vacet, & alios in iisdem instituat? Aut cur Calvinus simile ausus est nihil? Aut Beza? aut Molinæus &c? Nimirum *Virtus* vobis quoque *laudatur, & alget*. Laudatis antiquos Monachos, Sanctorum Augustini, Basilij, Nazianzeni &c. discipulos; sed simile quid, obstante *carne & sanguine*, nihil audetis. Audent contrà Catholici, DEO & inspirante & juvante & totis his ultimis quingentis annis, totâ, quà patet, Christianitate, ausi sunt. Quod autem Vedrosius de antiquissimis illis Asceterijs, & Monasterijs fassus est ipse, *doctissimos, atque piissimos ex illis viros produxisse*, id novissimis quoque his temporibus, per gratiam Numinis, fieri videmus. Si enim tantùm de quingentis his ultimis annis sermo sit, quò maximè declinasse à recto Romana Ecclesia, arguitur, an non similiter *piissimi doctissimique viri*, & quidem *undequaque doctissimi* ex Monasterijs nostris prodierunt?

Cur non Augustini potiùs, quam Calvini exempla sequitur.

V.

Frustra solùm antiqua Monasteria laudat Vedrosius.

Ex hodiernis quoque Viri doctissimi prodierunt.

E Monachali certè ordine S. Dominici, an non post ipsum S. Dominicum, S. Thomas de Aquino, B. Albertus Magnus, B. Vincentius Ferrerius, B. Petrus Martyr, aliique magno numero, *doctissimi* peræquè, ac *piissimi* Viri prodierunt, qui omnes tamen intra quingentos hos vixerunt.

Ex ordine S. Francisci, S. Bonaventura, S. Antonius de Padua, S. Bernardinus Senensis, Alexander Alensis &c. an non viri fuere *doctissimi, piissimique*?

Ex Ordine Religioso S. Augustini, Ægidius Romanus, ex Illustrissi-

Illustrissima Columnensium Principum familia oriundus, S. Thomas de Villanova Archiepiscopus Valentinus &c. an non itidem tales erant?

Ex ordine S. Brunonis, sive RR. PP. Carthusiensium, Dionysius Carthusianus, Ludolphus de Saxonia, Joannes Landspergius, Laurentius Surius, & S. Bruno ipse &c. an non tales quoque fuerunt? Patet id enumeratione 500. annorum ultimorũ.

Ex ordinibus autem non Monachorum, sed Regularium, Clericorum, an non piissimorum simul, & doctissimorum nomine dignabimur ex Oratorio quidem S. Philippi Nerij, præter ipsum Fundatorem Philippum, illum toto orbe notissimum Cæsarem Cardinalem Baronium, Thomam Bozium, & qui hodiéq; vivit ac scribit, Odericum Rainaldum &c? E Societate JESU denique, præter ipsum S. Ignatium Fundatorem, an piissimorum & doctissimorum nomine ac honore privabimus S. Franciscum Xaverium, Indorum illum Apostolum, Jacobum Lainium, Alphonsum Salmeronem cum reliquis Decemviris primis; quibus Bellarminos adde, Canisios, Suarezios, Vasquezios, Becanos, Foreros; imò Bibliothecam integram, quam de Scriptoribus Societatis ex omnibus ejus Provincijs Philippus Alegambe compilavit; qualem Bibliothecam de antiquissimi, & omnibus posterioribus ordinibus singulariter venerandi Ordinis S. Benedicti doctissimis, atque piissimis Monachis itidem apud Trithemium invenies.

V. Et tamen Vedrosius noster posteriora Monasteria, cum veteribus comparata, ausus fuit pag. 87. *Fucorum latibula*, per insignem calumniam, appellare. Nimirum Fucus fucum facere suis, per contemptum hunc Ordinum hodiernorum conatur; quem non ego, sed totus orbis, qui contrarium & videt, & fatetur, refutat. Apes vel maximè argumentosæ, non fuci fuerunt, quos nominavi, quique alij restarent sine numero nominandi. Sed apes non sine aculeo; quem toties hæreticis & infixerunt olim, hodiéque infigunt, & sic veros *fucos à præsepibus Ecclesiæ arcent*. hinc odium fucorum in has apes. An fucorũ latibula sint hodierna? Fucus id asserit.

VII. Quæ contra Monachos porrò affert Vedrosius, tum ex antiquis SS. Augustino, & Hieronymo tum ex Recentioribus, Nicolao à Clemangis, Cassandro, Cano &c. non de Monachis, sed Monachorum umbris, & irreligiosis Religiosis, tum antiquis, tum præteriti præsertim seculi, intelligenda sunt; quos nemo satis vituperare queat. Et vel hinc colligere possumus, multis locis per Italiam, Galliam, Germaniam &c. corruptissima Monasteria ante centum, & ducentos annos fuisse, quod tantæ fœditatis vermes verminarint (nam ex corruptione malè affectorum Corporum obscœna hæc, & putrida animalcula nascuntur.) Malè utique affecta, & ulcerosis ac fœtentibus corporibus simillima tunc Monasteria multa fuisse necesse est, ex quibus tanta sanies, & intolerabilis fœtor erupit, uti fuere Lutherus, & Bucerus, & Pelicanus, & Hospinianus, & Münsterus, & Viretus, & Ochinus, & Vermilius, & Œcolampadius vester, cui propè secundas à Calvino tribuitis: Pomeranus quoque & Musculus, & Marloratus, & Bugenhagius, omnes ex Monachis diversorum Ordinum, & Monasteriorum, duplices Apostatæ, mera ulcera, ex corruptione temporum illorum, nata. his & similibus ulceribus recisis, & evacuatâ sanie, rediit antiqua sanitas, forma & pulcherrima species, & ordinibus antiquis, & Monasterijs, quæ furor nescio quorum reliqua fecit. Vivitur iterum sanctè, continenter, castè, religiosè, in plerisque hodie Asceterijs Monachorum, aliorúmque Religiosorum Ecclesiæ nostræ Catholicæ; decentissimè sacra obeuntur officia; disciplina domestica sarta tecta, Majorum vigilantiâ, servatur; otium, malorum istorum omnium præcipuus olim fons, & origo proscribitur. Studetur strenuè; utque libeat istud, Bibliothecæ passim instructissimæ, magnis impendiis eriguntur. In has abdunt se Religiosi nostri seculi, & propemodum sepeliunt, & quod à precibus vacui temporis est, multò jucundiùs hîc, quàm maleferiati priorum temporum Monachi inter pocula & colos solebant, laudatissimè collocant.

Malos Monachos vituperat benè.

Sed hos inter etiam majores suos.

Alia nunc Monasteriorum facies, nitida & splendens. Et cur?

VIII. Quæ de Votis Monachorum, & Sanctimonialium pag. 90.

adji-

adjicit Vedrosius, prorsus inordinata sunt. miscet omnia. Ait primos eremicolas nullo constrictos voto in eremis vixisse, & nonnunquam rediisse ad urbes, ac liberos suscepisse. Quid istud ad rem? si voto nullo se obstrixerunt, quid dicis novum, si exin, mutato consilio, aliam vitam, & statum, matrimonij scilicet, inierunt? Licet id hodiéque, si votum absit. Deinde subitò eò vertitur, ut scribat, olim in votis hujusmodi temperamentum Apostolicum ab Ecclesia admissum fuisse, si quis se voto imparem sentiret. Admittitur hodiéque, sed non passim, quia id imprudenter fieret. Et verò in votis, uti nos Catholici loquimur, simplicibus, tale temperamentum, quæ nobis Dispensatio dicitur, non est infrequens.

In ijs, quæ contra ordines opponit Vedrosius, ordo est nullus.

Saltat & vagatur.

IX.

Calumniatur exin doctissimos Viros Bellarminum & Costerum, & impudentes homines vocat: priorem quidem, quòd docuerit, conjugium sacerdotum, non conjugium, sed sacrilegium esse. Negas, tu Vedrosi, si quis votum violet, sacrilegium committi? Næ tu Theologus nullus es, si hoc negas. Atqui hoc facit Sacerdos, qui matrimonium init: non quia matrimonium init, quod per se Sanctum est, sed quia contra votum, & quidem solenne, non contrahendi matrimonij, init, & fidem DEO datam hâc ratione violat, quod sacrilegium est; & tam non est matrimonium, quod sic contrahitur, quàm non esset, si quis Calvinista, relictâ suâ legitimâ uxore, v. g. in Rhætia, in Gallias proficisceretur, & mentiens se cœlibem esse, duceret ibi Gallam aliquam, eâque velut uxore deinceps uteretur. An tale matrimonium, ac non potiùs perpetuum adulterium est, quia fidem uxori datam violat? Sic & Sacerdos ejusmodi, cujus anima per votum solenne castitatis, Christo, ceu Sponso deinceps unico, fidem suam obligavit, si ducat uxorem, fidem Christo violat, & in sacrilego deinceps, eoque perpetuo velut adulterio vitam agit, sicuti egit spurcus Lutherus, Oecolampadius, Zvvinglius, & tot alij Apostatæ Sacerdotes. hoc quidem ægerrimê â vobis auditur, sed â nobis verissimè dicitur, & dictum est verissimè â Magno Bellarmino (quem tu ob hoc non sine impudentia

Etiam conviciatur.

Sed simul Theologicam peritiam Lectori parum probat.

Card. Bellarminus & Costerus defenduntur & explicantur.

tia impudentem appellas; uti & Franciscum Costerum) qui ob dictam à me caussam rectè scripserunt, si scortetur impurus aliquis Sacerdos, sacrilegium quidem admittere; gravius autem, si votis suis minimè solutus matrimonium ineat. Ratio est, quia statum init cum perpetuo Sacrilegio, & insuper maximo scandalo conjunctum, quod scortator non facit.

Denique Examen hoc tuum, super Documento XXV. D. Georgii institutum malè admodum, mi Vedrosi, concludis, dum ingenti confidentiâ, & quasi ex orbis Cathedra definis, & scribis pag. 91. *Votum de Virginitate meritorium, quale in Ecclesia Romana obtinet, ceu superstitiosum, legitimi Voti requisitis destitutum, adeóque temerarium, cum Calvino & Scharpio damnamus &c.* Audi orbis Christiane, quid ex certissima, & altissima sua scientia Vedrosius definiat, statuat, & cum Calvino, & Scharpio, contra Paulos, Augustinos, imò Christum ipsum auctoritativè decernat. *Damnat* votum Virginitatis, *quale apud Catholicos obtinet, superstitiosum appellat*; & cum Calvino & Scharpio *temerarium*, & quidem sine ulla adjecta ratione, ingenti, & ridendâ solùm animositate pronuntiat.

Vedrosius ex Tripode cum Calvino suo loquitur, & ridetur.

Atqui, mi Vedrosi, S. Paulus 1. Cor. 7. Votum Virginitatis, quale apud Ecclesiam Romanam obtinet, & laudabile pronuntiat, insuper & omnibus magnopere, ad exemplum suum, suadet. Suadet ipse Christus, Matth. 19. verbis illis: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum. qui potest capere, capiat.* quæ verba Domini non tantùm de Virginitate perpetua semper intellexerunt Doctores Catholici, ut S. Chrysost. Basilius, Cyprianus, &c. sed etiam de voto Virginitatis, quod est castratio quædam spiritualis, quia impotentem facit eum, qui vovet, non physicè, sed moraliter. Unus audiatur S. Cyprian. in lib. de habit. Virg. ubi scribit: *Qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes, castrantur ad regnum. Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum dicat* (Joan. 14. *In domo Patris mei &c.*) *melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora, vos Virgines petitis, carnis desideria*

Opponitur Vedrosio Doctor Gentium.

Ipséque Christus.

Qui & votum virginitatis probant.

deria castrantes, majoris gratiæ proemium in cœlestibus obtinetis. Hæc Cypr. meritum Virginitatis clarissimè indicans, & in omnibus propè verbis ad illam modò allatam Christi sententiam: *Sunt eunuchi &c.* alludens; sicut & ad alteram Isaiæ cap. 56. ỷ. 5. *Dabo eis* (Eunuchis) *in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus. nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit* Ubi symbolicè intelligi Eunuchos spirituales, scilicet ex voto Virgines, docent S. Hieron. & Cyrillus hîc, Basilius & Augustinus in libris peculiaribus de Sancta Virginitate, S. Ambrosius in Exhortatione ad Virgines &c. Contrà Vedrosius cum Calvino & Scharpio, ut *temerarium* damnat. Non virginitatem damnas, sed te. — Et meritum eius agnoscunt.

ARTICVLVS II.

Consonantia doctrinæ de Cœlibatu Sacerdotum.

PErgit Virginitatis hostis, ea quæ pro cœlibatu Sacerdotum D Georgius Documento suo XXVI. ex sancta, & fideli antiquitate, contra hodiernas, & semper nupturientes Novitates, pag 78. attulerat, non convellere (quî enim queat?) sed tamen vellicare. Hoc enim perpetuum nostris adversarijs est, semper Hymenæum contra virginitatem, præsertim voto firmatam, propugnare, & Veneri contra semper castam Palladem favere; Nuptias virginitati cum Joviniano, antiquo hæresiarcha, æquare; cum Calvino etiam præferre: quidquid in contrarium Apostolus doceat; & ipse Christus: Sed quo hæc Spiritu? cujúsq; instinctu? certè non DEI, non Christi, sed immundi Spiritûs. Quod si aliud non foret (cum tamen sint sexcenta alia) hoc unum cordato cuique Reformatam Ecclesiam suspectam meritò redderet, & abominatam. — Num. I. — Semper nupturiunt Sectarij.

Quid ergo pro cœlibe, id est, semper casto, & à mulierum commerciis intaminato Novæ Legis Sacerdotum statu D. noster Georgius; quid contra illum Vedrosius?

II. D. Georgius pag 79. & 80. probat duobus clarissimis testimo-

stimoniis duorum Ecclesiæ Doctorum præcipuorum, S. Hieronymi, & S. Augustini, Clericos primævæ Ecclesiæ, (intellige in Majoribus Ordinibus constitutos, ut sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & multò maximè Episcopi) ab usu matrimonij perpetuò abstinuisse. Prius S. Hieronymi testimonium ex lib. 1. contra Vigilantium hæreticum tale est: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ?* (intelligit Romanam) *quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerunt, desinunt esse mariti.*

Clerici primævæ Ecclesiæ uxorum expertes. Teste S. Hieronym. & S. Augustino.

Sanctus verò Augustinus *quæst. 127. ex utroque Testamento*, non tantùm dicit apertè, licitum non fuisse suis temporibus, uxores habere Sacerdotibus, sed pulcherrimas quoque rationes addit, cur non licuerit. His testimoniis præmissis (& poterat plurima alia) adducit quoque per præoccupationem argumenta infirmissima adversariorum, quæ ex Scriptura contra cœlibatum imperitissimè adducunt, & egregiè solvit pag 80. & 81.

III.

Vedrosij Oppositiones.

Id Vedrosio non placet.

QVid ad ista D. Vedrosius? Audi & obstupesce, audaciam hominis. Adducit pag 94. in contrarium, primæ Ecclesiæ exempla, imò non adducit, ut probus historicus, sed fingit, eorũ scilicet Episcoporũ, qui & in matrimonio fuerint, & matrimonio quoque in Episcopatu ipso usi sint. Primum exemplum eius est, Carterius quidam Hispanus Episcopus, ut ait; quem contendit & maritum fuisse, & matrimonij jure in ipso Episcopatu usum, idque asserere dicit ipsum S. Hieron. in epist. ad Oceanũ. Fallis Vedrosi. Hoc unum dicit Hieronymus, Carterium, antequam Episcopus esset, bigamum fuisse, sive duas successivè uxores habuisse, unam ante, alteram post baptismum; & deinceps nihilominus Episcopum ordinatum fuisse; idque sæpiùs etiam in aliis factum, ut bigami scilicet ordinarentur, ex indulto tamen Ecclesiæ, dispensantis quoad hoc ob justas causas. Usum autem esse Carterium suâ illâ ultimâ conjuge in ipso Episcopatu, ne verbo quidem insinuat Hieronymus, sed fingit Vedrosius. Altera

Unde fingere audet exempla veterum Episcoporũ conjugio usorum. Præsertim Episcopi Carterij.

tera & multò crassior Vedrosij falsitas est, quòd eâd. pag. 94. scribere audet, S. Hieronymum, modò Cœlibatûs, modò matrimonij Sacerdotalis acerrimum vindicem fuisse. Atqui Sacerdotale matrimonium (id est, usum matrimonij in Sacerdotio) & multò maximè, post jam initum Sacerdotium, contrahendum matrimonium omnibus modis detestatus est Hieronymus, & in hunc finem integros libros scripsit contra Vigilantium & Jovinianum hæreticos, patronos matrimonij Sacerdotalis, & omnis virginitatis hostes, majores scilicet vestros, quorum vos hæredes in hoc estis.

S. Hieronymus injuriam patitur à Vedrosio.

IV.

Ecce enim, Hieronymus in fine Apologiæ suæ pro libris contra Jovinianum ita loquitur: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici,* (loquitur in hoc ultimo commate de conjugatis Sacerdotibus) adde quæ paulò ante ex eod. Hieronymo attulimus ex lib. 1. contra Vigil. Hic, hic, Hieronymi sensus est, cui tu injuriam facis, dum ais, eum Sacerdotalis matrimonij acerrimum vindicem fuisse. Imò accerrimus semper insectator fuit. Unde ex S. Hieronymo per insignem injuriam vertumnum facit Vedrosius, ut qui modò Sacerdotale matrimonium acerrimè impugnârit, modò acerrimè defenderit? verissimum est prius, falsissimum posterius. Aut contrarium ex vero ostende.

Hieronymus nunquam favit conjugio Sacerdotū, sed insectatus est semper.

V.

Alterum exemplum, quod falsò tamen iterum adducit, est Pater S. Gregorij Nazianzeni, & ipse dictus Gregorius, quem contendit in ipso Episcopatu uxori suæ cohabitasse, idque probare conatur ex oratione Nazianzeni in funere matris habita, ex illis potissimùm verbis. *Quæ* (scilicet mater) *cùm cæteris in rebus, sicut matrimonij leges ferebant, viro suo parére optimum esse judicaret, fidei tamen, pietatisque magistram se profiteri non verebatur.* Hæc Gregorius filius, de Patre Gregorio, & Conjuge ipsius, matre sua, laudabiliter, & rectè. Paruit illi, scilicet marito suo Gregorio, in iis, quæ matrimonij leges ferebant; sed antequam Gregorius Pater Episcopus fieret, quod solum ex his Gregorij filij verbis exsculpi potest. In ipso autem Episcopatu instar

Alterum fictū exemplum Vedrosij, de Gregorio Nazianzeno Patre.

omnium aliorum Episcoporum illius temporis, aut continuit se ab uxore Gregorius Pater, aut omnium Episcoporum falacissimus, & transgressor Ecclesiastici Canonis fuit, quod nec Vedrosius dixerit. Quod si pulchrum, decénsque, & per sacros Canones licitum putabat Gregorius filius, conjugio copulari, & frui etiam in Episcopatu, ut Vedrosius vult, cur Patris exemplum Filius secutus non est? cur non conjugem & ipse duxit, jam Episcopus factus, & liberis quoque operam dedit? Constat autem Gregorium hunc filium, cognomento Nazianzenum, vitam semper cœlibem, & castissimam, maximéque in Episcopatu duxisse; quod omnes alij magni illorum temporum Præsules fecerunt, Basilius, & Gregorius Nyssenus eius frater, Amphilochius, Chrysostomus, Epiphanius, & ante ipsos S. Athanasius, S Alexander, Athanasij decessor, omnésque alij in Oriente Episcopi, ita, ut ne unus quidem SS. Episcoporum Orientis nominari possit, teste Card Bellarmino, qui in Episcopatu uxore usus liberorum generationi vacaverit Si secus est, producantur liberi, quos in Episcopatu genuerint; nominentur filij & filiæ, nepotes & neptes, quales apud vos Reformatos Ministros greges toti produci queunt. Idem affirmo de omnibus sanctis, & claris Episcopis Occidentis, sive Ecclesiæ Latinæ, Ambrosiis, Augustinis, Gregoriis Magnis, Martinis, Paulinis, Alipiis, Hilariis, verbo omnibus, quorum clara ad nos nominis fama pervenit; quæ eximia castitas ab omni commercio uxorio, & servitute libera, in posterioribus quoque omnibus sanctis Episcopis perseveravit, Bonifaciis, inquam, Kilianis, Wilbaldis, Rupertis, Wolfgangis, Conradis, Udalricis, verbo omnibus veris, & sanctitate, ac doctrinâ claris Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ, Ungariæ, Angliæ, Sueciæ, Daniæ, &c. Episcopis, quorum ad nos acta, & vitæ pervenerunt. Adde & sanctos Curienses Episcopos in Rhætia vestra. Nam quæ tu ex auctore hæretico, Hedione, pag. 95. affers de Paschasio Curiensi Episcopo, quòd anno 760. & uxorem habuerit, & eius quoque nomen diplomatis suis unà cum suo præfixerit hac formâ: *Episcopa Curiensis*, quomodo credam

Omnes sancti Episcopi antiqui Cœlibes fuerunt.

In Græca æquè, ac in Latina Ecclesia.

Enumerantur.

VI.

Stultè facta Vedrosius laudat.

dam hæretico calamo, Hedionis inquam, in similibus millies mentienti? quod si factum fuit, stultum factum fuit, quod nemini præjudicat. Hoc tamen factum, si tamen factum, placet Vedrosio; hoc probat Vedrosius; in hoc, veluti victor, captâ prædâ, exultat Vedrosius, in facto scilicet stultitiæ pleno, in quo nemo sapiens exultat, aut triumphat: simile est, quod laudas ex Aventino, & cum Aventino; scilicet Gregorij VII. ætate, anno 1080 Sacerdotum uxores, honesto vocabulo (tibi, Vedrosi, & tui similibus) Presbyterissas fuisse vocatas. Tibi, & Aventino Presbyterissæ sint; nobis incestæ Meretrices sunt. Aventinum citat Vedrosius, in probrum utriusque.

Ab Episcopis ad Presbyteros Vedrosius descendit, pag. 95. & ex ipso scilicet, S. Cypriano probat, Numidicum Presbyterum uxorem habuisse, quam pro fide Christi concremari lætus aspexerit. Felicem quoque Presbyterum conjugatum fuisse, uxorémque suam, cùm ad martyrium duceretur, alteri Sacerdoti commendasse. Quid hinc probas, Vedrosi? Et S. Petrus Apostolus uxorem habuit. Sed an post sequelam Christi uxore suâ usus legitur? Idem non legitur de his duobus sanctis presbyteris; sed solùm habuisse: quod in Ecclesia prima frequentissimum erat. Et habebant, & abstinebant. quod quia Reformatis Ministris impossibile videtur, idem de aliis omnibus judicant. Ecce ex tot millibus Episcopis, & Presbyteris primæ Ecclesiæ, ne duos quidem Episcopos, & ne duos quidem Presbyteros invenit proposito suo servientes. Victa exempla Vedrosij de Sacerdotibus conjugio usis in primitiva Ecclesia. Habebant uxores, & abstinebant.

Sed palmaris, & prorsus adipata, ac pinguissima falsitas est (ita loqui cogor) quâ paginam 93. & 94. conspurcat Vedrosius, ex Calvino utique suo, & eius asseclis, dum scribere non erubescit in hunc modum ad finem paginæ: *In Synodo Nicæna I. Oecumenica, partibus aud.tis, dubiis subsellius, Scripturâ judice, Hebr. XIII. referente Paphnutio, sene cælibe, Martyre, sententia lata, conjugiorum usus Ecclesiæ Ministris concessus, assentiente omni Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Choro.* Non autem alium Auctorem huius rei, nisi Gelasium Cyzicenum in Act. Synod. Nic. c. 33. paucissimis cognitum Auctorem, in re tanta citat. Cur non & Socratem VII. Adipata falsitas de Concilio Niceno.

& Sozomenum, historicos notiores, qui propè eadem habent? an quia hos manifesti mendacij in hoc convictos apud Card. Bellarm num L. 1 de Clericis, c. 20. legerat? Ut ut sit. Falsum quoad hoc & à Gelasio, & à Socrate, & à Sozomeno, & à Vedrosio obtruditur imperitis; quod demonstratu facillimum est. Nam quid decreverit circa hoc, primum id Oecumenicum Concilium Nicænum, sive protestante, sive non protestante, quod in medio relinquimus, Episcopo Paphnutio, palàm est. Canon enim tertius, sive, quod idem est, tertia lex Ecclesiastica Concilij Nicæni ita habet: *Interdixit per omnia sancta Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi matrem, aut sororem, aut amitam*, vel *eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt*. Ergo auditus in Concilio Paphnutius non est; Lata contra cœlibatum sententia non est; nec usus conjugij Clericis concessus, sed prorsus contraria omnia acta sunt, assentiente omni aliorum Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Choro. Vide ergo benigne Lector, ut imposuerit tibi hoc loco Vedrosius. Neque effugit idem Vedrosius, dum ait, tantùm prohibitas esse *subintroductas mulieres*: id est, concubinas. Quid interpretatione istâ ineptius? Sic enim & mater, & soror essent subintroductæ mulieres, hoc est, concubinæ. Ait enim Canon: *nisi matrem, aut sororem*, &c. quas etiam inter subintroductas mulieres, id est, in domum inductas numerat.

Quæ ex ipsis Concilii verbis demonstratur.

Quæ ridiculè explicat Vedrosius.

VIII. Patroni Sacerdotalis conjugii qui fuerint? Et quo eventu?

Quæso, Vedrosi, parce famæ tuæ. Quod autem hîc de Paphnutio Episcopo diximus, & respondimus, idem responsi habeat Vedrosius ad illa sua, quæ initio Examinis super Documento Georgiano XXVI pag. 9., attulit ex Orichovio Rutheno, ex Concilio Basileensi, & Maximiliani II. litteris: Item ex Æneæ Sylvij, postea Pij II. scriptis, uti & ex Synodo Brixinensi sub Gregorio VII. omnes hi Paphnutij exemplum imitati sunt. Proposuerunt Pontificibus Romanis, & Conciliis rationes, ob quas crederent Sacerdotibus uxores permittendas esse. Pontifices

tifices autem, & Coucilia, re diligentissimè examinatâ, idem quod Concilium Nicænum statuerunt, eiúsque Canonem tertium innovarunt & confirmarunt, scilicet Ecclesiæ bono, & Gloriæ DEI conducibilius videri, Sacerdotibus conjugum usum non permittere; in quo decreto Ecclesia Romana & in Concilio Tridentino, & post illud etiamnum sapienter perstat. Neque tamen hoc pacto, ut Sectarij nostri vociferantur, nuptias, aut matrimonium prohibet, sed illud prorsus unicuique in arbitrio proprio ponit, ut vel uxorem ducat, & liberos ex ea procreet, si benedictio divina accedat; vel Sacerdotium, & annexum ei continentiæ votum eligat; à quo deinceps, sicut ab omni legitimo voto, DEO facto, resilire non liceat. Unde omnes illi Sectariorum, & inter illos etiam Vedrosiani cavilli cadunt, quasi Præsules Romani & Concilia Catholica matrimonium, hæretico quodam spiritu, prohibeant. Nugæ sunt hæ, ipsis auctoribus nec dubito, ridiculæ; semper tamen ob famem & inopiam aliorum argumentorum jam per centum annos usurpatæ, semper à Catholicis, & à nostro etiam D. Georgio hoc documento XXVI. explosæ. Matrimonia, quæ non matrimonia, sed sacrilegia sunt, contra fidem nimirum DEO datam inita, prohibent; reliqua plùs, quàm adversarij approbant, dum Sacramenti adeò sanctitatem ipsis tribuunt, quod adversarij negant. Recipiunt vel maximè Catholici illud S. Pauli ad Hebr 13. v. 4. *Honorabile Conjugium, & torus immaculatus. Fornicatores & adulteros judicabit DEUS.* Recipiunt, inquam, vel maximè, & omnes legitimè matrimonio conjunctos (quales non sunt sacrilegi Sacerdotes) hortantur cum Paulo, ut *honorabile* ducant *conjugium*, & *torum* servent *immaculatum*, & hos inter etiam vos Reformatos Ministros conjugio adstrictos; apud quos non rarò nec *honorabile conjugium* est, nec *torus immaculatus*.

Per legem Cœlibatus ipsum matrimonium non prohibetur; ut cavillantur Novatores.

Sacrilegia prohibentur, non matrimonia.

Sanctiùs est Catholicis matrimoniũ, quàm Reformatis.

IX.

Hæc ego paulò ardentiùs, non alio tamen animo, quàm ut desinatis tandem Romanæ Ecclesię, & Cœlibatui ipsius propterea maledicere, quòd reperiantur nonnunquam apud nos Sacerdotes & Dia-

Qui nobis suamet probra frustra objiciunt.

& Diaconi parùm casti & pudici. Dolemus; vobis tamen nec diffitentibus, illud reponimus; Inter vos quoque Calvinianos, & Lutheranos Ministros, etsi conjugati estis, plures tamen quàm ipsi quoque velletis, & adulteri, & incesti quoque reperiuntur, quod longè fœdius est; suâ nimirum uxore non posse contentum vivere. Id ita esse, Protocolla Judicum, variis in locis, ubi degitis, loquuntur. Ita certò novimus nos Catholici; & pluribus locis, talia Protocolla, exhibita nobis etiam inspeximus. Talia coacti scribimus, ut aliquando desinatis propria vestra probra nobis objicere, quæ dicto modo in vos retorqueantur. Non omnes apud vos Ministri contra matrimonij legem delinquitis. Ita credo. Non omnes etiam apud nos Sacerdotes Cœlibatum suum violant, sed multi, imò plurimi, intra & extra Cœnobia immaculatum illum servant. Ita & tu cum tuis crede, & suspice simul eadem omnino decora in hodierna Ecclesia Catholica, quæ in veteri illa & prima enituerunt; perpetuæ scilicet virginitatis, continentiæ, castitatis in tam multis, omnium judicio, & constanti famâ castissimis Episcopis, Prælatis, Monachis, aliísque Religiosis; Sanctimonialibus præterea, aliísque non sanctimonialibus feminis, ex voto virginitatem illibatam colentibus; quin & conjugatis non paucis, ad exemplum primævæ Ecclesiæ, ex consensu mutuo, continentibus; exempla scilicet æmulantibus tum primorum Sanctorum, sive Episcoporum, sive Presbyterorum; tum ipsorum SS. Apostolorum; qui omnes aut virgines ad finem usque vitæ perstiterunt, ut S. Joannes Evangelista, & S. Paulus; aut post sequelam Christi usu matrimonij perpetuò caruerunt; quod negari à Vedrosio, & contrà pag 97. affirmari, etiá Apostolos in Apostolatu matrimonij usu non caruisse, sed mulieres uxores secum circumduxisse, me profectò ipsum loco Vedrosij puduit. Et credo, atramentum Vedrosij, dum hæc scriberet, ipsum erubuit. Nimirum tam necessaria res uxoriis istis Ministris uxorcula semper lateri adhærens judicatur, ut neque Apostolos carere potuisse, aut voluisse, in animum inducere valeant, imò & scribere

Et sic ad Talionem nos cogunt

Plures apud nos Voti sui observatores, quam violatores.

non

non erubescant, Paulum ipsum, Virginitatis antesignanum & Signiferum, maritum fuisse; quod & Vedrosius l. c. audet, contra expressissima Pauli ipsius verba 1. Cor. 7. v. 8. *Dico autem*, ait Paulus, *non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*; quem locum D. Pauli omnes Interpretes Catholici, excepto Clemente Alexandrino, de virginitate perpetua S. Pauli accipiunt. Solus autem hic Clemens idoneus satis contra omnes alios auctor est Vedrosio, ut Paulum fuisse virginem neget, nimirum contra Hieron. Augustin. Ambros. Epiphan. Chrysostom. Theodoretum, quos vide apud Bellarm. l. 1. cap. 20. de Clericis. Huic uni, inquam, Clementi, suspecto in pluribus auctori, quia carnalitati suæ favet, plùs quàm Paulo ipsi credit Vedrosius, quali olim oculo in æternitate à Paulo intuendus? Quæ alia ab eodem Vedrosio contra cœlibatum ex scriptura sacra afferuntur, ut est illud 1. Tim. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, & similia, planè in perversum sensum, & Patribus ignotum detorta, vide apud Bellarminum ex ipsis SS. Patribus egregiè refutata l. 1. de Cler. c. 20. toto. piget hîc plurium. O quàm rectè & sapienter itaque egit D. Georgius, qui hanc tam carnalem sectam deseruit, in qua nec mica, nec scintilla heroicæ illius castimoniæ & sanctimoniæ, quam Servator noster illis verbis Matth. 19. consuluit: *Sunt Eunuchi &c.* & addidit: *Qui potest capere, capiat*; quam S. Paulus, & ceteri Apostoli exemplo suo sanxerunt, verbis commendarunt; quod ex epistola S. Pauli ad Corinth. prima, c. 7. manifestissimum est; quâ castimoniâ, & Sanctimoniâ omnes Sancti Episcopi & Presbyteri, quingentis primis annis, excepto prorsus nullo, gradum suum ornarunt; in qua multa Monachorum millia, Ducibus ipsis Ecclesiæ Doctoribus, Hieronymo, Augustino, Basilio excelluerunt; toti exercitus Virginum ijsdem hortatoribus, claruerunt; quæ virgines S. Cypriano *in lib. de disciplina & habitu virginum dicuntur: Flos ecclesiastici germinis, decus & ornamentum gratiæ spiritualis, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum; DEI imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Hæc

X. Vedrosio ipsi quoque Apostoli in Apostolatu matrimonio sunt usi.

Etiam Paulus ipse, contra expressa Pauli verba.

Sed Clementi Alexandrino Vedrosius præ Paulo credit.

Quantus honor Virginitati in primitiva Ecclesia.

S. Cypriani encomium de Virginitate.

Apud Reformatos simile nihil

Cyprianus Episcopus & Martyr. an non ad tam prolixam Virginitatis laudem dolent tibi aures, Vedrosi? Quid apud vos vel in millesima parte simile? Omnes vestri Superintendentes, quos Episcopis æquiparatis, mariti sunt. Omnes alij Ministri, qui Sacerdotum vobis loco sunt, conjugati sunt. Omnes ceteri *nubentes & nuptui tradentes*, sicut in diebus Noe. Matth. 24. vitam in delicijs exigunt. Exhortationes ad Virginitatem nullæ, quales Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, & tot aliorum in veteri Ecclesia exstant; imò dehortationes ab illa perpetuæ, & execrationes, & irrisiones. O Reformatos! O Reformatores!

ARTICVLVS III.

De Præceptis & Consiliis Evangelicis.

Num. I. Ut omnem Virginitatem eliminent, negant eam â CHRISTO consultam.

Mirabilia audisti articulo priore, audi hoc articulo mirabiliora, simul & fœdiora. Ut omnem Virginitatem penitus eliminent, unà cum evangelica illa rerum omnium exspoliatione (quæ heroica opera â primis Ecclesiæ initijs Catholica Ecclesia suscipere se ex consilio Christi, & Apostoli Pauli gloriata est, unde & Consilia Evangelica appellavit) ut hæc, inquam, eliminent, & ne ex comparatione tantæ virtutis cum languore sectæ suæ, Reformatores nostri despicabiles fiant, sectáque ipsa per hoc de falsitate suspectissima reddatur, negant, ulla dari Evangelica consilia, quæ omnibus in commune â Christo Domino sint ad exercitationem majoris virtutis proposita. Contra hunc fœdissimum errorem, tegendæ solùm turpitudini suæ inventum, opponit se D. Georgius noster, & Documento 27. ipso Sole clariora ad ducit non solius Augustini, sed prætereà S. Cypriani & S Chrysostomi testimonia, qui apertissimè inter Præcepta Evangelica & Consilia distinguunt, & nominatim inter Consilia Evangelica Virginitatem & Paupertatem voluntariam verbis nihil dubij relinquentibus ponunt. Pars sententiæ S. Cypriani hæc est. *Cùm jam refertus est orbis, & mundus impletus* (hominibus scilicet ex matrimonio genitis) *qui capere continentiam possunt, Spado-*

Negant & reliqua Consilia Evangelica

II. Contra SS. Patres certatim asserunt. S. Cyprian.

Spadonum more viventes castrantur ad regnum. Nec hoc jubet Dominus, sed HORTATVR; nec jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Ita Sanctus. Verbum autem illud: *Hortatur:* idem omnino est, quod: Suadet consilium dat.

Clarius adhuc loquitur S. Chrysost. hom. 3. de Pœnit. *Paulus inquit:* (ait Chrysostomus) *De Virginibus autem Praeceptum non habeo: Consilium autem do. Cernis non mandatum, sed CONSILIVM?* Hæc Sanctus. Non possemus vel hodie loqui apertiùs, si Præceptum Evangelicum â Consilio distinguere vellemus. S. verò Augustini testimonium ex Enchiridio c. 121. tale est. *Ex iis, quæ non jubentur, sed speciali CONSILIO suadentur, unum est: Bonum est homini mulierem non tangere.* Et rursum serm. 61. de Temp. *Consilium datur, ut Virginitas conservetur; ut â vino & carnibus abstineatur; ut vendantur omnia & pauperibus erogentur &c.* Quid nunc censes, Lector, an putas post audita Pauli verba: *Consilium autem do:* post audita trium horum Patrum verba, & præsertim illa S. Augustini: *Consilium datur, ut Virginitas conservetur &c.* An, inquam, putas post hæc reperiri posse aliquem, tam perfrictæ frontis hominem, qui neget nihilominus, ullum Consilium in Evangelio Christi reperiri, sed quæcumque dicta sunt â Christo, esse mera præcepta. Negat Evangelicus Vedrosius pag 98. sub finem. *Paupertatem,* inquit, *castitatem & obedientiam Christus non voto, non opinione supererogationis, ultro volentibus suscipiendas consuluit, sed omnibus ex officio præstandas præcepit, ut videlicet sequerentur per Saxa, per ignes, etiamsi paupertas sit subeunda, uxor relinquenda, vita ipsa deserenda.* Idem Vedrosius eâd. pag. sub initium. *Fatemur,* inquit, *ex Veteribus aliquos inter Mandatum & Consilium non nunquam distinguere, sed sensu Papistico negamus. Nulla apud eos voti, majoris perfectionis nulla, nulla supererogationis mentio, nec apud Cyprianum, nec Chrysostomum, nec Augustinum citatos.* O quàm te, tuósque omnes tam ad oculum demonstrabili & vanitate, & falsitate confundis, Vedrosi? Quot enim hîc verba, tot falsa. Ordiamur ab ultimo. *Nulláne* apud citatos *supererogationis mentio?* cœcus itaque es, qui hæc S. Augustini verba â

S. Chrysostomus.

S. Augustinus.

Clarissimè autem Paulus ipse.

III.

Paupertas & Castitas voluntaria Vedrosio sunt Præcepta Evangelica.

Quot verba tot falsa.

D. Georgio pag. 87. citata non videris: *Hoc est ergo Consilium ejus,* (inquit S. August.) *cui credo dictum esse: Si quid supererogaveris, rediens reddam tibi.* En ut hæc verba Domini: *Si quid supererogaveris* Luc. 10. 35. S. Doctor ad ipsa consilia Christi referat, indicans, *supererogari* Domino, cùm consilia servantur. Quod si hoc Augustini dictum minus tibi dilucidum videtur, habe alterum ejusdem Augustini multò clarissimum de supererogatione, quæ consilijs Domini inest, ex l. 2. qq. Evang. q. 19. ubi explicans illam Domini parabolam de Jerichuntino Viatore ad mortem usque vulnerato; ubi venit in expositione ad stabularium, cui Dominus dicit Luc. 10. *Quidquid supererogaveris, reddam tibi*: ita explicat: *Stabularius,* inquit, *Apostolus est.* (S. Paulum intelligit) *Quod supererogat, aut illud est consilium, quod ait:* (Paulus scilicet) *De Virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do: Aut quod etiam manibus suis operatus* (idem Paulus scilicet) *ne infirmorum aliquem in novitate Evangelij gravaret, cum ei liceret pasci ex Evangelio.* Hæc sanctus. Et animosissimè tamen Vedrosius audet & dicit: Nullam de supererogatione, quæ votis insit, mentionem esse, neque apud Cyprianum, neque Chrysostomum, neque Augustinum. cùm verò nunc contrarium oculis ipsis subjectum sit, an non confusio operit faciem tuam, Vedrosi? Utinam ad salutem tuam!

An nulla supererogationis mentio apud Veteres? falsò id asserit Vedrosius.

IV. Negasti secundò eâdem animositate (ut mitissimè loquar) nullam apud dictos Patres mentionem reperiri, *de perfectione majori*, quæ Consilijs ejusmodi, si serventur, insit. Fallis in hoc secundò. Nam S Cyprianus l. de hab. virg. sic loquitur: *Cùm Christus habitationes multas apud Patrem suum dicat* (nimirum Joan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.) *melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos* (Virgines) *petitis, carnis desideria castrantes majoris gratiæ præmia in cælestibus obtinetis.* Ita Cyprianus, per majorem gratiam non aliud, quàm majorem virtutem & perfectionem intelligens. Nam huic soli majora in cœlo proemia, & meliora habitacula respondent. Eôdem loquendi modo S. Hieron. utitur cum lib. 1. in Jovin. ita

An nulla majoris perfectionis mentio apud Veteres?

Asserit Vedrosius. sed iterum falsò.

ita scribit: *Plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, majorísque gratiæ* (id est, virtutis & perfectionis) *est offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod exigaris.* & quid multis testimonijs est opus, cùm apud omnes vel modicè Theologicâ scientiâ tinctos indubitatum sit, perfectius esse opus bonum, quod majorem dilectionem includit. includit autem non communem, sed eminentem utique charitatem, omnia pro Christo relinquere, opes, delicias, nuptias, liberorum, & propagandæ familiæ & nominis sui amorem, quod per *voluntariam* ejusmodi *mendicitatem*, ut S. Chrysost. loquitur, & castitatem perficitur.

Negat tertiò, & simul fallit tertiò Vedrosius, dum ait: *Nulla apud Cyprianum, Augustinum &c. mentio est de voto,* sive de paupertate, aut continentia per votum DEO consecrata, quod rursum apertissimè falsum est. Nam & Beatissimam virginem, suam DEO Virginitatem vovisse, communis est Patrum sententia, quod ex illo Luc. 1. rectè colligunt: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* in qua Sententia est ipse etiam Augustinus, in lib. de sancta Virginitate (audi iterum, Vedrosi, in libro de sancta Virginitate) cap 4. *Hoc,* inquit Augustinus, MARIA *non diceret, nisi DEO Virginem se ante vovisset.* Augustino adde S. Gregor. Nyssenum, & alios apud Bellarm. l. 2. de Monachis c. 22. Quid hîc nunc ais iterum Vedrosi? Nullâne apud Augustinum, Cyprianum &c. mentio de voto Virginitatis, quod tam animosè suprà asserebas? Idem S. Augustinus in primis illis Christianis omnia sua vendentibus, & ad pedes Apostolorum projicientibus, & in ipsis multò magis Apostolis, omnia pro Christo relinquentibus, juxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia*: verissimum votum agnoscit. Et de Apostolis quidem lib. 17 de Civit. c. 4. his verbis: *Dixerunt potentes illi*: (Apostoli) *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc VOTVM Potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est: dans Votum voventi?* De reliquis autem primis Christianis agens, & nominatim de Anania

V.
An nulla Voto virginitatis &c. mentio apud Veteres.

Asserit Vedrosius: sed jam tertiâ vice falsò.

Id quod ostenditur ex S. August. Nysseno. Cypriano.

Idem ostenditur de Voto paupertatis ex Augustino.

& Sapphira, fraudantibus de pretio agri, & ob id morte subitaneâ punitis, Actor. 5. ita loquitur August. Serm. 10. de diversis, in alia editione serm. 12. *Si DEO displicuit detrahere de pecunia, quam VOVERANT DEO, quomodo irascitur, quando vovetur Castitas, & non exhibetur?* & paulò post: *Potest itaque Virgini Sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua numquid non manens tibi manebat, & antequam eam VOVERES, in tua fuerat potestate?* Et tamen Vedrosius animosè: Nulla inquit, mentio de voto vel paupertatis, vel virginitatis apud Augustinum &c. Tege iterum faciem, Vedrosi, obnube cum nubentibus tuis, & si potes, tertiùm erubesce. Simul resorbe illa verba tua, quæ scripsisti pag. 98. *Fatemur*, inquis, *aliquos ex Veteribus inter Mandatum & Consilium nonnunquam distinguere sed sensu Papistico negamus.* explicat exin, quem sensum vocet Papisticum, nimirum illum, qui doceat, in Paupertate & continentia Veterum intervenisse votum, & majoris perfectionis illam paupertatem & continentiam fuisse, & supererogatorium esse. Ecce hic tibi sensus est Papisticus. In hoc sensu negas de Consilijs Evangelicis veteres locutos. Atqui contrarium tibi modo ostensum est in omnibus tribus â te desideratis, Votum, major perfectio, & ob hanc major in cœlis gloria, insuper & supererogatio. ostensum ergo simul est, Veteres illos in sensu Papistico, id est, verè Catholico locutos fuisse. Sed tu modò ostende nobis in Veteribus vel unum, qui sensu Calvinistico docuerit, omnia Christi monita, omnia quoque Pauli, non consilia, sed mera mandata esse, quod tu audes cum nescio quo neque noto Sequenoto, quem citas hoc loco, affirmare; quæ nova & omnibus retro seculis inaudita non doctrina, sed hæresis est, clarissima tum Christi, tum Apostoli verba & obscurans & evertens, & ficulneorum foliorum loco, ad tegendas Antevangelicas turpitudines contexta & prætensa. Nimirum quia consilia Christi & Apostoli tam carni ardua, quàm Spiritui suavia, in deserendis opibus & delicijs vestris, amplecti nec vultis, nec audetis; etiam esse Consilia negatis, & sic præclarè

Ita triplex falsum obtrusit Vedrosius in linea unica

VI.

Veteres Patres in sensu Papistico locuti sunt de Consilio & præcepto.

Id iterum falsò negat Vedrosius.

Et cur?

Pudenda ex causa.

clarè & ingeniosè sanè, ab omnibus Evangelicis oneribus vos expeditis. Nam Præcepta admittitis quidem, sed impossibilia esse docetis. Consilia aut non recipitis omnino, aut mandata ex eis facitis, quæ rursum impossibilitatis nomine rejicere possitis. Profectò magni artifices estis.

ARTICVLVS IV.

De Quadragesima.

Num. I. Horridum Reformatis nomen Quadragesima.

COhorruerit iterum ad hunc titulum pag. 89. Documenti Georgiani 28. & ipsum nomen: *Quadragesima*: D. Vedrosius. Nam jejunatam esse â primis Christianis Quadragesimam multò manifestius est, quàm ut ullo modo possit negari. eandem jejunari hodiéque toto Christiano orbe â Catholicis, notius itidem est, quàm ut id adversarij queant inficiari. Notissimum denique, eandem â Reformatis non jejunari, & sic accedere in hoc quoque hodiernam Ecclesiam Romanam ad illam vetustam & sanctam; recedere contrà Reformatam. Hæc primo statim intuitu Vedrosio occurrere & potuerunt, & utique occurrerunt, præsertim verò lectis insuper ijs, quæ D Georgius ex vetustate adducit. Quid igitur agat bonus Vedrosius? an cum Calvino l. 4 Instit c. 12. dicat, *Quadragesimam meram esse superstitionem!* Crudum hoc nimis est, Apostolicam traditionem superstitionem vocari. An concedat rectè & â Veteribus illis jejunatum fuisse, & ab hodiernis Catholicis per Quadragesimam jejunari? At hac ratione condemnet Reformatam Ecclesiam suam, & mollitiei eam accuset, quæ ex illaudato carnis affectu negligat facere id, quod â temporibus Apostolorum omnes boni Christiani sunt facere soliti, atque ita ceu victus herbam D. Georgio porrigat. Ecce consilium in arena. Probat primæ Ecclesiæ Jejunia, & Quadragesimam; hodiernæ improbat, quod dispar & dissimile sit â Jejenuio veterum. *Iejunium bonum est*, inquit pag. 99. *si conditionibus, ac fine in verbo DEI præscripto institutum, ac cum precibus conjunctum sit: Malum, si sit coactum, super-*

Quæ Calvino superstitio est.

II. Quid respondeat, vacillat Vedrosius.

Probat Veterum jejunia, nostra improbat.

Ejus Rationes examinantur.

Et contra ipsummet convertuntur.

superstitiosum, ambitiosum, certóque tempori affixum. Recipimus hanc doctrinam Vedrosij, & contra ipsummet convertimus, ac subsumimus sub propositione ipsius hoc modo. Atqui Jejunium quadragesimale hodiernæ Ecclesiæ Romanæ est instructum debitis & conditionibus, & fine in verbo DEI præscriptis, & cum precibus, adde & eleemosynis, conjunctum. Ergo etiam Vedrosij ipsius judicio & sententia bonum est, laudabile est, imitabile est. Probo singula, quæ assumpsi. Quòd cum precibus, & eleemosynis quoque, conjunctum sit, neque adversarij negabunt, oculi testabuntur, mendicabula etiam Reformata prædicabunt. nam & Catholicis & non Catholicis, prout occurrunt, mendicis, præsertim ultimâ hebdomadâ Quadragesimæ, quam antiquissimo vocabulo Sanctam vocamus, largissimæ eleemosynæ â Catholicis fiunt, & ad psalmum quinquagesimum, qui excitandæ pœnitentiæ caussâ, passim decantari solet, ex omnibus ædibus accurritur, & sub eo preces, ut & alijs per Quadragesimam temporibus, crebrò funduntur. Sed & finem in verbo DEI præscriptum observamus circa Jejunia tum alia omnia, tum maximè Quadragesimale; qui non est alius, quàm DEUM nostris peccatis offensum, ad exemplum scilicet Ninivitarum, ab ipso Christo nobis ad imitationem Matth. 12. Luc. XI. propositum, placare; insuper & Salvatorem nostrum JESUM in jejunio dierum quadraginta æmulari; & denique petulantem carnem, quæ tot nobis peccatorum caussa est, punire, & cum Paulo castigare, ac domare. habes tres sanctissimos fines, in verbo DEI fundatos, Matth. 12. & Luc. XI. Item Matth. 4. ubi de jejunio Christi ad dies quadraginta agitur. Item 1. Cor. 9. ℣. ult. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Item ad Coloss. 3. ℣. 5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Itaque nec finis in verbo DEI fundatus jejunijs nostris deest. Habet denique conditiones easdem nostra hodierna Quadragesima, quas habuit illa veterum; scilicet, ut â carnibus abstineatur, & ut semel tantùm in die justa sumatur refectio per cœnæ modum, & ut tale jejunium in honorem &

Conditiones, quas requirit Vedrosius, insunt jejuniis Catholicorum.

memo-

memoriam tum Jejunij, tum passionis Christi, ad dies quadraginta protrahatur. quæ conditiones & ipsæ in SS. Apostolorum exemplo sunt fundatæ. De ijs enim, Apostolis inquam, Christus ipsemet prædicit, eos post suam ad Cœlos Ascensionem jejunaturos. Matth. 9. ℣. 15. *Auferetur ab eis* (Apostolis meis) *Sponsus, & tunc jejunabunt.* Et Actor. 13. legimus de SS. Barnaba, Paulo & Socijs: *Illis autem jejunantibus dixit Spiritus S.* Et vers. 3. *Tunc jejunantes & orantes dimiserunt illos:* Barnabam scilicet & Paulum. Et Paulus ipse de se 2. Cor. XI. ℣. 27. *In jejunijs multis, in frigore & nuditate.* Et verò ab ipsis Apostolis sic jejunantibus per dies 40 originem sumpsisse Jejunium hoc Quadragesimale, communis est opinio Patrum etiam antiquissimorum, ut sunt S. Ignatius Martyr in epist. ad Philipp. S. Hieron. in c. 3. Jonæ. S. Epiphan. hæresi 75. S. Leo serm. 1. de Quadrag denique S. Augustin. in ps. 110 cujus solius verba pono: *Præcipitur nobis NB Quadragesimale Iejunium & ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio.* Habes ergo omnia ea, quæ requisivisti, Vedrosi; debitas conditiones, & finem in verbo DEI præscriptum ac variè commendatum; denique & cum precibus conjunctionem. Ergo tuâ etiam sententiâ Bonum est, & laudabile, quod nos ab Apostolorum tempore, & eorundem exemplo observamus jejunium Quadragesimæ, uti & alia tam multa jejunia nostra, ut & dicere cum S. Paulo omnes veri Catholici queant: *In jejunijs multis.* Quòd autem addis & dicis: *Malum contrà jejunium est, si sit coactum, superstitiosum, ambitiosum, certóque tempori affixum*, iterum nihil contra nos probas. Nam alia, & præcipuum Quadragesimæ nostræ jejunium, non est coactum, etsi præceptum sit (teste S. Augustino supra) Volentissimi enim hoc præceptum exequimur, si veri Catholici sumus, miniméque inviti, ut Domino nostro in hoc conformemur. Sed neque superstitiosum in eo quidquam est. Nam quod à carnibus abstineamus, quando jejunamus, ex vetustissima ecclesiastica, & planè Apostolica consuetudine manat, cujus rei testes sunt S. Clemens ipsorum Apostolorum coævus, l. 5. Constitut. c. 17. Origenes vetustissimus Patrum l. 3 in Job.

Probatur id de conditionibus singulis.

III.

Conditiones vitiantes jejuniũ, quas affert Vedrosius, absunt omnes à Jejuniis Catholicorũ.

Abest enim & coactio, & superstitio, & ambitio.

S. Hieronymus in Philone, Cyrillus Hierosſ. Epiphan. Basilius, & ipse quoque Augustinus noster l. 30. contra Faustum. Nihil quoque in eo ambitiosum. quæ enim ambitio est famere? denique quòd certo tempori affixum hoc jejunium sit, scilicet quadraginta illis diebus, qui Pascha præcurrunt, si tibi, Vedrosi superstitiosum est, ergo Apostoli tibi superstitiosi sunt, & omnes primi Christiani, & tot SS. Patres qui Quadragesimam huic tempori affixam laudant, omnibúsque commendant. Nulla in hoc superstitio, sed in te, tuíque similibus ingens arrogantia est, imò *insolentissima* juxta S. Augustinum, *insania*, ea reprehendere, quæ universa Ecclesia recipit. Habes non meum, sed Augustini de vobis judicium. Lege ipse, si placet, epistolam ejus 118 ubi sic loquitur Sanctus. Reliqua tua, quæ ulteriùs affers pag. 99. & 100. aut erroribus nituntur, quale est illud, quòd *cum opinione meriti* Quadragesima à nobis jejunetur (hæresis enim est bonis operibus, quale & jejunium istud est, meritum detrahere, hoc tamen loco non refutanda) vel dudum à Catholicis Doctoribus aut refutata sunt, aut explicata. Sic quæ Vedrosius attulit ex epist. S. Augustini 86. ad Casulan & ex lib 30. c. 5. contra Faustum Manichæum, legit haud dubiè ipse Vedrosius apud Card Bellarm Tom 4. l. 2. de bonis oper. c 9 responsionem autem Bellarmini, quam simul utique legit, dissimulavit, ut mortalium fert. Idem dico de Theodoreto, quem & ipsum citavit Vedrosius, Bellarmini responsionem dissimulans. Cujus autem revera sententiæ S. Augustinus fuerit hoc ipso articulo paulò ante ostendimus. Quæ de jejunio diei Mercurij, & Sabbati pag. 100. adduxit, extra quæstionem sunt.

IV.

Quadragesima nostra non sapit Montanismum;

Sed ejus abrogatio sapit Epicurismum.

Deniq; & Montanismum, sive Montani hæresim ais redolere Quadragesimam nostrã. Ignorantiâ peccas, & nescire te ostendis, quæ fuerit Montanistarum circa hoc hæresis. Montanismus est, unâ Quadragesimâ non esse contentum, sed tres Quadragesimas Christianis imponere observandas An hoc Catholici, sive Pontificij, aut docent aut faciunt? Mi Vedrosi, nostra Catholica Quadragesima non redolet Montanismũ, sed vestra laboriosæ hujus

Qua-

Quadragesimæ abolitio redolet Epicurismum, omnia, quæ voluptati non serviunt, ut in hoc, ita in omnibus alijs, aspernantem.

CAPUT VI.

De cultu, & Invocatione Sanctorum, veneratione Reliquiarum, ac Imaginum Eorundem.

HÆc conjungere placuit, & capite uno complecti, quæ D. Georgius Documento 29. & seqq. complexus est, ostenditque, in hisce omnibus hodiernam Ecclesiam Romanam, & doctrinas sequi, & Exempla Veteris Sanctæ Ecclesiæ; quod per aliquot deinceps articulos probabitur; quibus etiam adjungetur articulus de Purgatorio, cum animæ ibidem detentæ, ipsæ etiam ad Sanctos, sive amicos DEI vitæ alterius pertineant.

ARTICULUS I.

Consonantia in Sanctorum Invocatione, & Sanctarum Reliquiarum Eorundem veneratione.

VEterem Ecclesiam sanctos invocasse, probat D. noster Georgius ex suo S. Augustino, ubi producit ipsum S. Augustinum Sanctos piissimè invocantem, nimir. *lib. Medit.* c. 24. & 25. ubi sic orat S. Doctor. *Per ipsum vos rogo, qui vos elegit &c. estote jugiter memores nostri; Subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis.* Et paulò pòst: *Intercedite, & orate constanter pro nobis miseris &c.* Adducit quoque *ex lib. 9. Confessionum S. Aug. c. 7.* locum illustrem de SS. Gervasio & Protasio, ad quorum invocationem, & reliquiarum eorundem venerationem dæmoniaci sanati sunt, confessis ipsis dæmonibus, se à SS Gervasio & Protasio expelli; Civis etiam notissimus Mediolani, admoto solùm sudario, quod pheretrum Divorum attigerat, lumen recepit. Omitto locos reliquos.

Num. I.

Vetus Ecclesia Sancta Sanctos invocavit.

Probatur ex S. Augustini Confessionibus

D. Vedrosius ridiculè negat librum Confessionum esse S. Augustini.

Quid ad ista tam clara testimonia Vedrosius? Utrumque librum, id est, tam Meditationes, quàm Confessiones negat S. Augustini esse pag. 105. fin. Quàm rideberis, mi Vedrosi, ab omnibus, qui aliquid in libris sapiunt, quòd hos libros, & maximè Confessiones neges Augustini esse, quas ipsemet Augustinus l. 2. Retract. c. 6. suas agnoscit his verbis: *Confessionum mearum libri XIII. & de malis, & de bonis meis DEUM laudant, justum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum.* Addit ad extremum: *Hoc opus sic incipit: Magnus es, Domine, & laudabilis valdè.* Hæc ipse Augustinus de suo hoc libro. Ecce, Lector, quid Vedrosij calamo credas? Nec evadit Vedrosius, dum præfatus, pag. 105. se supposititijs libris S. Augustini, genuinos opponere, in quibus contrarium doceat Sanctus, adducit cap. 55. *de vera Religione*; quo loco tamen nec verbulo uno improbat Augustinus sanctorum invocationem; improbat solùm, & meritò, eorundem adorationem DEO æqualem; & rectissimè addit, nolle Sanctos talem honorem, *sed velle, illum à nobis coli, quo illuminante* (in visione scilicet beata) *lætantur &c.* In quo omnes Catholici Augustino assentimur. Eodem modo *in lib. pro mortuis*, neque syllabâ unâ Sanctorum invocationem rejicit, sed quorundam fatuum errorem impugnat, qui animas mortuorum suis perpetuò adesse, falsò utique, contendebant; cum quo errore Invocatio Catholica Sanctorum nihil quidquam commune habet. Sanctos enim in Cœlo positos, non in terris perpetuò nobis assistentes, invocamus, eósque in ipso etiam Cœlo exaudire preces nostras & credimus, & reipsà sentimus. Nihil itidem contra Invocationem Sanctorum facit, illa S. Doctoris sententia, quam D. Vedrosius pag. 107. in fine, *ex tract. 22. in Ioan.* affert, quæ ita habet: *Hoc tibi dicit Salvator tuus: non est, quà eas, nisi per me.* Hoc enim facimus omnes Catholici, & modò soli, modò sanctis comitantibus, prout nobis lubitum, unicum Mediatorem nostrum Christum accedimus. jam eosdem Sanctos loco nostro ad eum modum ablegamus, ad quem modum Seniores

Asserit contra ipse Augustinus.

Alia misera effugia Vedrosij, quæ affert ex eod. S. Augustino.

S. Augustinus explicatur.

III.

Ejusdem locus alter explanatur

Judæo-

Judæorum, mirabilis ille Centurio, sanitatem servo suo paralytico impetraturus ad Christum ablegavit, seipsum indignũ ducens, qui conspectum ipse subiret; quam agendi humillimam rationem Christo Domino minimè displicuisse, imò magnopere ab eodem fuisse commendatam, Evangelium ipsum nobis testatur. *Matth.8.* Ab eo autem tempore Christum nostrum, utpote incommutabilem DEUM, mutatum non fuisse firmissimè credimus; cui quæcumque semel placent, placent semper. Et sic ipsi quoque monitum Augustini reverenter suscipimus, neque tamen propterea Invocationem Sanctorum, utpote ablegationi illi Centurionis simillimam, omittimus, ne centies quidem millibus Calvinis, Zvvinglijs, Bezis &c. obnitentibus, & deterrentibus, & idololatriam nobis ob hoc stultissimè objicientibus; quasi ulla idololatria possit consistere sine latria. Si enim nobis idololatriã objicere placet, quam in cultu, veneratione, & invocatione Sanctorum admittamus, priùs bonis istis viris probandum est, nos latriam aliquam, id est, cultum soli DEO debitum Sanctis adhibere. Quod ubi probaverint, ad Calendas scilicet Græcas, tunc nobis Idololatriam objiciant. Hæc de S. Augustino. Veniamus ad S. Hieronymum, quem præter Augustinum noster D. Georgius pro cultu & Sanctorum, & Reliquiarum eorundem, pag. 91. prolixiùs, quàm Vedrosius vellet, produxit. Eloquentissimus itaque hic Pater ita Vigilantium hæreticum, Calvinistarum nostrorum Antecessorem, referente D. Georgio, adoritur. Cùm enim Vigilantius iste, veriùs Dormitantius, ut Hieronymus ipse loquitur, Catholicos incusasset, quasi Sanctos, & potissimùm Martyres, indebito ipsis & divino quodam cultu adorarent, itáque idololatriam committerent, (sicut & hodierni Reformati loquuntur) zelo Cathoco rectè incensus Hieronymus ita illum alloquitur, & ferreâ quâdam virga, ut meritus erat, ferit, & cum eo omnes ipsius posteros: *Quis* (inquit Sanctus) *ô insanum Caput! aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit DEUM? &c.* Idem nos omnibus adversarijs, & hagiomachis nostris respondemus, idololatriam nobis ob invocationem Sanctorum pueriliter planè objicien-

Stultum est ob invocationem Sanctorum nobis idololatriam objici.

Quâ stultitiâ jam olim quoq; laboravit Vigilantius hæreticus.

Quem insaniæ ob hoc arguit S. Hieronymus.

jicientibus: *Quis* nostrum aliquando sive *Martyres*, sive alios Sanctos adoratione latriæ, sive divinâ *adoravit? quis hominem* mortalem *putavit* immortalem *DEUM?* Si autem horum nihil egimus, quomodo Idololatræ sumus? nam solus ille, si tamen Grammaticam intelligitis, Idololatra est, qui vel neglecto DEO, vel præter verum DEUM, etiam Idolo alicui, vel Idolis pluribus divinum honorem defert. An verò hoc facimus, cùm colimus Sanctos, quos omnes non nisi servos & ancillas magni DEI nostri esse agnoscimus, & non nisi orationes eorum, patrociniáque exposcimus? Pergit S. Hieronymus Vigilantium pro meritis contundere, hisce â nostro itidem D Georgio, pag 91. citatis verbis. *Dolet Vigilantio*, ait Hieron. *Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius, & Dormitantius adoretur &c.* Quid ad ista, & plura alia hujus Sancti fulmina Vedrosius? Ut Vigilantium hæreticum defendat, in Hieronymum ipsum invehitur, & pag. 103 scribere audet, *Hieronymum in hoc adversus Vigilantium certamine, candoris, & modestiæ oblitum esse* Ita modestiæ, sed & pietatis, oblitus Vedrosius de Hieronymo Ut hæresiarcham, secum scilicet, & cum Calvino suo sentientem defendat, accusat, & convitijs proscindit Doctorem Ecclesiæ. Ita desperatio jubet, imò cogit Aliter responderi nec Hieronymo, nec D. Georgio potest. Negat deinde ex his S. Hieronymi testimoniis Invocationem probari Sanctorum. Respondeo. Duo proposita sibi habebat D. Georgius primum erat, invocationem Sanctorum ex antiquitate ostendere; alterum, cultum & venerationē tum Sanctorum, tum Reliquiarum eorundem indidem, ex sancta, inquam, antiquitate demonstrare. primum ostendit ex S Augustino, D Georgius, alterum, plùs, quàm vellet Vedrosius, ex S. Hieronymo, itáque ostendit, ut Vedrosio responsuro sola convitia reliqua essent. Ceterùm si diserta Hieronymi verba, quibus invocationem Sanctorum & probet, & usurpet ipse, desiderat Vedrosius, legat epist. 27 quæ est ad sanctam Virginem Eustochium, S. Paulæ Romanæ filiam, in

IV. Vigilantiū defendit Vedrosius.

Contrà S. Hieronymum accusat.

Et sic seseipsum satis refutat.

Ubi disertis verbis S. Hieronymus approbet invocationem Sanctorum

in qua Hieronymus dictam S. Paulam, jam inter Cœlites agentem, ita alloquitur, & planè invocat: *Vale*, inquit, *ó Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva*. Idem præstitisse Constantiam, sanctissimam feminam, ad tumulum S. Hilarionis, scilicet Sanctum illum sine cessatione invocasse, & tradit, & probat idem Hieronymus in Vita Hilarionis, ut alia Hieronymi loca eôdem facientia præteream. Sed ut omnes planissime intelligant, quàm pingue simul & impudens mendacium sit (aliter enim loqui non licet) omnium illorum sive Lutheranorum, sive Reformatorum Ministrorum, docentium in prima Ecclesia Sanctos invocatos non fuisse, ecce Catalogum copiosum eorum antiquissimorum Sanctorum, Doctorum Ecclesiæ, & aliorum, qui & invocandos docuerunt, & ipsimet quoque Sanctos cum Christo regnantes devotissimè invocarunt, & sic invocationem istam non verbo tantùm, sed & exemplo suo sanxerunt, nobísq; posteris suis commendarunt: quem laborem libentissimè mihi sumpsi, tum in honorem Sanctorum, tum etiam Vedrosij ipsius, omniúmque per Rhætiam malè quoad hoc informatorum Reformatorum. Nam salus illorum, utique summus honor illorum.

Coronatur Commune, idque manifestissimũ MENDACIUM omnium Protestantium, quod est, in prima Ecclesia Sanctos invocatos non fuisse.

Incipiamus à Græcis Sanctis Patribus, & primo loco quatuor Ecclesiæ Græcæ Doctores, per antonomasiam, sive excellentiam ita dictos, producamus.

§. I.

Patres Ecclesiæ Græcæ & Syriacæ pro Invocatione Sanctorum.

I. Primus esto S. Gregorius Nazianz. qui in plerisque suis eloquentissimis Panegyricis, quos de diversis, iisque præcipuis Sanctis conscripsit, ad finem dictarum orationum suarum & invocat Sanctos, & invocandos aliis proponit. Talis est oratio 18. in laudem S. Cypriani Mart. talis quoque est 20. in Laudem S. Basilij. Talis 21. encomium continens Magni Athanasij, ut de alijs

V. Atqui invocarunt verbis clarissimis S. Greg. Naz.

alijs taceam. Et orationem quidem vigesimam de Magno Basilio ita concludit: *Tu vero sacrum, & divinum Caput* (S. Basilium intelligit) *è cœlo nos, quæso, respice, carnísque stimulum, aut precibus tuis siste, aut certè, ut forti eum animo perferamus, persuade, omnémque nostram vitam ad id, quod maximè conducibile est, dirige, nósque, postquam ex hac vita migraverimus, illic quoque Tabernaculis tuis excipe &c.* Haud dissimilis clausula est orationis decimæ octavæ de S. Cypriano, & vigesimæ primæ de S. Athanasio. In Tragœdia autem de Christo Patiente nullum omnino facit finem & magnificandi Deiparam, & invocandi; quale illud est:

> *Πρόστηθι, καὶ ῥῦσαι δὲ πυρὸς, καὶ σκότους.*
> *Tuere, méque tenebris, ignéque libera.*

S. Basilius Magnus.

II. S. Basilius M. suum Gregorium sequatur, qui præclarâ illâ oratione suâ de Quadraginta Martyribus laudat populum præsentem, quod ad Sanctos Martyres per invocationem confugiat &c. *Qui tribulatur*, inquit, *ad Quadraginta confugit; qui lætatur, ad ipsos decurrit* (utique non pedibus, sed invocationibus.) *Ille ut molestiarum solutionem reperiat; hic, ut res secundæ ipsi conserventur. Hic mulier pia pro liberis orans deprehenditur; itémque peregrinanti marito reditum, ac infirmo salutem petens. Cum Martyribus fiant preces nostræ &c.* id est, conjungantur Martyrum precibus. Et in Liturgia sua circa medium: *Sanctifica*, scribit, *animas nostras & corpora, intercessionibus Sanctæ DEI genitricis, & omnium Sanctorum, qui à seculo glorificaverunt Te.* An clarè satis?

S. Joannes Chrysostomus.

III. S. Joannes Chrysostomus in homil. 5. & 8. in Matthæum (quæ sunt penitus indubitatæ homiliæ Sancti hujus Patris.) hoc idem docet. Et in quinta quidem homilia, cùm primùm dehortatus esset populum, ne in patrocinijs Sanctorum omnem suam spem collocarent, aut ex aliorum meritis toti penderent, bonæ interim vitæ negligentes, addit hæc verba: *Et hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne nosmet ipsos in otium ac desidiam resolvamus.* Ita Sanctus Tom. 2. oper. Edit. Paris. 1570. mihi pag. 42. sub fin. Ecce Chrysostomus, vitantus,

tantus, non negat, Sanctis supplicandum esse. Cur ergo Calvini, & Vedrosij negent? Idem Sanctus frequenter in Liturgia sua Divos Cœlites invocat, cujus hic particulam adfero. *Clementissime Domine, Tu dirige viam nostram, corrobora nos in timore tuo omnes: tuere vitam nostram; gressus nostros firma, orationibus & supplicationibus gloriosæ DEI Genitricis, & semper virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum tuorum.* Vide eundem Chrysost. in Panegyricis, in laudem Sanctorum habitis, ut sunt Orationes ejus de S. Philogonio; de Sanctis Martyribus Iuventio, & Maximo, militibus, passis sub Iuliano Apostata ad finem & ipsam calcem Tom. 3. edit. Paris. 1570. Item de S. Ignatio Martyre, aliisque. In Liturgia propè fine.

IV. S. Athanasius in Serm. de annuntiatione Deiparæ circa finem, Tom. 3. Græcè quidem ita Deiparam affatur: ἄκουσον θύγατερ Δαυὶδ, καὶ Ἀβραὰμ, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου εἰς τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ μὴ ἐπιλάθῃ τοῦ λαοῦ σου. &c. hoc est: *Audi filia David, & Abraham, & inclina aurem tuam ad preces nostras, & ne obliviscaris populi tui.* Multáque in eundem sensum in sermone reliquo. Et quamvis sint, qui dubitent, an sermo iste sit S. Athanasij, inter quos & Card. Baronius, nemo tamen dubitat, quin sit antiqui alicujus & orthodoxi Patris, unde etiam à viris doctissimis eam ob rationem passim citatur, ut à Bellarmino, Gualterio &c. Idem verò Athanasius in epistola ad Marcellinum de Interpretatione psalmor. quæ est indubitata Sancti hujus epistola, ait, *comprecari Sanctos nobiscum.* Habes quatuor Columnas Ecclesiæ Orientalis, quibus addi potest Quintus S. Athanasius.

V. S. Gregorius Nyssenus, dignissimus Magni Basilij frater, in oratione in S. Theodorum *Magnum Martyrem*, ut eum Gregorius hîc vocat. Is in fine dicti Encomij ita Martyrem alloquitur, planè invocans. Et quia nunc primùm nactus fui exemplar Græcum, exscribo, ex tomo scil. 2. Oper. Edit. Paris. 1615. pag. 1017. Χρῄζομεν πολλῶν εὐεργεσιῶν· πρέσβευσον ὑπὲρ τῆς πατρίδος, τὸν κοινὸν βασιλέα. & paulò pòst: ὑφορώμεθα θλίψεις, προσδοκῶμεν κινδύνους, οὐ μακρὰν οἱ ἀλιτήριοι Σκύθαι τὸν καθ' ἡμῶν ὠδίνοντες πόλεμον. ὡς στρατιώτης ὑπερμάχησον· ὡς μάρτυς ὑπὲρ τῶν ὁμοδούλων χρῆσαι τῇ παρρησίᾳ &c. quæ Latinè sic vertas. S. Gregori⁹ Nyssenus.

Beneficiis egemus multis: Intercede, sive legatum age pro patria apud communem nobis Regem. & infr. *Timemus afflictiones, & in exspectatione periculorum versamur: Scelesti Scythæ non agunt procul, bellum contra nos parturientes: Tu esto propugnator, ut miles; libertate autem loquendi pro nobis, conservis tuis, utere, ut Martyr.* Similia habet in secunda oratione de Sanctis 40. Martyribus, quam ita concludit: *Intra Paradisum & nos perveniamus, per illorum intercessionem confirmati ad bonam confessionem Domini nostri IESV Christi, cui gloria in secula seculorum. Amen.* Omitto alia plura. Placeat tamen ex Syriaca Ecclesia unum quoque alterúmve audire.

S. Ephræm, Syrus. VI. Et sextò quidem loco S. Ephræm, virum sanctissimum, Sanctorum Basilij, & Gregorij Nysseni coævum, Syrum; qui & in Precationibus suis, & Sanctorum Encomijs plenus est invocationibus ejusmodi. Sic in sermone de Sanctis suo tempore defunctis, Tomo 3. Colon. Edit. 1603. mihi pag. 768. *Obsecro,* (scribit) *charissimi, suscipite deprecationem peccatoris Ephræm, fratris vestri negligentis, atque inertis.* Similia habet in Serm. posteriori, in Laudem omnium Martyrum, in fine, mihi pag 747. *Quare, obsecro, pro me vili, ac misero peccatore Ephræm, ante Thronum divinæ majestatis assistite, ut precibus vestris salutem assequi merear & vobiscum æternâ felicitate perfrui &c.* In Encomio autem 40. Martyrum hunc ad modum: *Intercedite, o triumphatores Christi, pro minimo, ac miserabili Ephræm &c.* multò autem maximè in serm. de Sanctissimæ DEI Genetricis laudibus, post titulos exquisitissimos, quibus B. V. ornat, ita orat pag. 707. *Precibus & meritis Sanctissimæ DEI Genitricis* MARIÆ *&c. miserere tuæ creaturæ &c.*

B. Theodoretus. VII. Concinit & beatus Theodoretus, Cyrensis in Palæstina Episcopus, apud quem Tom. 2. operum in Historia, quam vocat *Religiosam*, trigesies lego eum Sanctos DEI invocare. Cùm enim in eo libro Vitas describat triginta partim Sanctorum, partim Sanctarum, singulis Vitis subjicit invocationem ejus Sancti, cujus est historiam executus, & sic vitam ipsam concludit. Et primam quidem, quæ est S. Jacobi Nisibeni pag. 479. hunc ad modum: *Hæc cum de viro divino recensuerim, ad aliam transeo narrationem, rogans, ut ejus consequar benedictionem.* Alteram

ram verò, quæ est de S. Juliano Saba, ita: *Hic sistens orationem de Iuliano, transibo ad alium, rogans Sanctos, qui in hanc ingrediuntur narrationem, per suam intercessionem, mihi supernam conciliare benevolentiam.* Eod. modo in vitis reliquis omnibus.

VIII. Quod si quis vetustiores adhuc desiderat, obsequar ejus voto, sitque octavo loco Origenes Adamantius. hic homil. 1. in Ezechielem, mihi pag. 698. Edit. Basil. anni 1557. agens de sanctis angelis nostræ custodiæ deputatis à DEO, ita suum Angelum custodem alloquitur, invocátque: *Omnia Angelis plena sunt: Veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: & suscipiens eum quasi Medicus bonus, confove, atque institue &c.* Origenes Adamantius.

IX. Addamus & S. Justinum, Martyrem, Origene vetustiorem, qui secundo seculo vixit, & anno 165. Martyrium subijt, qui disertè docet Apologetico 2. ad Antonin. Pium Imper. nos præter DEUM Patrem, & Filium DEI, Salvatorem nostrum, summis etiam honoribus Beatos Angelos, colere, atque adeo adorare, cultu scil. & adoratione ipsis competenti. Ita enim scribit dicto libro, mihi pag. 56. *Hunc ipsum* (DEUM Patrem) *& qui ab eo venit, Filium, qui nos ista docuit, uti & aliorum obsequentium bonorum angelorum exercitum, Propheticum quoque Spiritum, colimus & adoramus* (σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν) *cum ratione, & veritate eos honorantes, atque unicuique discere volenti, prout edocti ipsi sumus, sine invidia tradentes.* Scio Joannem Langum, Calvinistam aliter vertisse, sed malè, & infideliter, ut conferenti textum Græcum patebit. S. Justinus Martyr.

In eum autem finem hos antiquissimos Patres (quibus etiam S. Irenæum l. 5. c. 19. quin ipsum quoque S. Dionysium Areopag. addere poteram, qui in lib. de eccles. hierarch. c. 7. ita loquitur: *Supervacuâ spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas interim operationes rejicit &c.* Indicans eum minimè supervacuâ spe ali, qui sanctorum invocationi vitam jungit eorum vitæ & operationibus conformem) Hos, inquā, antiquissimos Patres, in eum maximè finē hîc fusiùs producere volui, ut confunderem cum Hottingero suo Vedrosium, S. Irenæus. S. Dionys. Areopagita

 sium,

Turpissima falsitas Hottingeri Calvinistæ.

ſium, auſum pag. 111. ex Hottingero ſcribere, ante Cornelij Papæ & Martyris tempora, Invocationem Sanctorum in uſu non fuiſſe: cùm conſtet & Origenem, & Juſtinum, inſuper & Irenæum, ac multò maximè S. Dionyſium Areop. multò ante S. Cornelium & vixiſſe, & ſcripſiſſe. Ecce, ut decipis iterum, & deciperis ipſe, Vedroſi, malum, & dudum profligatæ fidei Ducem Hottingerum ſecutus, uti eum Forerus Jeſuita in ſuo Hechelmanno ſatis deſcripſit.

Sexcenti Patres Concilij Chalced. pro invocatione Sanctorũ.

Denique ſi hi omnes non ſufficiunt ſive nimis avido, & curioſo, ſive nimis pertinaci Lectori, ſexcentis alijs teſtibus (abeſt hyperbole) teſtatam dabo Theſin meam, ſcilicet pleno in uſu jam ante quingenteſimum Chriſti annum Invocationem Sanctorum fuiſſe. Sic enim Concilium Chalcedonenſe, anno 453. Chalcedone celebratum, (unde ei nomen) eique præſentes Epiſcopi ſexcenti, S. Flavianum Epiſcopum, ab hæreticis tempore Concilij ipſius crudeliter occiſum, invocarunt, eique acclamarunt, ut Sancto: *Flaviano æterna memoria: Flavianus poſt mortem vivit: Martyr oret pro nobis.* Verba hæc reperies Tom. 2. Concil. actione xi. mihi pag. 183. in Editione prima Colon. Et hîc quidem finire poteram Controverſiam hanc noſtram de Invocatione Sanctorum, cùm utique ſatis ſupérque ex antiquitate ſancta, & Græca duntaxat Eccleſia, probata illa fuerit. Sed ne jure quodam ſuo, præteritos ſe in dicenda ſuper re tanta ſententia conqueri valeant Patres Latini, qui arctiori etiam conſanguinitatis vinculo, nobis Latinæ Eccleſiæ membris colligati ſunt, horum quoque ſenſum, ſed breviſſimè ſolùm audiamus, aut tantùm indicatum, aut verbis etiam eorundem ſtrictiſſimè declaratum. Eſto itaque

§. II.

Patres, aliique Doctores antiquiſſimi Latinæ Eccleſiæ pro Invocatione Sanctorum.

VI. PRimo loco, decentiâ & obſevantiâ, quæ Majoribus debetur, ita exigente producamus Quatuor illos Principes Latinæ

Eccle-

Ecclesiæ Doctores ac Columina, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, & Gregorium Magnum. Ita autem

S. Ambrosius Tom. 1. in libro de viduis, ultra medium mihi pag. 61. Edit Paris. 1561. cùm attulisset exemplum socrûs D. Petri, quam S. Ambrosius viduam facit, quæ D. Petri, generi sui precibus, â *magnis est febribus* liberata; Inde occasione sumptâ: *Ægri*, inquit, *nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit invitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est Caro, mens ægra, & peccatorum vinculis impedita, ad Medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam, corporis pignore, Patrocinium vindicare* (sacras Reliquias Martyrum intelligit) *non erubescamus eos Intercessores nostræ infirmitatis adhibere &c.* Vide eundem l. 10. in Luc. explicantem cap. 21. Lucæ. Vide ejusdem Sancti sermones de Sanctis, speciatim verò 63 de S. Joan. Baptista, & 67. de SS. Petro & Paulo. Item 71. de S. Laur & 72 de S. Cypriano, & abundabis sententiis illustrissimis ex uno S. Ambrosio, de honore, cultu, & invocatione Sanctorum. I. S. Ambrosius Sanctos docet invocandos.

S. Augustinus l. 7. c. 1. de Baptismo contra Donatistas, S. Cyprianum expressis verbis invocat, & sunt ista. *Adjuvet nos orationibus suis beatus Cyprianus in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes; ut donante Domino, quantùm possumus, bona ejus imitemur* reperies hæc verba Tom. 7. mihi pag. 102. Edit. Paris. 1571. Vide eundem tract. 84. in Ioann. & l. 22. de Civit. ubi agit de invocatione, ac patrocinio S. Stephani, uti & miraculis ejus intercessione patratis; quæ omnia vel maximè probat. II. S. Augustinus invocat.

S. Hieronymus, quomodo invocet S. Paulam Romanam, jam suprà ex Epithaphio S. Paulæ est recensitum. III. S. Hieron.

S. Gregorius Magnus, etsi paulò posterior tempore, sed non dignitate, vel auctoritate idcirco minor l. 9. Registri, epist. 38. scribens Rusticianæ, Patriciæ Romanæ, quæ Vela quædam miserat Romam, ad sepulcrum S. Petri NB. anathematum loco IV. S. Gregor. Magnus.

 suspen-

suspendenda, ita rescribit: *In ejus* (S. Petri) *pietate confido; quia cujus corpus vos cooperuistis in terra, ejus vos Intercessio ab omnibus peccatis proteget in cœlo.* Epistolam vero ad Brunechildem, Franciæ Reginam l. XI. epist. 8 ita concludit: *Omnipotens DEVS Excellentiam Vestram in suo semper timore custodiat, atque ita vestra vota, intercedente Beato Petro, Apostolorum Principe, sospitate adimpleat, ut stabile vobis gaudium habere concedat &c.* De Litanijs autem, in quibus omnes Sancti per Classes suas invocantur, quis nescit eas S. Gregorio in usu quotidiano fuisse?

V. S. Cyprian. S. Cyprianus, Martyr ille, & Doctor inclytus quinto loco testem agat, quod Martyris proprium est. Hic in sermone de Stella & Magis Sanctos Innocentes, ait, *DEI clementiam, pro nostris exorare laboribus.*

VI. S. Hilarius. S. Hilarius Arelatensis in vita, quam ipsemet conscripsit, Sancti Honorati, eundem & celebrat, & invocat.

VII. S. Leo Magnus. S. Leo Magnus, serm. 5. de Epiph. omnes Sanctos invocari, & ambiri eorum suffragia jubet.

Denique si lego & relego Latinorum Patrum tot sermones Panegyricos de Sanctis (idem de Græcis jam ostendi) si Hymnos sacros, quos primis quingentis annis, honoribus Sanctorum, panxerunt, Hymnos, inquam, S. Damasi Papæ, S. Paulini Episcopi Nolani, & Sancti illius Poëtæ Prudentij, qui sub annum 390. floruit, & scripsit; plena reperio omnia invocationibus Sanctorum illorum, quos suis odis illigarunt. Et quidem S. Damasus in Hymno de S. Agnete Mart. qui in Volum. 2. Veterum Poëtarum, l. 4. reperitur, mihi pag. 672. ita Sanctam alloquitur.

Item vetustissimi Hymnographi S. Damas. S. Paulinus. Aurelius. Prudentius.

O Agnes, verum decus, alma pudoris Imago,
Vt Damasi precibus faveas, precor, inclyta Virgo.

In Hymno autem de S. Andrea.

Iam nos foveto languidos,
Curámque nostri suscipe,
Quò per Crucis victoriam,
Cœli petamus patriam,

Pruden-

Prudentius quoque in libro suo, *περὶ στεφάνων*, sive, *de Coronis*, invocationibus his refertus est. In Hymno longissimo, quem de S. Laurentio panxit, & est ordine secundus, sic orat.

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè.
Hos inter, ô Christi decus,
Audi & Poëtam rusticum.

Similia S. Paulinus habet, quæ exscribere longum, & fastidiosum foret. Hæc qualicumque labore, quo Sancti, eóque multo majore dignissimi sunt, eorundem honori, contra hagiomachos nostros colligere placuit, simúlque verbis S. Gregorij Nazianzeni suprà allatis, ipse quoque invocare, humilliméque obsecrare, *ut me quoque miserum è cælo respiciant, omnémque meam vitam, ad id, quod maximè conducibile est, dirigant, méque postquam ex hac vita migravero, illic Tabernaculis quoque suis excipiant.*

Nunc ad te se mea convertit oratio, Vedrosi. Si nescivit hucusque ista Vedrosius, qualis est Doctor? si scivit, & tamen invocationem Sanctorum primæ Ecclesiæ inusitatam fuisse scribere ausus est, qualis est Christianus, qui tam scienter octavum præceptum de non reddendo falso testimonio, transgredi nihil veritus est? qualis & Pastor, qui falsis doctrinis, & scienter quidem, manifestéque falsis, pascere miseras oviculas suas, ventis scilicet, non erubescit? Convenit nimirum in vos illud Is. 28. 15 *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Hæc ad Vedrosij responsa. Nam quæ alia affert Vedrosius de Joanne XXII. & alijs quibusdam, de dilata visione DEI, exotica sunt, nullámque communem Ecclesiæ nostræ doctrinam continentia, adeóque ab hoc loco aliena; adhæc centies â nostris vel refutata, vel explicata. quæ ex Cassandro pag. 103 adducit, quem pro Catholico *S*criptore non recipimus, inania sunt, uti & reliqua omnia, jam manifestissimis in contrarium *S*anctorum & doctrinis, & exemplis, satis utique refutata. Quodsi nondum satis refutatum se credit Vedrosius, spondeo plura.

VII. Qualis autem Doctor Vedrosius, si hæc nescit? aut si novit, qualis Pastor?

Pessimus Protector mendaciũ.

Ut

VIII. Ut autem intelligat omnis tum non Catholicus, tum etiam Catholicus Lector, quàm nos Catholici, per invocationem Sanctorum, DEUM, Trinitatem Sacrosanctam, non excludamus, quod nobis objiciunt adversarij, rogo utrosque, tam Catholicos scilicet, quàm non Catholicos, ut inspicere velint, & examinare omnes omnino Catholicæ Ecclesiæ orationes (quas & Collectas cum Veteribus appellamus) quibus vel in sacrificio missæ, vel aliàs utimur, iisque probè consideratis judicare, an SS. Triadi quidquam de honore ei debito, per nostram Sanctorum invocationem, detrahamus, & per eam, DEI quasi memoriam sepeliamus. Et quid invenient? istud scilicet; ne unam quidem ex omnibus his Collectis, ad quenquam Sanctorum, non ad B. V. MARIAM, non ad Apostolos, non ad Martyrem, aut Confessorem ullum; sed omnes omnino, nullâ penitus exceptâ, quod curiosè non semel observavi, vel ad DEUM Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum, vel totam SS. Trinitatem simul, dirigi, semperque in SS. Trinitate, vel certè in Christo Salvatore terminari. sit exemplo tritissima illa de B. V. oratio; *Concede*: quæ ita habet.

Sanctorum invocatio apud Catholicos semper cũ invocatione præcipua SS. Trinitatis est conjuncta.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ beatæ MARIÆ *semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitia. Per Dominum nostrum IESVM Christum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEVS, per omnia secula seculorum, Amen.* Quòd si brevior sit clausula, erit ista: *Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Ita omnium nostrarum orationum Alpha & Omega, principium & finis, est SS. Trinitas, aut Homo Christus JESUS; quibus Sancti non nisi ut servi intercessores adjunguntur, & veluti pedibus DEI humillimè pro nobis procidentes ac prostrati proponuntur.

IX. Quid habes hæresis, quod hîc culpes? Eadem autem SS. Trinitatis & adoratio, & separatim facta invocatio, nobis Catholicis, præ omni Sanctorum invocatione creberrima, & planè perpetua est. Omnes omnino Hymnos suos invocatione, & adoratione SS. Trinitatis concludit Ecclesia nostra, & frequentissimè hac formâ:

In Collectis & Hymnis omnibus.

Præsta

Præsta Pater piissime,
Patríque compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne seculum.

Idque in omni alio metro, formâ aliâ, aliáque. Quid hîc quoque habet, quod culpet hæresis? Omnes præterea psalmos suos notissimâ illâ doxologiâ, quæ venerationem, & invocationem SS. Trinitatis inclusam habet, finit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Omnes quoque Litanias suas â SS. Trinitatis invocatione auspicatur, & in Christo finit. Initium ita habet: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater de Cœlis DEVS, miserere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus S. Deus, miserere nobis. S. Trinitas Vnus Deus, miserere nobis.* Ubi deinde ad Sanctos pervenitur, non jam misericordia illorum, formulâ illâ: *Miserere nobis*: imploratur, sed intercessio solùm his verbis expetitur: *Ora pro nobis.* his, inquam, verbis, quibus mihi, etiam apud hominem mortalem uti licet, & usus est Paulus 1. Thessal. 5. 25. *Fratres, orate pro nobis.* quod idem facit ad Rom. 15. 30. ad Hebr. 13. 18. cur non idem nobis fas sit agere apud Sanctos cum Christo regnantes? Ad quod Catholicum Cur? per meras ineptias respondent Adversarij. Sed his modò non immoror. Pergo in Catholica pietate & Religione summa erga SS. Trinitatem, supra omnes, ut par est, Sanctos, & Sanctas DEI. Per diem subinde centies, aut etiam pluries nos Catholici, præsertim verò initio omnium nostrarum orationum, & longiorum aliarum actionum, ad morem Sanctorum primæ Ecclesiæ, frontem, aut cum fronte etiam os, & pectus, signo S. Crucis signamus, & munimus, interim SS. Trinitatem illis verbis Christi Domini invocantes: *In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* quoties verò hoc agimus, actum fidei simul & Religionis erga SS. Triadem exercemus. quæ omnia vos Reformatores omittitis, atque ita neque SS. Trinitatem, immediatè, neque mediantibus Sanctis, ut par esset, & deceret, veneramini. cujus verò instinctu? non DEI.

In omnibus Psalmis.

In Litaniis omnibus.

Item quoties Crux formatur in fronte.

X.

Hæc omnia negligentes, vos Reformati autem vestras, quas

 pascere

pascere deberetis, oviculas, ingentibus & corporis, & animæ bonis spoliatis; quæ nos Catholici quotidie, maximo numero, percipimus, dum Sanctos ijs, qui ipsis conveniunt, modis, & neutiquam indebitis veneramur, & invocamus. Gratissimi enim Sancti, & sæpe pro minimis etiam obsequijs gratissimi (nam cœlum ingratos nullos habet, quibus terra nostra scatet) rependunt beneficia maxima, intercessionibus scil. suis â DEO nobis impetrant. Et his quidem amissa sanitas restituta, aut oculorum, aurium, linguæ, pedum, manuúmve deperditus usus; quale se beneficium precibus S. Felicis accepisse S. Damasus, S. Hieronymi coævus, versibus illis de S. Felice gloriatur in Hymno de eodem Sancto:

Bona ingentia, quæ ex invocatione Sanctorum percipiuntur.

Quæ enumerantur.

Te Duce servatus mortis quòd vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Quales sanitates innumeris quoque alijs contigisse, invocatione S. Stephani, ipse S. Augustinus l. 22. *de Civ. DEI* est auctor.

Alijs conversio ab impia ad vitam piam, exorata; quod infinitis modis majus est beneficium priore, qualis contigit notissimo Theophilo illi, qui se dæmoni mancipaverat, patrocinio autem Virginis Beatissimæ, ex Inferni velut faucibus ereptus est, & conversus; qualis etiam obtigit Mariæ illi Ægyptiacæ, patrocinio ejusdem Beatissimæ Deiparæ, antiquissimi Refugij peccatorum. de quibus conversionibus infrà, Sect. 7. art. 14. fusiùs. Harum similes innumeræ adferri possent aliæ, sed tempori parcimus.

Aliis, aliísque innumeris vita ipsa reddita; quod novissimis quoque his nostris temporibus, patrocinio S. Francisci Xaverij invocati, non paucis demortuis contigisse, præter universam Indiam, vita ipsius, & Bulla Canonizationis, ex depositione plurimorum testium, sub juramento examinatorum, testantur; ut de Beatissima Deipara, aliisque *SS.* taceam. Hæc omnia negare, uti Judæorum, maximéque Pharisæorum mos erat, desperatorum est; omnia ridere, insanorum; omnia dæmonum artibus tribuere, quod multi adversariorum faciunt, blasphemorum.

morum. His tot & tantis, aliisque ob brevitatem tacitis hujus vitæ bonis, postquam vos, Reformati Ministri, credentes vobis, hîc spoliastis, spoliatis denique & æternis, quæ tum fide rectâ in DEUM, tum Sanctorum etiam gloriosis intercessionibus adjuti tot milleni vestrarum partium, consequi potuissent. Hoc timet invidentissimus dæmon, si colantur sancti, piéque invocentur: ob hoc obstat, ut ne colantur: hoc instillat dæmon, ut â cultu hoc, sub pietatis specie, quasi DEO injurius esset, tanti populi absterreantur. Hoc denique, quod tantopere desiderat, impetrat â nimis quàm multis: in quos illud Salvatoris nostri probè convenit: *Et desideria patris vestri facitis.* Joan. 8. sicut & alterum Matth. 23. *Clauditis Regnum Cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes* (id est, introire cupientes) *sinitis intrare. Væ vobis!* Ita Salvator Mundi. *Væ vobis!*

Diabolum ag:t Diabolus, dum invocationem hanc quib⁹ potest modis impetit.

ARTICVLVS II.

Consonantia in explicando Cultu Latriæ & Duliæ, simul de atroci calumnia Vedrosij, idolomaniam nobis objicere audentis.

Num. I.

Rectè Documento suo 29. quod est de Invocatione, & cultu Sanctorum, subjungit D. Georgius Documentum suum 30. pag. 97. de Cultu latriæ, quo solum DEUM prosequimur, & cultu Duliæ, quo licitum esse nos Catholici contendimus, etiam Angelos & homines sanctos prosequi. Inde perpetua est, & rectissima distinctio nostra Catholicorum, quâ adversarijs occurrimus, objicientibus nos Sanctos adorare, & quasi servire ijs, contra illud Christi Dn. Matth. 4. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Respondemus enim, nos Sanctos neque adorare divinâ quâdam adoratione, quam scimus uni DEO competere; neque servire ipsis servitute aliquâ, quæ soli itidem DEO conveniat, quæ est dicitúrque latria; sed cultu eos afficere longè inferiore, quæ est dicitúrque nobis Dulia, de qua statim plura.

Distinctionem Duliæ & Latriæ adversarij detestantur, quia eâ premi se â Catholicis experiuntur.

 Hoc

Ea autem probatur ex S. Augustino.

Hoc Catholicorum responsum firmat D. Georgius pag. 97. triplici testimonio ex suo S. Augustino, quorum tamen primum solummodo exscripsit ex quæst. 94. super Exodum, ubi ait Sanctus, & Duliam, & Latriam convenire DEO, sed duliam tanquam domino, Latriam autem non nisi DEO. Alter locus, desumptus ex epistola Augustini 66. ad Maximum Medicum, ita habet. *DEUS solus est, cui servitus illa debetur, quæ Latria Græco vocabulo appellatur.*

II.

Vedrosius ex Grammatica cũ S. Augustino disputat.

Quid ad ista D. Vedrosius? Impugnat ex Grammatica Græca, ipsum Augustinum pag. 108. discipulus scilicet tantillus tantum magistrum. Ait, Grammaticam Græcam non ferre hanc distinctionem. Atqui Grammaticam Græcam melius intellexit Augustinus, quam Vedrosius. cur ergo Vedrosio præ Augustino credamus? Quidquid ergo sit de Grammatica Græca, quam Grammaticorum pueris relinquemus, Augustinus dictis locis non locutus est ut Grammaticus, sed ut Theologus, & nos Catholici cum Augustino. Omnes autem Theologi hoc vocabulum *Latria*, semper soli illi cultui applicarunt, qui uni DEO debetur. útque distinguerent proprium hunc DEI & supremum cultum â cultibus alijs, qui etiam Creaturis adhibentur, usi sunt altero vocabulo, *Dulia*; quæ vocula etsi Grammaticaliter sumpta idem significet quod Latria, scilicet servitutem, indifferenter sive Creatori, sive creaturæ adhibitam, in quo assentimur Vedrosio; Theologicè tamen accepta â Patribus, non usurpatur pro servitute Creatori DEO adhibita, sed creaturis. Imò vocabulum hoc *Dulia*, Theologis nostris (Grammaticos hîc non moramur) non est idem, quod servitus; sed idem, quod honor servi, vel servo, aut conservo exhibitus. Sed hîc quid tricamur? Nam quid sunt verba omnia, nisi signa conceptuũ nostrorum, ad libitum nostrum instituta? Ita autem instituerunt & Veteres, & hodierni Theologi, ut Latriâ ipsis significaretur Honor uni DEO debitus; Duliâ autem longè inferior honor, qui servo etiam hujus magni DEI competere posset. Vale ergo cum Grammatica tua, Vedrosi.

Quid Theologis, non quid Grammaticis hęc significent, attendendum est.

Quid

III. Quid habes præterea? *Distinctio ista Duliæ & Latriæ*, inquit Vedrosius, *calx est, quâ Idolomaniam suam Romana Ecclesia incrustat.* Audax dictum, & falsum! nam quomodo probas, Idolomaniam sive insanam idololatriam, (hoc enim est Idolomania) comittere nos Catholicos, qundo cultu Duliæ, id est, honore Servis DEI conveniente, Sanctos prosequimur? nisi autem probas, calumniatores, & insanus ipsemet, qui ad insaniam usque Idola nos Catholicos colere scribere audeas, nec probes. *Latriæ nomen*, inquit Vedrosius, *deludendæ plebi, removent â cultu creaturarum Pontificii, & nomen Duliæ supponunt; interim rem omnem per Latriam designatam tribuunt Creaturis* (angelos & homines sanctos intelligit). Hoc autem rursus quomodo probas? Pergit Vedrosius. *Vota*, inquit, *precésque emittunt: in illarum intercessione, meritis, præsidio spem & fiduciam ponunt: Iis* (Sanctis scilicet) *Templa, altaria, Imagines erigunt, & anathemata suspendunt; Crucem denique etiam latriâ adorandam docent.* Hæc Vedrosius. Hanc tu *Idolomaniam*, sive insanam Idololatriam, præcipiti pennâ, appellare ausis, vota Sanctis nuncupare; in illorum præsidio & intercessione fiduciam collocare; templa in eorum memoriam & altaria erigere; ut & grati animi signa, anathemata aurea, argentea, cerea suspendere? Hæc, inquam, tu insanam idololatriam appellare non vereris? Ergo sanctissimi homines, primitivæ quoque Ecclesiæ, idololatræ tibi sunt? nam & ipsi Vota DEO & Sanctis fecerunt, ut fusè doctissimus Bellarminus probat cap. 9. toto lib. 3. de Cultu SS. quod vel unicum Eusebij testimonium testatum facit, ex l. 13. Præparat. Evang. c. 7. ubi is sic scribit: *Nos veræ pietatis milites, ut DEI amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, VOTAq́ illis facimus, tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad DEVM non parùm juvari nos profitemur.* Vixit autem Eusebius iste tempore Constantini Magni, atque ita in prima utique Ecclesia. Is non impietati, nedum idolomaniæ, sed veræ pietati, ut audisti, tribuit, vota etiam sanctis nuncupata. Similia leges apud Theodoretum l. 8. ad Græcos, & Palladium in historia Lausiaca c. 113. &c.

Audax & falsum Vedrosij dictum.

Idolomaniam fictā per maniā veram Catholicis obiicit Vedrosius.

An Sanctis Vota nuncupare Idolomania sit

Atqui prima sancta Ecclesia nuncupavit.

Probatur ex Eusebio & alijs.

Eadem preces ad Sanctos fudit.

Iidem Sanctissimi & vetustissimi Christiani preces ad Divos Cœlites fundebant, & in ijs, eorúmque auxilio non modicam fiduciam, infinitis tamen modis minorem, quàm in DEI auxilio, ponebant: ut pluribus quàm sexcentis exemplis articulo superiore docui.

Eadē templa, seu potius memorias ijs erexit.

Iidem templa innumera per orientem & occidentem exstruxerunt, in memoriam potissimum SS. Martyrum: sed & Beatissimæ Virginis, & SS. Apostolorum &c. quæ tamen usitatiùs Memorias Martyrum, quàm templa appellare sunt soliti, hoc ipso indicantes, non cultum aliquem divinum se Martyribus impendere, sed gratam eorum memoriam recolere. Nam templa per se, quæ aliud non sunt, quam loca sacrificij, uni Deo propriè excitantur, utpote cui soli sacrificatur, in memoriam tamen simul & honorem Sanctorum; quibus tamen in iisdem memorijs nemo sacrificabat, sed Deo uni. hæc quicumque negat, in prima scilicet Ecclesia templa Martyribus, dicto sensu, exstructa, quicumq;, inquã, hæc negat, quæ millenis testimonijs probari queunt, aut cœcus, aut stultus est; quia negat solem ipso meridie lucere, quod aut cœci aut stulti est. Aliter ad absurdissimas ejusmodi adversariorum negationes responderi nec potest, nec debet. Progrediamur.

Eadem sancta prima Ecclesia Anathemata Sanctis suspendit.

Iidem primi Christiani, jam primis illis quingentis annis, in usu habuerunt, post accepta â Divis beneficia, anathemata suspendere, uti Theodoretus Episcopus l. 8. contra Græcos hisce verbis clarissimis testatum facit. *Piè*, inquit, *fidelitérque precatos, ea maximè consequi â Martyribus, quæ desiderant; testantur illa, quæ VOTORVM rei NB. persolvunt. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij manuum, simulacra suspendunt ex argento auróve confecta &c.* ubi Scriptor hic antiquissimus per *simulacra manuum &c.* non aliud utique, quam quæ nos *anathemata* vocamus, intelligit. Vixit autem & scripsit Syrus hic Episcopus Theodoretus circa annum 430 eáque, quæ tum in usu erant, apud primitivam scilicet Ecclesiam, scripsit, vota scil. passim SS. Martyribus nuncupata, & propterea ab ijs, qui votorum

Quod ex Theodoreto probatur.

suorum

ſuorum compotes facti erant, anathemata, in memoriam ad eorum ſepulcra ſuſpenſa; quæ omnia hodiéque in Romana Eccleſia uſitata ſunt. Et hæc tu Idolomaniam, planè per maniam, appellas?

Iidem ſanctiſſimi Majores noſtri, primíque Chriſtiani, Crucem non ſolùm illam, in qua Salvator pependit, ſed quamlibet etiam aliam ad eundem modum conformatam, devotiſſimè adorarunt. Quò ſpectat ille vulgatiſſimus Lactantij Firmiani verſus, in carmine, quod ſcripſit dictus Lactantius de S. Cruce. Eadē Crucem Domini adoravit.

Flecte genu, lignúmque Crucis venerabile adora.

Vixit autem Lactantius tempore Conſtantini M. fuitque Præceptor filij Conſtantini, Criſpi Cæſaris. Et licet aliqui in dubium vocent, an carmen illud de Cruce, Lactantij ſit, nullo tamen certo argumento conſtat, Lactantij illud non eſſe, uti Card. Bellarm. loquitur in lib. de Script. Eccleſ. in Lactantio. Si Lactantij non eſt, at antiquiſſimi ſcriptoris eſt, qui parem cum Lactantio, ratione antiquitatis, auctoritatem obtinet. Addo certum S. Hieronymi teſtimonium ex epiſt. 27. de obitu S. Paulæ, quæ Paulæ quaſi Epitaphium eſt, ubi S. Doctor de S. Paula hæc habet. *Proſtrata ante Crucem, quaſi pendentem Dominum cernens, adorabat.* Sed de Imaginibus poſtea. Facio itaque rurſus dilemma contra Vedroſium. Vel ſcivit hæc, quæ diximus modò, Vedroſius, vel neſcivit. Si neſcivit, qualis Doctor eſt? Si ſcivit, & hæc tamen omnia *Idolomaniam* appellare audet, impius eſt in ſuos Majores, primos ſcilicet Chriſtianos, omnium graviſſimum ſcelus Idololatriam, imò Idolomaniā, innocentiſſimis, ſanctiſſimis, & ab omni idololatria alieniſſimis hominibus imponens. Quod ſi veteres illos neget idololatras ob hoc fuiſſe, quomodo nos eorū imitatores & pietatis hujus hæredes, idololatræ ſumus, qui non aliud, quàm ipſi agimus? Manet itaque firmū, quod D. Georgius de diſcrimine inter Latriam & Duliam ex veterum ſenſu attulit; falſum contra & calumniæ plenum, quod reſponſi loco Vedroſius D. Georgio dedit, diſtinctionem iſtam inter Latriam & Duliam, *non niſi deludendæ* plebi à Catholicis nobis inventam fuiſſe. An non contrà Vedroſius, *deludenda* miſerabili

Dilemma contra Vedroſium.

Non nos plebem deludimus per hæc, ſed negando hæc Vedroſius.

rabili

rabili *plebi* Reformatæ, tam falsas, tam atroces, nullóque argumento probatas calumnias, in veteres novósque Catholicos jecerit, Lectoris judicium esto.

Articulus III. historicus,

De Imaginibus Sanctorum in Ecclesiis tum vetustißimorum, tum hodiernorum Catholicorum poni solitis.

Num. I.

Usus Imaginum veteri Sanctæ Ecclesiæ usitatissimus.

D. Georgius noster Documento suo 31. pag. 98. probat usum hunc Imaginum vetustissimum esse, & primitivæ quoque Ecclesiæ notissimum, sed breviter solùm, ut in re clara, & quam sola pertinacia & impudentia negare audeant. Idem verò fusissimè & eruditissimè facit Card. Bellarminus l. 2 de Ecclesia Triumphante, maximè cap. 9. ubi etiam sex Calvini argumenta contra Imagines allata, studiosè, refellit. horum primum est, quòd primis quingentis annis, non fuerint ullæ Imagines in templis Christianorum. Idem asserere audet in refutatione hujus Documenti trigesimi primi pag. 112. Vedrosius noster his verbis: *Seculo demum sexto Imagines receptæ fuerunt &c.* Calvino sic respondet Bellarminus. *Ad 1. Calvini argumentum patet solutio.* (multis autem antea confirmaverat jam Catholicam sententiam de usu antiquissimo Imaginum) *non enim illud argumentum, sed mendacium fuit.* Addi potest: & apertissimum quidem, ut prorsus subeat mirari, quâ fronte tam aperta mendacia non jam imperitæ plebeculæ, quæ talia omnia, ex historijs maximè petita, cujus ignara est, pro oraculis habet; sed peritis & eruditis etiam Lectoribus, in quorum manus hæc scripta perveniunt, obtrudere Calvini, Bezæ, Molinæi &c. audeant. quâ fronte, inquam. Sed est continuò, qui quærenti hæc talia respondeat: Hæresis frontem non habet; unde de fronte frustra requiris. Quod autem respondit Bellarminus Calvino, non dicit solùm, sed dicto capite evidentissimè ex historia & scriptis veterum

Mentitur manifestè, ac sciens, qui hoc negat. Ita Bellarmin.

Negat autem Calvinus &c.

veterum probat. Quod Card. Bellarminus Calvino respondet, hoc ego Vedrosio, ex caussis ijsdem, quas affert loco citato Bellarminus. Ab hoc scelere si purgare & se, & Calvinismum vult Vedrosius, necesse est, ut Bellarmini argumentis, ut virum bonum decet, non per convitia, sed argumenta in contrarium facta respondeat. Et licet hîc, quantum est ad D. Vedrosium, finire jam possem articulum istum, ablegato & Vedrosio, & Lectore meo ad Bellarminas demonstrationes, quibus Catholicam veritatem fusissimè probat contra Calvinum (cum in manibus doctorum hominum passim sit Bellarminus) tamen in Lectoris mei gratiam pauca ipse quoque hoc loco afferam, ut constet omnibus, quid & de Calvino, & Vedrosio sentiendum sit, dum asserunt: post quingentos primùm annos usum, & venerationem Imaginum sacrarum in Ecclesias Christianorum esse inductam. Progredimur per secula, & paragraphos.

§. I.

Imagines primi seculi à Christianis magno in honore habitæ.

PRimæ Imagines sunto, quas Christus ipse suæ Sponsæ Ecclesiæ, ut sanctè quoque amantium mos est, discedens à Sponsa sua relinquere voluit: quarum una est illa, quam linteo, quo involutus in sepulchro erat, mirabiliter impressit, quæ hodieq; summo in honore in Burgundiæ Comitatu, Vesontione asservatur; ostenditur quot annis Festo ascensionis Domini, & mira beneficia piè colentibus præstat, ut tota illa vicinia, imò Europa tota & scit, & prædicat. Alia est, quam telæ itidem impressam vivus adhuc Christus Regi Abagaro, Edessam in Mesopotamiam misit, cujus mentio creberrima est in Monumentis Græcorum, sub nomine *Imaginis non manufactæ*, quæ ex urbe Edessa, ubi diu in veneratione fuit, in urbem regiam Constantinopolim maxima cum solennitate translata est, & dies ipse translationis magna cum festivitate quot annis ibidem exactus, uti rete-

II. Imagines à Christo ipso relictæ Christianis suis.

1. Linteum sepulchrale, & in eo Imago Christi.

2. Imago non manufacta Abagari.

referunt historici infrà citandi. Tertia Imago Christi, ab ipso Christo fidelibus suis relicta, est illa S. Veronicæ, in velo ejusdem impressa, ut vetustissima habet traditio: quæ Imago hodiéque Romæ servatur in templo S. Petri, in sacello peculiari, uni ex Columnis illis maximis, quæ Cuppulam, ut vocant, templi Vaticani sustentant, inciso. de quo S. Veronicæ sudario, sive velo, vide Card. Baron. ad annum Dn. 34. n. 138. Et has omnes ab ipso Christo habemus, non utique eo fine nobis relictas, ut temneremus & abjiceremus, velut idololatriæ fomenta, sed ut in honore haberemus ceu Religionis veræ adjumenta, & amoris erga illum, quem referunt, continua incitamenta.

3. Velum S. Veronicæ.

Sed, inquies, negant hæc Calvini, uti & Lutheri asseclæ, antiquissimas scilicet has Imagines, Veronicæ, Abagari &c. & fabulas dicunt. Ignosce hoc illis, bone Lector. Cogit hoc eos facere dura necessitas. Negant. ita est. Sed in dedecus suum, & præjudicium simul caussæ suæ maximum negant. Nimirum quod ante ipsos, paulò antè é terra *ebullientes* (ut cum Augustino loquar) totus credidit orbis Christianus, hoc negant: quod hodiéque maxima pars fidelium, corúmque etiam sapientissimorum, quibus ipsi comparati manipulus hominum sunt, negant. Quid verò hos & negatores, & nugatores reliquus omnis orbis Christianus curare habet? Negando id non efficiunt, ut ea non sint, quæ sunt. Negant & Judæi, & pertinacissimè negant, venisse Messiam: An propterea non venit Messias? Negant iidem apellæ cum majoribus suis, Christum D. à mortuis resurrexisse, sed furto ajunt à discipulis sublatum: an propterea Christus non resurrexit? Ita alicubi negatores istos S. Augustinus & irridet, & confundit, quod & nos facimus cum Augustino. Sed quid, obsecro, negant? An Imaginem, Abagari dictam, (ut unico hoc exemplo utamur) negant, inde usque ab antiquissimis temporibus apud Græcos celebrem fuisse? At tota historia Græca in hoc eis repugnat, in qua vix aliud celebratius, quàm Imago, ut ipsi vocabant, ἀχειροποίητος, hoc est, *sine manibus facta*, quæ est hæc ipsa Abagari Imago; ideo dicta: *sine*

Objectionibus occurritur Reformatorũ, & aliorum.

Negando Adversarij nihil proficiunt, sed seipsos solùm dedecorant. Quibus in hoc sint similes.

Imago Abagari fusè adstruitur ex antiquitate.

sine manibus facta: quòd ex antiquissima traditione, Christus ipse Dominus, telæ impressam hanc vultûs sui Imaginem, Abagaro (alijs Abgaro) Edesseno Regi, ita desideranti, transmiserit. quam historicam traditionem pro vera agnovit S. Joannes Damascenus l. 4. de Fide orthod. c. 17. & antiquior isto Evagrius Scholasticus, Sozomeni continuator, historiæ suæ l. 4. c. 16. qui vetustiorem se Procopium pro eadem traditione citat (vixit autem Evagrius anno 596.) Et hi quidem tres præclari Auctores de Imagine hac agunt, quæ tum Edessæ adhuc in Mesopotamia asseruabatur, & colebatur; alij verò multò plures de ejusdem sacerrimæ Imaginis translatione in urbem Regiam Constantinopolim, quæ facta est anno 944. imperante & jubente Constantino VIII. Leonis Philosophi filio, Basilij Macedonis Nepote, non sine prodigijs plurimis. Unde memoria translationis istius tanti fuit Græcis Imperatoribus & Episcopis, ut annuâ festivitate eam celebrandam sanxerint; quæ festivitas his verbis inserta est ipsis Menæis Græcorum: *Commemoratio Imaginis non manu factæ, Domini DEI, & Salvatoris nostri IESV Christi, ex urbe Edessa egressæ, & in hanc à DEO servatam, & Regiam urbem deportatæ.* Celebrabatur autem hoc festum decimo sexto die Augusti, postridie assumptionis DEIparæ, ut in iisdem Menæis videre est. Quin & ipsos Imperatores Græcos, aut Filios Cæsares, de admirabili hac translatione orationes ad populum habuisse constat, quarum una etiamnum exstat, quam Constantinus Porphyrogenitus, sive Pater, quem diximus, Leonis Philosophi filium fuisse; sive ejus Filius Constantinus, & ipse in Purpura natus, ideóque dictus Porphyrogenitus habuit. Extat autem hæc sat longa Panegyris & apud Simeonem Metaphrasten 10. Augusti, & apud Card. Baron. ad annum Christi 944. Tom. 10. annal. Quæ verò luculentiora possunt testimonia afferri, quàm quæ modò allata sunt? Insto nunc rursus, & quæro: Quid circa hanc non manu factam Christi Imaginem negatis, ô Reformati? An talem Imaginem Edessæ à temporibus Christi usque ad tempora Constantini VIII. asservatam

Ex S. Joanne Damasceno. Evagrio. Procopio.

Ejus translatio Constantinopolim quando facta, & quantâ auctoritate nitatur.

Panegyris Constantini Porphyrogeniti de hac translatione.

Nihil reliquum fit adversarijs, quod negent:

vatam & cultam fuisse? At historici antiqui, qui ante annos mille scripserunt, asseverant. An fortè translatam fuisse Edessâ Constantinopolim? At omnis vobis Græcia adversatur, quæ etiam festivitate annuâ, publicâque, translationem hanc coluit. An hoc ipsum festum celebratum negatis? At publica Græcorum Ecclesiastica monumenta, Menæa, inquam, hoc verbis clarissimis asserunt, quæ paulò ante sunt recitata. Affirmant præterea, quæ hic diximus, Nicephorus, & Curopalata, notissimi Græci historici, qui utique quid in Græcia gereretur, noscebant, ut taceam alios plures, ut laborem meum, tuúmque Lector, compendifaciam. Si ergo nec Imago ipsa, nec vetustissima, quæ de ipsa est, traditio, nec translatio ipsius apparatissima, qualis â Constantino ipso describitur, neque festum hujus translationis toti olim Græciæ notissimum & celeberrimum, negari possunt, quid est, quòd pertinacia adversariorum ulteriùs repugnet, cùm nota quidem desperationis, tuendi errores suos, & insaniæ non parvæ? Hæc in exemplo unico Imaginis Edessenæ. Pergamus.

Nisi desperationis, & insaniæ notam velint incurrere.

4. Quarta Imago Salvatoris, ad primum seculum pertinens, est Imago, vel statua potius ærea Cæsareensis, quam mulier illa â fluxu sanguinis persanata, post receptam fidem, grati animi caussâ, Christo Dn. in fronte ædium suarum, justâ hominis staturâ, poni fecit, & venerationi omnium exposuit; quæ ad dictum modum stetit usque ad tempora Constantini Magni, ut Eusebius historicorum ecclesiasticorum antiquissimus asserit l. 7. c. 18. his verbis: *Mansit autem ad nostra usque tempora, & ab iis videri potest, qui in eam civitatem commigrant.* Addit & miraculum continuum, quod Christus apud hanc statuam operari voluerit. *Ad pedes Christi*, inquit, *in eadem columna, herbæ cujusdam ignotæ species enasci fertur, quæ ad æneam imaginis fimbriam usque excrescens, omnis generis morbis medeatur.* Subjungit & alia quædam non parùm ad propositum nostrum facientia, atque id, quod volumus, confirmantia. *Mirum videri non debet*, inquit, *eos, qui ex gentibus olim à Servatore nostro curati sunt, ista fecisse, quando &* *Aposto-*

Imago Cæsareensis.

ex Eusebio

miraculis clara.

Apostolorum illius (Christi) *Imagines, Pauli videlicet & Petri, denique & ipsius Christi, in tabulis coloribus depictas asservari vidimus; quòd Veteres ex gentili consuetudine, eos, quos Servatores putarunt, honorare soliti fuerint.* quibus verbis Eusebius nullâ ratione hanc Imaginum picturam, ut gentilem superstitionem reprehendit, ceu quidam adversariorum, ut illustrissimum hunc pro Imaginibus locum Eusebij elevent, falsò produnt, sed ex gentili consuetudine, ad consuetudinem Christianam, velut â minori ad majus, laudando eam, argumentatur, mirum non esse, inquiens, apud Christianos in tabulis Servatorem suum Christum depictum asservari, uti & Apostolos ejusdem, cùm Gentiles hac quoque ratione suos, quos putabant Servatores urbium & regnorum suorum, ad hunc modum soliti sint honorare. quod sapientissimè dicit Eusebius. Nam quid erant Servatores illi, Themistocles & Alcibiades Græcorum; Scipiones, Marcelli & similes Romanorum ad Christum? & verò laude dignissimus erat ille Veterum tum Græcorum, tum Romanorum mos, viris de Rep. optimè meritis statuas ponere (quod Eusebius dicere vult) cur ergo Christianorum illaudatus sit? Nam quòd Calvini & Lutheri scribi reprehendant, in decus nostrum vertitur. malum enim est, quod laudant, qui hujusmodi sunt. Sed redeamus, unde digressi sumus. Quinta Imago Salvatoris ad primum seculum pertinens est illa, quæ hodiéque Romæ in Sacrario templi S. Praxedis asservatur (quod omnes peregrini norunt) quam S. Pudenti Senatori, S. Praxedis Parenti, ab ipso S. Petro dono datam esse vetustissima Romanorum traditio habet. Et hæc de antiquissimis Salvatoris nostri Imaginibus primi seculi, quæ in hanc usque diem, sine interruptione, maximo, ut par est, in honore fuerunt.

III. 5. Imagines pictæ SS. Apostolorũ.

Locus Eusebij, quem contra usum imaginum adducunt adversarii, explicatur, & vel maximè pro iis facere ostenditur.

IV. 6. Imagines Deiparæ Virginis primi seculi.

Alterum vetustissimarum, primi scil. seculi Imaginum genus constituunt Imagines Dominæ nostræ, S. MARIÆ Deiparæ Virginis, qualis est illa, quæ hodiéque summâ, uti decet, veneratione asservatur Romæ in templo S. MARIÆ Materis in Exquiliis, neque nominatur aliter, quàm Imago S. Lucæ, quòd eam ipsemet

met Sanctus Evangelista, quem constat pictoriam calluisse, suismet manibus, cùm Romæ cum *S.* Paulo suo ageret, pinxerit. Hujus Imaginis tanquam â S. Luca depictæ meminerunt Theodorus Lector, qui ante annos mille scripsit l. 1. Collectaneorum; Nicephorus l. 14. hist. c. 2. Simeon Metaphrastes in vita S. Lucæ. Sed his omnibus potior est antiquissima, & planè immemorialis Traditio. Utor hîc rursus meo Tricolo, quod suprà etiam posui; Hæc omnia ex mera libidine, & contradicendi Catholicis prurigine negare, hominis est desperati; omnia ridere, stulti; idololatriæ arguere, etiã impij. Sic enim istis Sanctarum Imaginum osoribus errasset ipsemet Christus, errasset Petrus, errasset & Evangelista Lucas; Christus, quia tot sui Imagines ipsemet reliquit; Lucas, quia pinxit; Petrus quia dono dedit, in eum finem omnes, ut in honore essent, non ut discerperentur, vel pedibus conculcarentur. Itaque aut Christus & Petrus errant, aut Calvinus & Vedrosius. quid judicas, Vedrosi? & tu Lector?

§. II.

Antiquissimæ Imagines secundi Seculi.

V. Imago Pastoris. AD Imagines secundi seculi pertinet *Imago Pastoris*, uti antiquissimis temporibus vocabatur, hoc est, Imago Christi Servatoris nostri, ita effigiata, ut humeris sustineret oviculam impositam; quæ secundo jam seculo tam erat pervulgata, ut etiam ipsis calicibus sive insculperetur, sive coloribus illineretur: id quod testatur, qui vixit isto seculo, Tertullianus in lib. de pudicitia, & inde, ex hac scilicet effigie Pastoris, sumpserunt veteres Catholici etiam argumentum, contra illos hæreticos, qui pœnitentiam lapsis post baptismum gravibus peccatoribus negabant, ut ex eod. loco Tertull. patet. Ex ejusdem Tertulliani Apologetico constat, ipsius tempore, Christianos dictos esse ab Ethnicis *Crucis Religiosos*, ob venerationem S. Crucis. V. Grets. l. 2. de Cruce, c. 2.

Pertinent

Pertinent eòdem omnes illæ Cruces, quibus ædes profanæ, in ædes sacras, sive in Ecclesias, antiquissimis temporibus, consecrabantur, illato scilicet in illas signo aliquo sanctæ Crucis, tanquam Titulo; quod factum est Romæ à tempore S. Evaristi Papæ, qui anno 112. rexit Ecclesiam; de quo Liber de Summis Pontificibus ait, eum, scilicet Evaristum Papam, *Titulos per urbem Romam divisisse presbyteris.* Per titulos autem Vexillum, vel signum Crucis intelligi probat egregiè ex edicto Theodosij M. Imperatoris Card. Baron. ad annum 112. n. 4. quem vide. Quot ergo Veterum illorum templa erant, tot venerationi expositæ Cruces. VI.

7. Imagines Crucis loco Tituli Ecclesiarũ ex Edicto Theodosij Imp.

§. III.

Antiquissimæ Imagines Tertij & Quarti Seculi.

AD Imagines tertij Seculi spectant Cruces illæ, de quibus Lactantius jam suprà laudatus, *in carm. de Cruce*, (de cujus operis auctoritate suprà etiam jam egimus) qui hoc tertio seculo vixit, & carmen hoc panxit; ubi Christum sic facit loquentem. VII.

8. Imagines Crucifixi in templis primorũ Christianorum.

Quisquis ades, mediique subis ad limina templi,
Siste gradum, insontémque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.
Ille ego qui casus hominum miseratus acerbos
Huc veni. &c. Et post nonnulla.

Cerne manus clavis fixas, tractósque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus; cerne inde fluorem
Sanguineum, fossósque pedes, artúsque cruentos.

Ex quibus verbis satis utique patet, Imagines Crucifixi in templis, Lactantij tempore, omnium oculis expositas fuisse. VIII.

Si verò ad seculum quartum progrediamur, tempora scilicet Constantini Magni, in tanto honore signum S. Crucis & ab ipso Constantino, & omnibus alijs Christianis, ejus exemplo, est habitum, & tanto numero passim aut sculptum, aut ære, argento,

Locus illustrissimus S. Chrysostomi de ingenti multitudine

Imaginum Crucis su, tempore

gento, auróque fusum, pictúmve, ut non tot in cœlo stellæ, quot in terris cruces numerarentur. Audi unum modò, alterúmve ex Patribus illorum temporum. S. Chrysostomus in homilia, *quod Christus sit DEVS. Vbique fulget Crux*, ait, *in parietibus domorum, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & non habitantur.* Et rursum: *Crucem celebrari videre licet in domibus, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in navigiis, in lectis, in vestibus, in thalamis, in armis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis &c.* Addo ego, & in stellis: ex stellis enim radiantissimis DEUS ipse, Angelorum utique operâ, compositam Crucem oculis Constantini Magni, uti notissimum est, objecit, cum hoc Lemmate: *In hoc signo vinces.* in quo & vicit, eóque ex tempore summo in honore signum salutiferæ crucis habuit, adeò quidem, ut ex Corona quoque ejus Imperatoria, Crux emineret; quo respexit S. Ambros. in orat. de obitu Theodosij. *Sapienter*, inquit, *Helena egit* (Constantini mater) *quæ Crucem Christi in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.* Ita Sanctus. Levavit scilicet & locavit in capite Regum, dum suasit & persuasit Constantino filio, ut in Corona sua inter gemmas, & crucem ferret, gemmarum omnium gemmam; quod exin imitati sunt alij Christiani Reges atque Cæsares in hanc usque diem. Adjungamus & Ruffinum Aquil. qui hoc quoque quarto seculo & vixit, & quæ vidit ipse, scripsit l. 2. c. 29. Agens enim de destructo Serapidis templo Alexandriæ, ait, loco Thoracum Serapidis, (vulgò Brustbilder) *unumquemque Christianorum in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque Crucis Dominicæ Signum depinxisse.* Posteriora secula omitto. Vides, amice Lector, seculo jam quarto, adeóque in primitiva Ecclesia, tam religiosè primos illos Christianos Imaginem & signum Crucis veneratos fuisse, & vero etiam adorasse, juxta dictum superius S. Ambrosij, ut hodierna nostra pietas ad eorum pietatem algeat, & propè nulla sit. Et tamen idololatrici cultûs nomine â perversis ingeniis, & omnium rerum sacrarum osoribus traducitur.

Alexandriæ olim nulla domus sine signo Crucis.

Hæc

Hæc fusiùs, quàm institueram, & quàm propè patiebatur propositi mei ratio, de Imaginibus S. Crucis, Deiparæ Virginis, & Sanctorum, in honorem eorundem & subjectissimam venerationem, in hæresis contrà æternam confusionem. Quid nunc ais, Vedrosi? an verum est, quod scripsisti, primùm post sexcentos annos, sive seculo sexto Imagines receptas fuisse? An contrarium tibi satis per mille exempla ostensum est? Nimirũ Calvinum tuum secutus es, cœcus cœcum: itáque *ambo*, juxta Christi oraculum, *in foveam cecidistis*. Refer ex ea pedem, dum tempus misericordiæ est, ne profundiùs adhuc cum eodem magistro hoc tuo cadas. O si tuo loco Calvinus esset, quàm mendacia hæc sua detestaretur! quàm in *favilla & cinere pænitentiam* ageret, & malè desertam Ecclesiam, bono suo æterno, repeteret! Nunc quid contrà objiciat Vedrosius videamus.

Algemuo hodie in veneratione Imaginum S. Crucis, si veteribus comparemur.

§. IV.

Vedrosianæ objectiones examinantur.

Quæ D. Vedrosius p. 111. contra veneratione͂ Imaginum, eáq; non nisi protritissima objicit, ex Concilio præsertim Elibe-rino can. 36. ea fusissimè, uti & alia refutavit jam dudum l. 2. de Ecclesia triumphante, maximè cap. 9. Bellarminus, quem legere poterit Vedrosius. Quæ ex Eusebio historico affert, suprà explicata sunt. Gerson, quem itidem nobis objectat, primùm privatus solùm est Doctor, nos autem de communi sensu Ecclesiæ hîc quærimus. Deinde epistolam ejus, quam citat, post diligentem inquisitionem nondum inveni. Aut non scripsit itaque, quod affert Vedrosius, aut alio planè sensu scripsit: aut si hoc unquam dixit Gerson, vir aliàs religiosissimus, alibi sibi contradixit, dictúmque revocavit, cùm pluribus locis operum suorum Imaginum venerationem & admiserit, & qualis esse debeat, declarârit. Ita enim loquitur *tract. 8. in Magnificat. Nihil habet lignum Crucis divinitatis, ejus, in qua pependit Dominus; sed in Cruce, tanquam in Signo surgit fides nostra ad D. N. IESVM Chri-* IX.

Protritissimis objectionibus Vedrosij jam dudũ, & in specie quidem Bellarmin' sufficientissimè respondit.

Gerson Imagines non rejicit, sed qualis esse debeat earum veneratio, declarat.

 stum,

gento, auróque fusum, pictúmve, ut non tot in cœlo stellæ, quot in terris cruces numerarentur. Audi unum modò, alterúmve ex Patribus illorum temporum. S. Chrysostomus in homilia, *quod Christus sit DEUS. Ubique fulget Crux*, ait, *in parietibus domorum, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & non habitantur.* Et rursum: *Crucem celebrari videre licet in domibus, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in navigiis, in lectis, in vestibus, in thalamis, in armis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis &c.* Addo ego, & in stellis: ex stellis enim radiantissimis DEUS ipse, Angelorum utique operâ, compositam Crucem oculis Constantini Magni, uti notissimum est, objecit, cum hoc Lemmate: *In hoc signo vinces.* in quo & vicit, eoque ex tempore summo in honore signum salutiferæ crucis habuit, adeò quidem, ut ex Corona quoque ejus Imperatoria, Crux emineret; quo respexit S. Ambros. in orat. de obitu Theodosij. *Sapienter*, inquit, *Helena egit* (Constantini mater) *quæ Crucem Christi in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.* Ita Sanctus. Levavit scilicet & locavit in capite Regum, dum suasit & persuasit Constantino filio, ut in Corona sua inter gemmas, & crucem ferret, gemmarum omnium gemmam; quod exin imitati sunt alij Christiani Reges atque Cæsares in hanc usque diem. Adjungamus & Ruffinum Aquil. qui hoc quoque quarto seculo & vixit, & quæ vidit ipse, scripsit l. 2. c. 29. Agens enim de destructo Serapidis templo Alexandriæ, ait, loco Thoracum Serapidis, (vulgò Brustbilder) *unumquemque Christianorum in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque Crucis Dominicæ Signum depinxisse.* Posteriora secula omitto. Vides, amice Lector, seculo jam quarto, adeóque in primitiva Ecclesia, tam religiosè primos illos Christianos Imaginem & signum Crucis veneratos fuisse, & vero etiam adorasse, juxta dictum superius S. Ambrosij, ut hodierna nostra pietas ad eorum pietatem algeat, & propè nulla sit. Et tamen idololatrici cultûs nomine â perversis ingeniis, & omnium rerum sacrarum osoribus traducitur.

Imaginum Crucis su[o] tempore

Alexandriæ olim nulla domus sine signo Crucis.

Hæc

Hæc fusiùs, quàm institueram, & quàm propè patiebatur propositi mei ratio, de Imaginibus S. Crucis, Deiparæ Virginis, & Sanctorum, in honorem eorundem & subjectissimam venerationem, in hæresis contrà æternam confusionem. Quid nunc ais, Vedrosi? an verum est, quod scripsisti, primùm post sexcentos annos, sive seculo sexto Imagines receptas fuisse? An contrarium tibi satis per mille exempla ostensum est? Nimirũ Calvinum tuum secutus es, cœcus cœcum: itáque *ambo*, juxta Christi oraculum, *in foveam cecidistis*. Refer ex ea pedem, dum tempus misericordiæ est, ne profundiùs adhuc cum eodem magistro hoc tuo cadas. O si tuo loco Calvinus esset, quàm mendacia hæc sua detestaretur! quàm in *favilla & cinere pænitentiam* ageret, & malè desertam Ecclesiam, bono suo æterno, repeteret! Nunc quid contrà objiciat Vedrosius videamus.

Algemue hodie in veneratione Imaginum S. Crucis, si veteribus comparemur.

§. IV.

Vedrosianæ objectiones examinantur.

IX.

Quæ D. Vedrosius p. 111. contra veneratione Imaginum, eáq; non nisi protritissima objicit, ex Concilio præsertim Eliberino can. 36. ea fusissimè, uti & alia refutavit jam dudum l. 2. de Ecclesia triumphante, maximè cap. 9. Bellarminus, quem legere poterit Vedrosius. Quæ ex Eusebio historico affert, suprà explicata sunt. Gerson, quem itidem nobis objectat, primùm, privatus solùm est Doctor, nos autem de communi sensu Ecclesiæ hîc quærimus. Deinde epistolam ejus, quam citat, post diligentem inquisitionem nondum inveni. Aut non scripsit itaque, quod affert Vedrosius, aut alio planè sensu scripsit: aut si hoc unquam dixit Gerson, vir aliàs religiosissimus, alibi sibi contradixit, dictúmque revocavit, cùm pluribus locis operum suorum Imaginum venerationem & admiserit, & qualis esse debeat, declarârit. Ita enim loquitur *tract. 8. in Magnificat. Nihil habet lignum Crucis divinitatis, ejus, in qua pependit Dominus; sed in Cruce, tanquam in Signo surgit fides nostra ad D. N. IESVM Christum,*

Protritissimis objectionibus Vedrosij jam dudũ, & in specie quidem Bellarmin. sufficientissimè respondit.

Gerson Imagines non rejicit, sed qualis esse debeat earum veneratio, declarat.

pag. 112. dum præter Serenum Episcopum Marsiliensem, hominem ab Ecclesia damnatum, quatuor hæreticos Orientis Imperatores, & hos inter Constantinum illum Copronynum (hoc est, stercorarium) profert, hominem impiissimum, qui omnes tolli Imagines è templis jusserint (adde, & confregerint impiè.) Rectè auctores doctrinæ vestræ qui fuerint, hîc fateris, Vedrosi. Sed quorum impietatem vos imitamini, etiam exitus perhorrescite. Noveris Copronynum tuum, adhuc vivum, infernali igne uri se, confessum fuisse. Lege Historicos in Copronymo. Sed in præjudicium maximum causæ suæ.

ARTICVLVS IV.

Consonantia in doctrina de Purgatorio, & Sanctis ibid. morantibus.

AD tractationem de Sanctis, etiam animæ Purgantes, utpote & ipsæ Sanctæ, quia in gratia DEI constitutæ, & designati jam Cœli Cives, imò Reges pertinent. Itaque hîc quoque à Sanctis non sejungamus. Num. I.

Probat Catholicam de Purgatorio sententiam noster D. Georgius Documento suo 32. & ultimo, pag. 99. iterum ex Sancta primæ Ecclesiæ antiquitate, duo solùm illustria afferens loca de oratione pro mortuis ex S. Chrysost. & S. suo Augustino; quæ ita clara sunt, ut Vedrosius ipse negare ausus non sit, probari omnino ex ijs, orationem pro mortuis primæ illi Ecclesiæ consuetam fuisse. Negat tamen, quod mireris in Doctore Theologo, ex precibus illis, pro mortuis offerri solitis, Purgatorium adstrui. Quidni autem, Vedrosi, Purgatorium inde adstruatur? hebes profectò est, qui hoc non sequi ex his precibus videt. Ergo oratum est pro defunctorum animabus, in prima Ecclesia, etiam te concedente? pro quibus autem? an pro ijs, qui in Infernò ob vitam impiè actam jam ardebant? Atqui id fiebat frustra, & gratis, quia *in Inferno, nulla est redemptio*, & sic nullus quoque precum fructus. An pro ijs, qui in Cœlo jam cum Christo regnabant? Atqui istæ animæ precibus fidelium nihil indigebant. Ergo pro tertia quadam specie

Sancti Veteris Ecclesiæ pro defunctis orarunt.

Id quod rectè concedit Vedrosius.

Sed negat non rectè, inde purgatorium adstrui.

cie animarum necessariò fiebant, quæ nec beatitudine adhuc potiebantur, neque tamen pœnis etiam Inferni jam torquebantur; differebantur autem adhuc â cœlesti gloria, quòd etiamnum inquinatis, ea nondum pateret, juxta illud: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum Cœlorum.* Apoc. 21. 27. Ut ergo cœlo recipiantur, inquinamenta illa purganda erant, sive per ignem, de quo postea; sive per ipsam solùm temporariam â cœlo exclusionem, quod subinde fieri credimus; quæ ipsa tamen si sola etiam sit, urit & torquet. Ut sic autem purgentur, locus ipsis quærendus est, ubi purgentur. Hunc locum ex reipsa Purgatorium Catholica Ecclesia appellat. Rectè itaque omnino ab orationibus pro defunctis, ad Purgatorium, qualecumq; illud sit, argumentatur D. Georgius. non rectè autem, nec rationabiliter id negat Vedrosius, ut ostensum.

II. Si autem clariora desiderat pro Purgatorio testimonia Vedrosius, & ex ipsa S. Scriptura, & antiquissimis Patribus totis modiis admetiemur. Ex Sacra quidem Scriptura Novendecim adducit Card. Bellarminus l. 1. de Purgatorio totis sex capitibus, scilicet 3 4. 5. 6. 7. & 8. quæ Bellarmini capita si legere potuissent Joannes Fischerus, vulgò Roffensis dictus, inclytus ille non Papæ, ut Vedrosius nugatur, sed Christi Martyr in Anglia, item Petrus â Soto, Alphonsus â Castro, & Navarrus, non desiderassent scripturæ loca pro Purgatorio, in quo Vedrosius gratis triumphat. Ex vetustissimis autem Patribus, multo adhuc plura testimonia pro Purgatorio idem Bellarminus c. 10. adducit, iisque eos, quotquot contrarium sentiunt, insigniter confundit, ut adeò risu dignum sit, quòd quasi illudens D. Georgio Vedrosius pag. 113. ita scribit: *Admiranda,* inquit, *est perspicacitas D. Georgij, quâ in antiquitate cernere hunc Ignem potuit, quem ante ipsum perspicacissimi non viderunt.* Ita Vedrosius. Ego contrà ajo. Admiranda est D. Vedrosij lippitudo, qui, quod omnes modicè in doctrina SS. Patrum, & eorum in Scripturam commentarijs versati, clarissimè perspiciunt, solus non perspiciat. Quodsi unicum Sancti Pauli caput 3. epistolæ primæ ad

Testimonia novendecim pro Purgatorio ex Sacra Scriptura.

Ex vetustissimorum quoque Patrum doctrina,

ex c. 3. epist. 1. ad Corinth. id probantium.

ad Corinth. cum interpretationibus Patrum antiquorum legisset Vedrosius, puderet ipsum ita loqui. Locus S. Pauli ita habet ℣. 14. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen, quasi per ignem* hujus Paulinæ sententiæ duplicem interpretationem apud D. Augustinum invenies. in altera per ignem intellig posse ait, tribulationes hujus vitæ. alibi verò scil. in commentario super Ps. 37. velut corrigens alteram suam sententiam, apertè de Igne purgatorio interpretatur his verbis: *Dicitur* (scilicet à S. Paulo) *salvus erit quasi per Ignem. Et quia dicitur: salvus erit: contemnitur ille Ignis. Ita planè; quamvis salvi per ignem; Gravior tamen est ille ignis, quàm quidquid pati potest homo in hac vita* Exin invocat DEUM, & ardenter postulat, ab ardoribus istius ignis purgatorij liberari, his verbis: *O Domine, in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam Emendatorio Igne opus non sit.* Quem nos hodie *Purgatorium Ignem* nominamus, Augustinus, eodem prorsus sensu, *Emendatorium Ignem* vocavit. An exigis aliquid clarius pro Igne sive purgatorio, sive emendatorio, Vedrosi? Habes hîc & scripturam de Purgatorio, & simul interpretationem antiquissimi Patris. Neque minùs perspicua sunt ejusdem S. Augustini alia quædam dicta, quale est illud ex l. 21. de Civ. DEI c. 24. ubi loquens de fidelibus adultis, qui cum levibus peccatis hinc decedunt: *Tales,* inquit, *constat, ante Iudicij diem, per pœnas temporales NB. quas eorum Spiritus patiuntur, PURGATOS NB. æterni ignis suppliciis non tradendos.* Ita Sanctus. Quis doctorum hodiéque clariùs de Purgatorio, & temporalibus vitæ alterius pœnis aut loqui posset, aut scribere? Multò autem clarissimè, ut clariùs non posset, ita scribit in homil. 16. ex lib. 50. homiliarum (quas homilias omnes Catholici, ut genuinum S. Augustini partum recipiunt) *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam* PURGATORIUM *transibunt, de quo Apostolus inquit: Salvus erit, sic tamen, quasi per Ignem.* Simillima habet l. 2. de Genes. contra Manichæos, c. 20. Nec obstat, quòd alibi Augustinus videatur dubius hærere. quia dubitatio ipsius non versatur ullo modo

III.

S. Augustini præferum.

Orat à Purgatorio liberari S. Augustinus

Alius locus ejusdem.

Vocat expressis verbis Purgatorium ignem.

circa Purgatorium ipsum, sed circa modum solummodò, quo purgentur animæ; & qualitatem Ignis purgantis, an scilicet idem sit cum igne gehennali; de quo certum quid neque ex scriptura, neque ex determinatione Ecclesiæ universæ habemus.

IV. Addamus unicum vetustissimum Doctorem & Patrem, ex Græca Ecclesia S. Basilium Magnum, qui in cap. 9. Isaiæ commentans ita scribit: *Si itaque per Confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus; dignum planè, quod depascatur ac devoret* PURGATORIUS *Ignis.* Et inferius. *Non omnimodam internecionem* (id est, damnationem) *comminatur, sed innuit* EXPURGATIONEM, *juxta Apostoli sententiam* (1. Cor. 3.) *Ipse autem salvus erit quasi per Ignem.* habes alterum vetustissimum & sanctissimum interpretem sententiæ Paulinæ de Igne Purgatorio, quo etiam vocabulo ipsimet utuntur. Ex hoc S. Basilij testimonio, obiter hoc quoque collige, benigne Lector, quâ veritate nitatur dictum Vedrosij pag. 14. in princ. *Preces ergo pro mortuis,* inquit, *non superstruendæ Purgatorio, ut quas Græci* (preces scilicet) *absque Purgatorio retinuerunt.* Falsum est, quod hîc ais. Utrumque enim, & preces pro mortuis, & Purgatorium necessariò ad eas consequens, primis sexcentis seculis, Græci unanimiter retinuerunt, ut hîc vides & audis. facto autem postea schismate illo infelicissimo, per ambitione tumentes Constantinopolitanos Patriarchas, tum demum in errores quosdam lapsi sunt, & in pœnam scilicet schismatis labi permissi sunt. Nos autem non de Schismaticis posterioribus Græcis, sed de primis quingentis, vel etiam sexcentis annis hîc quærimus, an scilicet primi illi Græcorum Sancti Episcopi, Basilius, Chrysostomus, Nazianzenus, Nyssenus, Cyrillus &c. preces tantùm retinuerint pro mortuis, Purgatorium verò ipsum negârint. hoc ostende Vedrosi, ut, verum dixisse, te ostendas: quod nego ego, & paulò ante contrarium ex D. Basilio clarissimè ostendi, qui & preces, & Purgatorium ipsum recipit. Idem præstitit S. Chrysostomus, qui homil. 41. in hanc ipsam, qua de agimus, primam ad Corinthios epistolam; *Iuvetur mortuus,* inquit,

S. Basilij locus insignis pro Purgatorio

Unde falsitatis manifestæ convincitur Vedrosius iterum.

Item S. Chrysostomi &c.

quit, *non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.* Et infrà. *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre &c.* Si verò nulla in necessitate versantur, quid auxilio habent opus? dic, Vedrosi, dic cordate Lector. Sic & Cyrillus Hierosł. catechesi Mystag. 5. orationes pro defunctis fusas, *maximum* ait esse *animarum juvamen*. Unde omni glacie frigidius est, quod Rivetus Calvinianus Minister apud Vedrosium, pag. 115. in princ. & cum eo Vedrosius quoque respondent Catholicis sciscitantibus, quo ergo fine â prima Ecclesia pro defunctis preces sint fusæ? ajunt enim: *Preces ejusmodi fuerunt testimonium erga mortuos fideles, stimulus viventibus affectûs* (sive amoris pristini) *ac consolatio, non mortuis jam quiescentibus auxilium.* Atqui orthodoxi Patres, quos modò produximus, disertis verbis vocant *Iuvamen*, ut S Chrysostomus suprà. vocant non simpliciter Juvamen, sed *maximum animarum Iuvamen*, ut Cyrillus. Disertè contrà negat hoc Vedrosius cum Riveto suo. Ecce quàm bellè cum antiquissimâ Ecclesia convenitis, quæ vestra perpetua, sed inanissima gloriatio est. *Auxilium* mortuorum sunt hæ Ecclesiæ pro defunctis preces; *Iuvamen* defunctorum sunt, ut â temporalibus suis pœnis citiùs solvantur, & beatâ DEI visione perfruantur, non inanis pristini in defunctos affectûs & amoris contestatio, & ex eo consolatio. Sed hæc finguntur â vobis; effugia sunt; declinationes ictuum sunt, sed frustraneæ. Illud autem, quod ibidem Vedrosius ex Riveto suo adjicit, Patres plurimos etiam pro animabus damnatis orâsse in Ecclesia vetere, iterum fucus est, fallacia est. Unicus enim ille ex S. Chrysostomo allatus locus, non annotato ejus libro, talium nihil probat. solùm ait, deplorandos illos esse defunctos divites, qui ex divitiis suis nulla sibi pro futuro seculo subsidia pararunt; hos ait, precibus atque eleemosynis juvandos. quibus verbis vel maximè adstruit temporales Purgatorij pœnas, ut consideranti patebit. Juvandas enim ait has animas, utiq; quæ possunt adhuc juvari. tales autem non sunt neque animæ beatæ, neque damnatæ: nisi fortassis omnes, qui in divitijs moriuntur, & parùm, dum viverent,

V.

Riveti Calviniani frigidissimũ responsum ad has Patrum sententias.

Rursus injuriâ afficiuntur SS. Patres â Vedrosio, & præsertim S. Chrysost.

Qui explicatur.

rent, in futurum sibi, per largiorem divitiarum dispensationem providerunt, continuò damnari existimas. Quodsi ita est, væ multis Rhætis tuis! Restat contumelia, â Vedrosio in unum ê Societate JESU temere jacta pag. 113. in medio, quam dissimulare fas non duco. Agens ergo Vedrosius c. I. de penuria argumentorũ pro Purgatorio ex scriptura, quo nos Catholici laboremus, crudissimum hoc dictum sine teste quidem, effutit. *Vnde,* inquit, (id est ob hanc inopiam argumentorum) *Petrus Cottonus Iesuita â Diabolo quæsivit, quis esset in scriptura locus, ex quo Purgatorium probari evidenter posset?* Cohorresces ad hæc, Lector, uti & mihi accidit. Nam verba hæc ita crudè prolata indicare videntur, Petrum Cottonum, virum tota Gallia â doctrina & sanctitate celeberrimum, commercium aliquod cum dæmone habuisse, ad eum fortasse modum, quo olim Zvvinglius tuus, Vedrosi, & proavus Lutherus habuerunt, qui in nocturno cum dæmone congressu ab eodem instructi sunt, alter de Missa abroganda, alter de reali præsentia Christi in Eucharistia neganda. Hoc Lutherus ipse non diffitetur, & orbi notissima est ipsius cum diabolo disputatio nocturna, quâ & victum se fassus est. Zvvinglius item non erubescit dicere, Spiritum fuisse, qui locutus ipsi fuerit, quem nesciat ipse albus fuerit, an ater: quod postremum utique fuit. Quid autem simile de Cottono aut Cottonus ipse fassus est, aut alij fide digni scripserunt? Angelis bonis & albis familiarissimum Cottonum fuisse Gallia Catholica prædicat, non nigris. Occurrit tamen mihi, hoc forsitan, ut erat vir zeli ingentis P. Cottonus, fieri potuisse, ut aliquando Energumenum exorcizans, diabolum adjurârit, adegeritq; ut diceret, qui in sacris litteris efficacissimus locus foret Purgatorio asserendo? quod si factum esset, aliter loquendum fuisset Vedrosio, nec tam immodestè asserendum, *Cottonum ex Diabolo quæsivisse &c.* pessimè enim sonat hæc loqvendi forma. tum verò Cottonus ex obsidente illo dæmone censendus esset istud non interrogasse, ut â dæmone ipse instrueretur, sed ut adigeret dæmonem, ut ipsemet quoque veritatem Catholicam publicè

VI.

Item Cottonus Jesuita, qui defenditur.

publicè prolato ex Scriptura testimonio, profiteretur, indéque vos omnes confunderemini. De Zvvinglij Nepotibus talia suspicari liceat, non de Ignatij filijs. Modestiùs loqventi Vedrosio, modestiùs respondebitur. Denique & hoc nosse te velim, Lector, suum de Purgatorio Examen ludendo, & illudendo malè concludere Vedrosium. Ait enim pag. 115. *Antiquitatem tamen Purgatorij non negamus. Notum id fuit Homero Odyssea l. II. & Virgilio 6. Æneid. & Platoni, libro de anima.* insinuare scilicet his verbis voluit Vedrosius, ethnicum hunc errorem esse. Addere poteras qvoqve Ciceronem *in Somnio Scip. fin.* & Claudianum *l. 2. in Ruffinum*, plurésqve alios ex Gentilium Philosophis, Judæorum Rabbinis, Turcarum Muffris, Indorum Brachmanibus &c. Ludis teipsum, Vedrosi, dum nos paras. Sic enim nos Catholici contra illusorem ratiocinamur. Id quod omnium gentium calculo approbatur, verûmqve habetur, pro vero, Sapientes omnes omni tempore habuerunt. Sic parentibus obtemperandum esse; furta cavenda, & injurias; DEUM aliqvem mundum regere &c. pro oraculis ideo habentur, quia in hoc sensu gentes omnes, fideles & infideles conveniunt. Et qvia in hoc qvoqve omnes omnino populi consentiunt, diversas esse alterius vitæ pœnas pro delinqventium diversitate in hac vita, graviores alias, alias mitiores; alias æternas, alias certi temporis, pro Judicis aut Judicum alterius vitæ justo arbitrio, & minùs, magisve delinqventium qvalitate, mirissimum profectò est, solos Calvinianos & Lutheranos in hoc ab omnibus alijs dissentire, ut adeò dici illis Evangelicum illud queat: *Adbuc & vos* (& qvidem soli) *sine intellectu estis?* Matth. 15. ℣. 16.

VII. Ludens Vedrosius luditur.

Protestantes omnes aut præ omnibus mortalibus sapiunt, aut &c.

ARTICVLVS V.

De ficta laude, quam Reformati tribuunt Veteri Romanæ Ecclesiæ, & verâ in contrarium ac perpetua ejusdem reprehensione ac vituperio: sive de Hypocrisi Reformatorum circa Sanctos.

Num. I. DOcet hoc egregiè noster D. Georgius Ratione sua qvartâ, qvintâ, sextâ. Et in qvarta qvidem Ratione pag. 111. Bullingero Reformato Ministro, vocatur primitiva illa Ecclesia tum Romana, tum reliqva, SANCTA, PIA, & DOCTA VETUSTAS. Item: FELIX & SANCTISSIMA ECCLESIA. Alij verò Ministro, Keckermanno, appellatur VERA, PIA, & ERUDITA ANTIQUITAS. Danzius autem Rhætus liberè fatetur id ipsum his verbis, pag. 109. â D. Georgio citatus. *Quicumque docuerunt & scripserunt quingentis circiter annis (â temporibus nempe Apostolorum) verè & orthodoxè docuerunt.* Addit Danzius, *Reformatos ad Ecclesiam Romanam ultro accessuros, si ejusmodi Doctrina & Religio* (veteris scilicet Ecclesiæ) *in ea locum haberet, & obtineret, motos solo Catholici nomine.* Idem protestatur ipse qvoqve D. Vedrosius, pag. 28. his verbis. *Restituatur nobis Roma illa, cujus fides deprædicata est in toto orbe, & ejus communionem non aspernabimur.* Numqvid non pulcherrima hæc verba sunt? sed non nisi verba. laudant veterem illam Ecclesiam, sed non nisi in genere, amplissimè. cùm verò ad particularia dogmata venitur, qvæ ipsorum phantasiis contraria sunt, tum cessat fictio, tum seriò reprehendunt, vituperant & execrantur largissimè. Id ostendit verbis ipsorummet Reformatorum D. Georgius fusè Ratione 5. & 6. & in hac qvidem sexta per columnas duas qvasi parallelas; in qvarum altera laudes veteris Ecclesiæ, in altera exadversum vituperia adnotantur. Ex tot exemplis qvæ adducit, sumamus unum modò & alterum. Primum sit, qvod apud D. Georgium pag. 118. ordine est septimum, de Sacrificio Missæ. Vetus Ecclesia recepit, & summâ etiam pietate celebravit sacrificium Missæ; cujus etiam sub hoc ipso Missæ nomine, crebra est, in primis adeò trecentis seculis, mentio. freqventer enim Patres ita loqvuntur: *Missarum solennia, sub missarum solennijs &c.* idqve etiam Reformati ipsi non negant, ut fusissimè probavit D. Georgius Ratione 3. exemplo 12. pag. 44. & ego suprà Sect. 4. Cap. 2. art. 3. Hanc nihilominus Missam, quantumvis in veterum illorum doctrina fundatissimam, omnibus modis execrantur Reformati, speciatim

Laudant generatim veterem Ecclesiam Reformati.

Cùm ad particularia venitur, fœdissimè traducunt.

Ejus rei exempla.

Jo. Pe-

Jo. Petrus de Cermenati apud D. Georgium pag. 118. & 119. qui Missæ celebrationem vocat *Satanicum facinus, ad quod Pontifices Romani à Diaboli Spiritu impulsi fuerint, qui in iisdem sua sceptra, velut omnis superstitionis & falsitatis auctor collocarit.* Et rursum: *Quodlibet*, inquit, *membrum Antichristi elaboravit in perficiendo ædificio Missæ, quæ est universa peccatorum mercatura vectigal.* Per membra Antichristi intelligit illos Romanos Pontifices, qui aliquid vel orationum, vel ceremoniarum ad Catholicam Missam addiderunt, ut fuere sequentes sanctissimi primorum quingentorum annorum Pontifices, Alexander I. Telesphorus, Sixtus I. Stephanus I. Siricius, Marcus, Anastasius, Gelasius & Leo I. præstantissimus & Pontifex & Doctor Ecclesiæ, qui omnes primis quingentis annis vixerunt. Hos audacissimus iste Prædicans audet *Antichristi membra* appellare, & Missam ipsam *Satanæ opus &c.* Non absimilia apud alios Reformatorum Ministros leges. Ecce hypocritas! laudant veterem illam quingentorum primorum annorum Ecclesiam, & ejusdem Patres ac Doctores verbis amplissimis simúlque fictissimis, velut orthodoxos prædicant, in genere scilicet, ne omnino impij videantur, si primam etiam Apostolicam illam & Apostolis proximam Ecclesiam damnent: cùm verò in particulari ipsis ostenditur, veteres illos Doctores v. gr. Missam & admisisse, & maximis laudibus ornasse, & celebrasse, in furias quasdam continuò aguntur, & jam dictorum suorum, & laudum, sed & honoris sui penitus immemores, acerrimè in omnes SS. Missæ patronos, quantumvis vetustissimos Patres ac Præsules invehuntur, & SS. Leones, Gelasios, Telesphoros, sed & Chrysostomos & Basilios, qui & ipsi proprias nobis Missas suas reliquerunt, veluti Satanæ instrumenta, & Antichristi membra traducunt. Idem alijs viginti quatuor exemplis D. noster Georgius ob oculos ponit, quæ apud ipsum leges.

Missa Reformatis audit facinus Satanicum, mercatura peccatorum &c.

Veteres Sancti quia Missam auxerunt, membra Antichristi Reformatis vocantur.

II.

Quid ad ista tam manifesta Vedrosius? planè fugit, & abdit se. Et ad quartam quidem Rationem pag. 116. hoc solum re-

Ad hæc objecta fugit Vedrosius.

spondet. *Tribuimus*, inquit, *Ecclesiæ dictorum seculorum, axioma* (titulum vult dicere, & dignationem) *Veræ, Catholicæ, Apostolicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ*, SANCTÆ, PIÆ, & DOCTÆ VETUSTATIS, *cujus consensum magni facimus, si consentiat cum verbo* DEI. Hæc Vedrosius; ex quo interrogo, cur addat ista verba: *Si consentiat cum verbo DEI?* Nimirum ut semper effugio pateat locus, & si quando premi aut se, aut suos contingat auctoritatibus istorum per quingentos annos SS. Patrum, eorúmque consensu, in promptu sit responsum: In hoc consentiunt quidem Patres, sed contra verbum DEI, aut, non consentiente verbo DEI. quo effugio sæpissime Reformati Ministri, Bullingerus præsertim, sed & Vedrosius ipse in hoc suo opere tueri se conantur, non tuentur. Quid quòd Vedrosius ita loquendo: *Si consentiat Patrum consensus cum verbo DEI:* turpissimam contradictionem committit. An enim alicubi antiquissimi illi Patres, & sic *Sancta* illa, *Pia & docta*, etiam Vedrosio, *vetustas*, & quidem unanimi consensu, docent aliquid, quod non consentiat verbo DEI? Si ais & affirmas, contradicis tibi ipsi, dum antiquitatem illam *Sanctam, Piam, & doctam* appellas ex una parte; ex altera verò ipsam arguis, quòd plura doceat contra verbum DEI. Si enim hoc facit, quomodo *Sancta?* quomodo *Vera?* quomodo *Pia?* quomodo *orthodoxa* est, id est, de rebus divinis rectè sentiens? hoc enim est orthodoxum esse. Et ipsi Patres illi, qui consentiunt in erroneo ejusmodi dogmate, quomodo Sancti, & orthodoxi, rectéque de rebus fidei sentientes Patres sunt? Essent nimirum *orthodoxi* hac ratione, & *non orthodoxi, Pij, & minimè Pij, Sancti, & non Sancti*; quæ manifesta contradictio est. *Orthodoxi & Pij* essent, quia ut tales laudatis (aut fingere vos fatemini) non essent autem sed potiùs hæretici & impij, si conjuratione quasi factâ aliquid contra verbum DEI docerent, & in errores noxios hac ratione posteritatem inducerent, quod nec piorum, nec orthodoxorum est. Quis hîc non palpat, & callidam, ut ipsi putant; & simplicem nimis, ut nos judicamus hypocrisin illorum? Vidit hoc & cavit Bullin-

Qui etiam ipse fictissimè laudat.

Sed non sine contradictione manifesta.

En contradictionem.

Bullingerus tuus, quem contra teipsum citas pag. 116. qui cùm priùs magnificè veteris Ecclesiæ, & sic Sanctorū etiam illorum fidem collaudasset, & *piam, veram, orthodoxam* esse, confessus fuisset, addit: *Fidem veteris Ecclesiæ tanti non reputarem, nisi fundata esset in fide Apostolica, vel Verbo DEI, juxta illud Apostoli: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum DEI.* Ecce Bullingerus tuus & recipit Veteris Ecclesiæ fidem ac doctrinam, & ob hoc recipit, quòd ea fundata sit in verbo DEI, & consentiat Sacræ Scripturæ: quæ consequenter dicuntur; non item, quæ tu dicis; te scilicet consensum veteris Ecclesiæ magni facere, *si consentiat cum verbo DEI*, in eoque, ut Bullingerus loquitur, fundata sit. Est fundata in verbo DEI, Vedrosi, Bullingero quoque teste. consentit cum verbo DEI. cur ergo tu dubiè loqueris? cur, inquam, nisi ut effugium tibi imposterum pares? nisi fortè dicere velis, sanctissimos illos & doctissimos Patres Scripturas sacras non intellexisse, & à vobis primùm discere debere. Intellexerunt, mi Vedrosi, utpote lumine de cœlo pleni; in scriptis suis ad eandem sacram scripturam respexerunt, & ad illius normam rectissimam scripta sua exegerunt. Intellexerunt, inquam, præ omnibus Calvinis, Lutheris, Bullingeris, Bezis &c. utpote his omnibus sine comparatione & doctiores, & sanctiores, & humiliores, atque ita recipiendo lumini divino aptiores. Non itaq; debuit, uti vos videmini vobis per delirium imaginari, Ecclesia DEI Calvinū exspectare, aut Lutherum &c. qui primi genuinos Scripturæ sensus eruerent, & fidelibus rectiùs, quàm omnes antiqui & Sanctissimi Patres exponerent. Deliria hæc sunt, insaniæ hæ sunt, & tamen plurimorum, dicam rectiùs, omnium Reformatorum. Hæc de Ratione 4. D. Georgij, & Vedrosij ad eam malè cohærente responsione.

Sapientiùs loquitur Bullinger⁹, sed non minus fictè.

Scripturas Sacras præ omnibus Calvinis &c. Sancti Patres intellexerunt.

IV.

Sequitur Ratio 5. & 6. D. Georgij à pag. 115. usque ad pag. 137. in quibus ipsis oculis ingerit, & per parallelas etiam columnas, ut dicebamus, contradictiones Reformatorum, viginti & aliquot exemplis demonstrat, veterem Ecclesiam cum doctrinis suis laudantium, & rursus alibi immanibus convitijs vituperantium, atque damnantium.

Rationem 5. & 6. D. Georgij planè præterit Vedrosius.

 Quid

V. Quid ad istas Rationes D. Vedrosius? Planè præterit, & cùm alias subsequentes D. Georgij Rationes, Sectionis suæ 5. initio prænotet, quas examinare illâ Sectione intendat, istas binas prænotare omnino omisit, utique quia indignas refutatione. Sed alia longè est caussa. Manifestiores erant contradictiones illæ, quàm ut â callido etiam ingenio tuo vel defendi possent, vel quæsitis coloribus excusari. quare rectiùs agere nihil potuit Vedrosius, quàm ut præteriret. Et utinam omnino de ijs tacuisset! consuluisset magis nomini suo. Quæ enim, velut in transitu solùm, pag 123. de Quinta & Sexta hac Ratione Georgiana meminit, talia profectò sunt, quæ cuilibet Lectorum risum meritò excutiant. Verba Vedrosij hæc sunt, princip. *Meminerint*, inquit, *Ecclesiæ Romanæ Doctores, acutorum, quibus Doctores primitivos configunt, obeliscorum, & Rationes V. & VI. in quibus D. Georgius observavit, Confessionem Helveticam, Bullingerum, Calvinum, Bezam, & alios, aliquid in iis desiderasse, ipsi expungant, nec in posterum inani adeò strepitu, quenquam suorum bonas horas terere, & chartas commaculare permittant.* Ita Vedrosius. Totum ergo ipsius responsum in hoc situm est, ut lepidissimè roget, an jubeat Ecclesiæ Romanæ Doctores, ut expungant Quintam & Sextam D. Georgij Rationem; ne D. Vedrosio, & suis deinceps *inani strepitu suo* permolestæ sint. Non impetras, Vedrosi, quod hîc tam ridiculè efflagitas, ut nimirum bene admodum excogitatas D. Georgij Rationes istas *expungamus*; quia id non merentur, tu potiùs calamum stringe, ut eas, si potes, refutes, & sic hominis animum despondentis, & in pugna succumbentis notam *expungas*. Quòd autem meminisse nos Catholicos jubes *acutorum obeliscorum*, id est, censurarum, quibus nos ipsi etiam Doctores primitivos *configamus*, an effugere te posse hac ratione, & Bullingerum, Bezam, & Calvinum tuum sic â crimine hypocrisis, & convitiandi Sanctos libidine purgare existimas? Minimè verò. Nam primùm Catholici nostri Doctores consensum unanimem Veterum Ecclesiæ Doctorum in dogmatibus fidei nunquam rejiciunt,

Alibi easdem in transitu solùm perstringit.

Sed ridiculè.

VI.

jiciunt, improbant nunquam, semper autem venerantur, tanquam Spiritus Sancti locutionem. Si quando autem singulares quosdam Patrum sensus & interpretationes repudiamus, quando à communi aliorum Patrum videntur declinare, eâ modestiâ utimur, quá decet nos erga Sanctos uti. certè convitijs illos nunquam lacessimus; nunqvam *Antichristi membra, aut Diaboli instrumenta, in quibus sceptrum ille suum collocârit*, appellasse convincemur, uti impurissimus ille, nescio qvis Cermenati, jam suprâ depexus facere ausus est: nunqvam eò progredimur, ut eos *candoris & modestiæ* oblitos fuisse dicere, aut scribere non verecundemur, uti Vedrosius ipse pag. 103. de sanctissimo viro Hieronymo scribere non est veritus. Plures ejusmodi Crassos, sed non Romanos, cumulo uno in Ratione 32. D Georgij, pag. 373. reperies; nihil autem simile apud Catholicos. Nam quòd ex Erasmo Vedrosius pag. 102. contra S. Hieronymum affert, qvasi *fervore quodam ingenij rapi se nonnunquam plus ultra passus fuerit*, primùm modestè satis est dictum, præ quàm solet Vedrosius. Deinde Erasmi dictum est, qvi reprehendit in alio, se multò meliore, & doctiore, qvod maximè in Erasmo ipso reprehenditur; qvi fervori suo nimis indulsit sæpissime, & cruda de qvibusvis etiam Sanctis judicia sua ausus est effutire. Deniqve ad sincerè Catholicos Erasmus non pertinet. Hæc de obeliscis Vedrosij.

Frustra in societatem criminis trahere conatur Catholicos.

ARTICVLVS VI.

Recapitulatio Rationum, quâ ostenditur, quàm sapienter D. Georgius ob allatas hucusque Rationes Reformatorum cœtum, utpote veteri Ecclesiæ quàm dissimillimum deseruerit, & ad Catholicam Ecclesiam illi non simillimam tantùm, sed cum illa Eandem se transtulerit.

Placuit

Num. I. PLacuit ad finem hujus Primæ Partis in unam Summam colligere, quæ hucusque ceu Motiva conversionis suæ D. Georgius, insigni cum zelo, & sapientia attulit, quæque insuper afferre potuisset; quem suo potiùs ore alloquentem dilectissimos suos Rhœtos, quàm alieno, auscultemus. Deserui vos, ô Reformati (qvibus olim, dum vestra solùm legerem, addictissimus eram) postquam & aliena & legere, & perpendere cœpi, Catholicorum nimirum scripta, maximè autem veterum: ex quibus illud didici, quantùm ortus distat ab occidente, tantùm differre & doctrinam & vitam vetustissimorum Christianorum â vestra tum doctrina, tum vita ac moribus; ita ut veterum & vita & doctrina verè oriens sit, hoc est, lucis patria; vestra occidens, hoc est, lucis sepulcrum. Et quidem quod ad doctrinam attinet, si pauca de SS. Trinitate, & Christo Salvatore dogmata excipiamus, & ipsa tamen commaculata, ut postea patebit, inveni doctrinam vestram in omnibus propè mutatam ab illa Veterum, id quod exemplis plurimis manifestum reddidi, vósque ipsos id non diffiteri, demonstravi; & deinceps multò pluribus in Parte secunda hujus operis demonstrabo. Et quia ad diversam doctrinam necessariò & vita sequitur diversa, & mores alii: ubi vitam vestram, & gubernationem Ecclesiarum vestrarum, & consuetudines vestras, cum primæ illius Ecclesiæ vita & institutis contuli, rursus Orientis & Occidentis distantiam inveni: quæ, si patientiam adhibere dignabimini, sigillatim & compendio hîc denuo exequar, & non Documenta, sed Motiva hîc nuncupabo, ordinéque adnumerabo; nec omnia tamen, quæ possem, ne sim infinitus; afferam.

Vetus Ecclesia & nova Reformata conveniunt, ut Oriens & Occidens.

I. MOTIVUM.

Diversitas Gubernationis.

Reformata Ecclesia sine capite est.

ET inprimis, Caput ecclesiasticum vobis est nullum, sed ubique locorum Caput solummodò sæculare, modò vir, modò fœmina, modò Puer, in regnis scilicet & Principatibus: alibi verò

verò magistratus civilis, secularis, laicus; quibus in vos Ministros Reformatos jus perinde summum, ac in omne aliud vulgus. Atque ita Pastores ab oviculis reguntur, exemplo novo. Nihil simile in veteri Catholica Ecclesia, nihil in hodierna reperi. Ecclesiasticorum & secularium distincti ordines sunt, apud vos Laici omnes. II.

II. Nullus apud vos Clerus; nulla ordinum & graduum distinctio & subordinatio; Episcopi nulli, nulli presbyteri, Diaconi veri nominis nulli, nulli Subdiaconi, Clerici Minores, ut Acoluthi &c. nulli. qui gradus omnes â me in veteri Ecclesia, uti & in hodierna Catholica reperti sunt. *Nullus* itaque apud vos *ordo*, sed *sempiternus horror inhabitat*: ibi verò hierarchia cœlestis æmula.

Clerus apud eam nullus.

MOTIVUM II.

Diversitas in Sacramentis & Administratione eorundem.

EX omnibus Sacramentis vobis solus relictus est Baptismus, ut suprà fusissimè probatum fuit. Nam Sacramentum Confirmationis, & extremæ unctionis, penitus abolevistis, scripturâ quantumvis reclamante, & Ecclesiæ veteris praxi refragante. Confessionis umbram solùm, quia vobis utilem, retinetis. Matrimonium etsi maximè, etiam præ Virginitate, commendatis, inter Sacramenta tamen novæ Legis non admittitis, uti neque Sacerdotum initiationem. SS. Eucharistiæ Sacramentum vobis arrogatis, non habetis, quia Sacerdotio, â quo solo confici potest, destituti estis. Unde panem solum, eúmque nudum præberi â vobis populo, rectè docetis. Solus itaque divinâ benignitate baptismus vobis relictus est, quem tamen absolutè necessarium esse ad salutem negatis, & sic neque baptismum sine adjuncto errrore retinetis: eundem sine cerimonijs antiquæ Ecclesiæ, nudissimè administratis & sæpe absque eo infantes emori sinitis. Alia omnia in sancta illa & vetustissima ecclesia inveni: Confirmationem, seu chrisma; morientium unctionem; distinctam III.

Sacramenta â veteri recepta Ecclesia, rejicit Reformata.

omnium peccatorum confessionem; Matrimonium & ordinem inter Sacramenta numerata; Eucharistiam denique à legitimis Sacerdotibus, iisque solis confectam, & corpus sanguinémque Christi continere creditam.

Uti & ritus eorum.

Motivum III.

Diversitas in Signis Fidei Christianæ.

IV. Nulla signa Christiani apud Reformatos.

SIgna Christianorum apud vos nulla, qualia apud antiquos plurima. Nullum Christiani Signum in fronte, ut á minimo ordiamur; Nullum in vestris templis, unde ab infidelium templis discerni queant; nullum in domibus, ubi loco Imaginis Salvatoris aut Crucifixi, Ducum belli, & Prædicantium Imagines, aliásque similes solas videas; nullum in campis & vijs publicis; nullum in sepulcris; nullum in funeribus, sive in deductionibus funerum. gentilis, an Christianus exportetur, non dignoscas, nullum denique ullibi Christiani Signum. Contrarium verò legendo inveni in veteri & Sancta illa Ecclesia, in hodierna autem vidi, signum videlicet Sanctæ Crucis in fronte omnium, etiam Regum, in Coronis eorundem; in ædibus tum Sacris, tum profanis, & ut S. Chrysostomus loquitur (habes supra) *In montibus, in collibus, in vallibus, in vestibus, in lectis, in mensis, vasis scilicet earum argenteis, aureis, & in margaritis, in muris, in parietibus &c.* Ut de alijs sacris Iconismis taceam, ut erant olim & hodie sunt apud Catholicos Imagines Salvatoris, Deiparæ Virginis, Apostolorum, Martyrum. An non ingens hæc diversitas? Pudétne Reformatos Crucis Christi? Audient sanè illud aliquando: *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet.* Luc. 9.26.

Motivum IV.

Diversitas in Templis & eorum apparatu.

V. NUlla in templis vestris Altaria, Sacrificium nullum, Sacerdos nullus; nullæ ministrorum, qui Sacerdotum vobis loco sunt

co sunt

eo sunt, sacræ vestes, quibus à plebe reliqua discernantur; candelabra nulla, lumina nulla, nullæ lampades vel Capitulatæ, ut veteres vocabant, calices nulli, thurificatio nulla, ornatus alius nullus, Imagines aut statuæ Sanctorum nullæ; Sanctorũ corpora, vel ossa, quæ reliquiæ vocantur, nulla, Cleri & populi in templis separatio nulla, sed nuda omnia, indecora & inornata omnia, indistincta omnia; cùm tamen Christianorũ templa præ Salomonéo illo, multò deceret magnificentiùs & pretiosiùs esse ornata. Et fuerunt veterum; in quibus SS. Missæ Sacrificium maximo & pretiosissimo apparatu, super altaria, subquibus Sanctorum, maximè Martyrum corpora quiescebant celebrabatur, candelabris aureis lumina sua sustinentibus; argenteis lampadibus è tholo suspensis, & templum illuminantibus; calicibus argenteis, vel etiam aureis ad sacrificium adhibitis; statuis Christi & Apostolorum argenteis aras onerantibus; thuribulis aureis argenteisve suffitum reddentibus &c. quæ omnia ex probatissimis historijs Eusebij & aliorum habemus, quorum ornamentorum plurima & pretiosissima ab ipso Constantino M. templis & Episcopis submissa, dictus Eusebius l. 2. & 3. de vita Constantini testatur. hinc tanti erânt etiam ante Constantini tempora Ecclesiarum thesauri ex auro, argento, gemmis &c. ut ijs etiam Imperatores ipsi inhiarent, quod de Valeriano Imperatore ex actis & Martyrio S. Laurentij notissimum est, uti & ex carminibus Prudentij de S. Laurentio, & alijs. Quæ omnia neque negari à veracibus, neque rideri, nisi ab insanis, aut novis Lucianis queunt.

Qualia fuerint Veterum templa, quàm ornata.

Qualia contra sint Reformatorũ.

MOTIVUM V.

Diversitas in cultu DEI publico.

VI. Nullus Dei cultus publicus apud Reformatos.

SEd nihil ita me offendit (diceret, si queat hodiéque D. Georgius) in vestro Reformatorum cœtu, uti abrogatio omnis DEI cultûs publici, & latreutici; quo publicè & palam, aut quotidie, aut quàm sæpissimè contestatio fiat vestræ infimæ ad DEUM subjectionis, & contrà supremi Ipsius in vos Impe-

rij ac Dominij, in vitam, corpus, animam, & omnia vestra: quali publico cultu, eóque latreutico, nullæ omnino Gentes, nulli populi extra vos caruerunt, si solos Turcas excipiamus. ut adeo vos Reformati aut sapiatis uni præ omnibus, quotquot ab orbe condito vixerunt, gentibus, aut &c. Hic enim cultus publicus latreuticus, cum adoratione scilicet DEI, tanquam supremi Domini, conjunctus, ab Hebræis quidem per cæsas quotidie hostias DEO adhibebatur; â gentilibus autem putatitio suo Jovi, & dijs reliquis per suas Hecatombas, & alia minora sacrificia ac victimas; â primis autem Christianis per immolationem quotidianam agni immaculati Christi, in sacrificio altaris incruento; quo illud S. Andreæ Apostoli, ad Ægeam Proconsulem, dictum notissimum pertinet, cùm dæmonibus sacrificare, aut mori juberetur: *Ego*, inquiebat Apostolus, *omnipotenti DEO, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari*, ut habent indubitata S. Andreæ acta ad nos usque propagata.

VII. Quid simile apud vos Reformatos? qui abrogato semel tremendo, ut Sancti Veteres loquebantur, Missæ sacrificio, qui principalis latriæ cultus, isque publicus omnibus ante vos Christianis fuit, totum simul publicum & externum DEI latreuticum cultum abrogastis, & nihil posthæc Religiosi cultûs publici habere cœpistis. Quis enim, dicite, oro, quis publicus DEI apud vos cultus remansit, qui propriè religiosus sit, hoc est, actum Religionis & latriæ in se contineat? An Declamationes vestræ ad populum? atqui has & Infideles, & in foris suis, & in templis habere possunt; & habuerunt Tullij, Hortensij, Demosthenes, Æschines, aliíque Ethnicorum Demagógi. An verò cantus psalmorum, aliarúmve odarum, quem vos precibus, quia jucundior est, substituitis? Atqui nullus in his latriæ cultus inest, & sæpe voluptatis magis, quàm pietatis causâ usurpatur. An Cœna vestra? Atqui nullus in ea adorationis cultus intervenit, cùm Christum JESUM ibi præsentem esse negetis. An baptismus, quem retinetis adhuc ex Sacramentis solum?

Conciones eorum non sunt cultus publicus.

Nec Psalmi.

Nec baptismus.

Id

Id dicturos vos non opinor. Initiatio Christiani est, non divini Numinis adoratio. Atqui ex omnibus Christianorum institutis hæc vobis quatuor sola reliqua fecistis, Declamationes ad populum perpetuas; cantiones precum loco; Cœnam, sed prorsus communem, qualem & domi esitatis; & denique Baptismum. imò usque adeò religiosos omnes veterum Christianorum cultus externos aboleverunt vestri majores, ut neque minimum illum, & omnium tenuissimum retinere voluerint, qui est Genuflexio. ordinariè enim non genuflexi, sed stantes oratis, quia commodior carni hic situs est, non autem DEO honorificentior, non exemplis Sanctorum, & ipsius Christi conformior. Manet ergo, nullum penitus religiosum cultum publicum â vobis retentum fuisse. Quis talem cœtum, tam nihil cum veris illis primis Christianis commune habentem non deserat, & vel hodie, vel hac horâ deserat? Sanè quasi Calvinus vester, alter sive Moyses, sive Christus foret, sive Paracletus ipse (quæ Montani insania erat) ita omnem omnino Christianitatem invertit, pro lubitu, immutavit, & denique evertit, ut novam prorsus velut tertius è Cœlo Legislator Religionem, aut Irreligionem potius institueret. Ita mecum loquerentur omnes primorum quinque seculorum Sancti Patres & alij omnes, si ipsos è Cœlo ad nos revenire, & instituta vestra videre contingeret. Severa hæc dicta sunt, fateor, sed vera. Dura res est veritas, herba amara, sed salubris admittentibus, probéque masticantibus eam, & ruminantibus in quem finem solum hoc vobis loco apponitur. Vulnera sunt, fateor, quæ hic infligo, sed vulnera diligentis, de quibus sapiens Prov. 27. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula blandientis.* Utique meliora. Nam oscula hæc necant, uti simiarum, illa autem vulnera & sanant, & â morte quoque ipsa ad vitam revocant.

Ipsa etiam genuflexio sublata.

Invertit omnia Calvinus.

Amara herba veritas, sed salubris.

Utinam & meis hæc vulneribus felicitas contingat,

Utinam!

Motivum VI.

Diversitas in Pœnitentiis, Austeritatibus corporis, & abnegatione sui universim.

VIII.

Pœnitentiæ opera omnia exulant à Reformatis.

Ut stata Jejunia.

Item Quadragesima.

Item Cilicia.

Et vigiliæ.

Item Voluntaria perpetua castitas & paupertas.

SI plura ad curationem vestram maturandam amoris vulnera non repudiatis, conferte ipsi mores & instituta vestra cum veteris Sanctæ illius Ecclesiæ institutis ac moribus, in ijs præsertim, quæ ad omnimodam abnegationem sui, tantopere nobis in Evangelio commendatam, & pœnitentiæ opera, tantopere ab omni scriptura sacra nobis itidem commendata pertinent. Stata apud vos Jejunia prorsus nulla, apud primos Christianos plurima, quin etiam apud fideles olim Hebræos. Quadragesima vobis superstitio est, veteribus singularis pietas erat. Ciliciorum & apud Hebræos in veteri testamento, & apud primos Christianos, uti & vigiliarum in precibus, usus creberrimus, apud vos nullus. Voluntarij, aut voluntariæ apud vos Virgines nulli & nullæ, *sed sicut in diebus Noe erant comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes*, Matth. 24. ita & apud vos. Nubunt omnes, & nubuntur. Voluntarii quoque pauperes nulli apud vos; Ascetæ, qui in commune viverent, & soli DEO, relicto omni seculo, deseruirent, nulli: apud Veteres contrà omnes hi ingenti numero, viri, feminæ, pueri, puellæ, præeuntibus exemplo sanctissimis primæ Ecclesiæ Episcopis, Augustino, Basilio, Nazianzeno, Martino, Gregorio Magno &c. aut certè ad opera tam sancta hortatoribus Ambrosio, Chrysostomo, Cypriano &c. quod autem ad hæc vobis ingesta exempla, quæ negare non potestis, quidam vestrûm respondent, donum hoc DEI peculiare fuisse, verum id quidem est; sed continuò magna suboritur nobis admiratio, quòd nec unus, vel una apud Reformatos per sesqui seculum reperiri potuerit, qui, vel quæ hoc donum à DEO acceperit: sed ne Minister quidem unicus, qui ad hoc Cypriani, Ambrosij &c. exemplo, hortator fuerit. Nimirum dona hæc sunt, soli veræ Ecclesiæ & membris

membris ejus vivis conferri solita. Quid ergo de vestra sentiendum erit? an vera non est? dura quæstio. Si autem vera, cur donis ejusmodi omnibus caret? cur ornamentis ejusmodi in alterum usque seculum destituta est? Quodsi omnino non placet vobis virginitas, quæ & â Christo, & â Paulo libertati cujusque relicta fuit; at placeat magis matrimonialis castitas. non mutentur toties uxores, propè ad Judaicum modum; non dissolvantur toties matrimonia, & vivis adhuc prioribus conjugibus novæ introducantur, contra expressam Legem Christi, sed non contra Legem Calvini. prohibet Christus, Calvinus concedit. Quantum distat ortus ab occidente, tantum quoad hoc distat iterum Reformata Ecclesia vestra â Sancta illa, Pia & castissima prima Ecclesia, in qua horum simile nihil. Nam de matrimoniorum semel ritè initorum solutione, etiam adulterij crimine interveniente, nihil novit vetus illa & sancta Ecclesia, custodiens integrè & sanctè Domini & Sponsi sui mandatum, *Quod DEVS conjunxit, homo non separet*, Matth. 19. Utique autem & vestra matrimonia DEUS conjungit. An fortè in lege quoque divina dispensare vobis concessum est? Certè dispensatis, & gratiam talem, etiam DEI ingratijs, facitis; quæ nova prorsus & mira Theologia est. An inter mandata observatu impossibilia hoc quoque de matrimonio numeratis?

IX.

Item matrimonij indissolubilitas.

Quæ prohibet Christus, concedit Calvinus.

Verissimum itaque est, quod dicebam, ita Vestram Reformatorum veteri illi Sanctæ Ecclesiæ difformem, atque ab ea diversam esse, ut ne unicum quidem illius Sanctæ Ecclesiæ Institutum retinueritis immutatum. (quod de nulla prorsus antiqua secta dici queat) Aut vel unicum indicate. An non videor itaque vobis, Patriotæ charissimi, caussæ satis, & sanctæ quidem caussæ satis habuisse, ut vestram prorsus novam Ecclesiam desererem, serò quidem, & dolet! tandem tamen, & juvat æternùm, & deseruisse vestram, & meliorem, veterique illi sanctæ per omnia conformem invenisse, in Gubernatione, in Sacramentis & eorum administratione, in signis Christiani hominis, in templis, aris, Sacerdotio, Sacrificio Sacrosancto, in

Verbo, immutatum remansit nihil.

Quod de nulla veterum Sectarum dici potest.

in abnegatione denique sui, pœnitentijs, & Austeritatibus, mortificandis corporis membris sapientissime institutis; in voluntaria paupertate & castitate &c. (quæ mortificationum & abnegationum utique maximæ sunt) in Consiliorum Evangelicorum sequela cum observatione præceptorum Dei: quæ omnia ita veteri illi Ecclesiæ conformia & assimilia reperi in hodierna Ecclesia Romana, ut Rosa, quæ hodie è frutice suo germinat, similior esse non possit illi Rosæ, quæ ante mille sexcentos annos germinavit. Tempore solo distant. colore autem & fragrantiâ, quæ cœlos ipsos penetrent, binæ hæ Rosæ nihil distant. Valete spinæ. Ita D. Georgius, recapitulando suas Rationes, è Cœlo Rhætos suos, quorum salutis desiderio magis nunc tenetur, alloqui censendus est. Cùm vita itaque, mores, ac Instituta Reformatæ Ecclesiæ, ipsis oculis arbitris, adeò sint diversa â veteri illa sancta Ecclesia, forsitan tamen in doctrina major conformitas erit. Id spectabimus & expendemus statim Parte altera scripti hujus, ad quam festino, ad Rationem scilicet VIII. D. Georgij, quæ de Doctrina tractat. Nam Ratio VII. ejusdem, quia tota quasi repetitur in Ratione ejus XII. cùm de ea infrà agetur, etiam Ratio hæc sexta suum ibi locum inveniet.

Contra apud Catholicos paria sunt omnia & assimilia.

MANTISSA

Ad Sectionem Quartam.

In qua D. Vedrosio ad octodecim ipsius Postulata respondetur.

Postquam initio Sectionis suæ quartæ, pag. 28. enumeravit Vedrosius XXXII. Capita Catholicæ Ecclesiæ nostræ, quæ proposuit D. Georgius Ratione suâ tertiâ, ostenditque præclarè, in omnibus ijs capitibus convenire & concordare hodiernam Romanam Ecclesiam cum Veteri illa & Sancta; antequam ad earum veniat Examen, uti vocat Vedrosius, ita præfatur, enumera-

merationem suam concludens pag. 29. *Verùm hæc*, inquit, *non sunt omnia, quæ nobis ex veneranda antiquitate demonstrata cupimus.* Subjungit exin Postulata omnino XVIII. quæ sibi cupiat ex *veneranda*, ut ipse loquitur, *Antiquitate* demonstrari, quomodo in his quoque nostra hodierna Catholica cum Veteri illa consentiat. Ne ergo queri possit Vedrosius, prætermissum à me quidquam eorum, ad quæ responsum à nobis efflagitet, ecce responsum meum, quâ licet brevitate, ad singula.

POSTULATUM I. DE BIBLIIS. Producatur, ait Vedrosius, Ecclesia quatuor, aut quinque primorum seculorum, quæ vetuerit, sacra Biblia legi linguâ vulgari &c. I. Biblia vernacula cur non prohibuerint veteres.

Respondet Apologista. Prima quatuor, aut quinque secula non habuere caussam vetandi, quia non habuerunt tunc Biblia à Sectarijs eo modo corrupta, uti habent nostra hæc tempora, fraude vestrâ, & probro. Constat enim de vobis Reformatis, ut de alijs modò sileam, vos magnis sumptibus Genevæ, & alibi, Gallico, & Italico idiomate, Biblia à vobis translata & multis locis corrupta, magno numero Galliæ, ac præsertim Italiæ intulisse, quasi ibidem in Catholicis Typographijs procusa; quæ homines simplices empta, ceu Catholica Biblia lectitabant, & inspersa vestra venena simul hauriebant paulatim, magno animarum suarum detrimento. Ubi autem denique fraus hæc patuit, sapientissima prohibitio à Sede Apostolica est consecuta, ne vernacula Biblia passim legerentur, idque ne Catholicorum Bibliorum loco, vestra corrupta, & periculosis annotationibus referta in manus fidelium venirent. En caussam nostram, & probrum vestrum. Cur ea è contrario jam prohibeantur.

POSTULATUM II. Produci postulat, secundo loco, Vedrosius antiqvum Ecclesiæ Doctorem, qui Traditiones, sive doctrinas antiquissimas non scriptas, æquiparaverit, aut etiam antetulerit scripturis sacris, uti Jesuita Costerus fecerit in Enchiridio suo. II. Traditiones sacris scripturis non Costerus æquiparat, sed S. Paulus.

Respondet Apologista. Antiquissimus & optimus Ecclesiæ Doctor est, noster, id est, Gentium Doctor D. Paulus. hunc pro-

ducimus Vedrosio. hic ita sensit & scripsit 2. Thessal. 2. ℣. 15. *State, Fratres, & tenete TRADITIONES, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Si plures desideras, invenies eos suprà P. 1. Sect. 4. c. 3. a. 2. toto.

III. POSTULATUM III. Non absimile est priori. Unde nihil itero.

IV. POSTULATUM IV. Produci postulat Ecclesiam primigeniam, quæ sacrum peregerit, & orare docuerit linguâ populo incognitâ.

Etiam Veteres Patres non nisi tribus linguis sacris sunt usi in sacris.

Respondet Apologista. Primigeniæ Ecclesiæ aut Latini idiomatis, aut Græci, aut Hebraici peritæ erant. His autem tribus linguis peragebantur sacra omnia. Unde populo illi primævo lingua in sacris usurpata, non erat incognita. Vnde nec ullos libros Sanctorum illorum vetustissimorum Patrum, aut conciones habemus, nisi aut Græco idiomate, aut Latino. Certè Magnus Augustinus etsi ad Pœnos diceret, & apud eosdem sacra faceret, non Punicâ usus est linguâ, sed Latinâ. Unde cessat Vedrosij quæstio. quòd si alias præterea caussas requirat, cur nos Catholici non nisi aut Latinâ, aut Græcâ in sacris linguâ utamur, non autem Germanicâ, aut Gallicâ, rursus suamet probra audiet, quod non videtur desiderare.

V. POSTULATUM V. Produci postulat aliquam ex primævis Ecclesijs, quæ SS. Trinitatem picturâ, vel sculpturâ expresserit.

S. Daniel & S. Matth. SS. Trinitatis personas variè depinxerunt, & primi.

Respondet Apologista. Produco Pictores ejusmodi ex vetustissima non Christiana solùm, sed etiam Judaica Ecclesia, Pictores sanctissimos & peritissimos. Primus esto S. Daniel Propheta, qui DEUM Patrem scitissimè, grandævi Senis specie, nobis c. 7. ℣. 9. depinxit: *Sedit*, inquit, *antiquus dierum; vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda.* Idem Daniel Verbum DEI, sive secundam in Trinitate Personam, nondum Incarnatam, visam esse scribit, in medio fornacis Babylonicæ, specie humanâ, qui se quartum Tribus Pueris addidit, quem Nabuchodonosor ipse his verbis â se visum testatur: *Et species Quarti similis Filio DEI.* Intelligi autem hoc loco hanc secun-

secundam Deitatis personam, qui in forma hominis formosissimi apparere voluerit, auctores habeo S. August. in conc. ad Catechum. Tertullianum l. 4. contra marc. c. 10. Justinum, Hilarium, & alios. Alter excellentissimus & sanctissimus Pictor est S. Matthæus, qui in forma Columbæ candidissimæ nobis Spiritum Sanctum non tam descripsit, quàm depinxit. Matth. 3. ℣. 16. Quid ergo alienum à Scriptura perpetrant Catholici Pictores, qui Deum Patrem nobis sub specie Senis, Filium Dei autem in forma propria hominis; Sanctum verò Spiritum sub Imagine columbæ ob oculos ponunt? si faciunt, quod Scriptura ipsa facit? — *Hos sequuntur Pictores posteriores Catholici.*

Postulatum VI. Produci postulat Ecclesiam antiquam, quæ Beatissimam Virginem nuncuparit Dominam nostram, cui Deus semissem regni sui tribuerit. — VI.

Respondet Apologista. Mirùm! postulari hoc à Vedrosio. An tam hospes est in Sanctorum Patrum libris Vedrosius, ut nusquam legerit hunc Dominæ titulum Beatissimæ Virgini tribui, etiam ab antiquissimis Patribus, idque valde frequenter? Lege S. Chrysost. Liturgiam, in qua seqq. invenies. *Domina nostra sanctissima, incontaminata, super omnes benedicta &c.* Lege S. Ephræm Syrum de Laud. B. V. *Regina*, inquit, *& Domina cunctis sublimior.* ut alios sileam. Quod autem addidit quispiam hæc verba: *cui DEUS semissem regni sui tribuit*: an miraris, Vedrosi, & culpas? nimis dixit parum, quisquis ille est. Non semissem, sed totum ei regnum suum tribuit Deus. Nam & ego peccator, servulorum Mariæ Virg. postremissimus, non semissem, sed totum Regnum DEI, à misericordissimo DEO exspecto. In hoc autem dicto suo non alio videtur ille, quem culpare intendis, respexisse, quàm ad illa Regis Assueri verba ad Estherem Reginam: *Etiamsi dimidium regni mei petieris &c.* Esth. 5. in qua Esthere adumbratam esse B. V. Interpretes agnoscunt. — *B. V. Mariam Dominæ vocabulo etiam antiquissimi Patrum honorarunt. Id ignorare Vedrosium mirum est.*

Postulatum VII. Produci postulat illam Ecclesiam primævam, quæ Canonizatis Sanctis certa demandarit officia; — VII.

alteri curam hujus morbi, alius alteri, uti post Canonizationem suam faciat Romana. Lepidissimum, & prorsus famelicum postulatum. ad quod hoc solum. Nulla vel antiqua, vel nova Ecclesia aut demandavit unquam, aut demandare potuit ulli Sanctorum curam hujus illiúsve morbi &c. DEUS autem ipse, Ecclesiæ sponsus & supremus Rector, omnino certos quosdam Sanctos ita honoravit, ut huic concederet curationem prodigiosam hujus morbi, alteri alterius, quod nemo unquam pro absurdo habuit, nisi absurdus. Certè pro absurdo non habuit S. Augustinus epist. 137. ad Cler. & Pop. Hippon. ubi quærit, cur in alijs locis apud Sanctorum memorias miracula fiant, alibi non fiant? & respondet ex Apostolo: *Sicut*, inquit, *quod Apostolus dicit: Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem Spirituum 1. Cor. 2. v. 30. ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit Ille, qui dividit propria unicuique, prout vult.* hæc Sanctus. quibus verbis clarè utique indicat, ipsos quoque Sanctos Cœlites, alios quidem habere gratias, sibi proprias curationum; alios non habere. At hoc est, inquietis, Æsculapios, Martes, Palladas, Lucinas, Deósque atque Deas alias, aliásque constituere, & in Ecclesiam Christi inducere. O mei Reformati. Ita ante mille jam annos, irridendo Catholicos nos, calumniati sunt majores vestri; ut Faustus Manichæus apud S. August. l. 2. contra Faust. Vigilantius apud S. Hieron. in libro contra Vigil. Julianus Apostata apud S. Cyrillum l. 6. contra Julian. Maximus Madaurensis, Ethnicus, apud August. epist. 44. & alij partim Ethnici & Apostatæ, partim hæretici; quos his ipsis locis Sancti hi Patres insigniter refutarunt. Sentite vos, si placet, cum Apostatis Julianis, Madaurensibus Ethnicis &c. nos cum Augustinis, Cyrillis, Hieronymis pergemus sentire.

Certis Sanctis certa officia erga hominum genus non Ecclesia demandat, sed DEUS, Ex S. Augustino.

VIII. POSTULATUM VIII. Produci vult octavo loco Ecclesiam, quæ docuerit Papam posse subditos juramento solvere, & Regna auferre & conferre.

Papa Catholicos suos jura-

Respondet Apologista. Ad hoc non Ecclesiam aliquam producere

ducere necesse habemus. Christum ipsum producimus, Matth. 16. ita loquentem primo Sanctissimo Papæ Romano, S. Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælo.* Et hoc de juramentorum solutione. Regna autem auferre pro lubitu suo Romanum Pontificem, non objectio, sed calumnia est, dudum refutata â Card. Bellarm. l. 5. de Summo Pontif. c. 6. aliisque.

mento absolvit ex c. 16. Matt. Ex eod. cap. Indulgentias largitur.

POSTULATUM IX. Non aliud est, quàm crambe millies recocta, dum sibi monstrari postulat Ecclesiam, quæ Indulgentias, in Catholico sensu acceptas, usurpârit, aut docuerit. Vide totos libros super hoc Catholicorum, Card. Bellarm. libros duos peculiares Tomo 2. oper. &, si potes, refuta. Vide etiam Concilium Nicænum Canone XI.

IX.

POSTULATUM X. Produci sibi postulat Ecclesiam, quæ Agnis DEI, ut vocamus, sive ceris agni figurâ notatis, virtutem delendi peccata, ceu sanguini Christi, tribuerit, juxta illum versum Urbani V. Rom. Pont.

X.

Quid de cereis agnis DEI sentiendum.

Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.

Respondet Apologista. Si nosse cupis, quid Catholici sentiant, de his sacris sigillis cereis, adeas sequentes Theologos nostros, Card. Baron. Tom. 1. anno Christi 58. N. 76. Azorium Tom. 1. Instit. l. 9. c. 9. Thomam Sanchez l. 2. operis mor. c. 43. & potissimum Jacobum Gretserum in libro 2. de Benedictionibus & Maledictionibus, c. 34. 35. 36. Summarium hoc est. Cera hæc benedicta, inter alias virtutes, hanc habet, ut si talis *Agnus DEI*, ut vocamus, aut collo appendatur, aut parieti, commonefaciat eum, qui appendit, agni illius DEI, de quo S. Joannes Baptista, Joan. 1. ℣. 29. *Ecce agnus DEI ecce qui tollit peccatum mundi*; inque hujus Agni cœlestis consideratione pium animi motum excitet erga hunc ipsum purissimum Agnum DEI, Christum D. qui motus pius eam virtutem habet, ut aliquid quotidianorum peccatorum, quæ nos Catholici venialia cum SS. Patribus nominamus, deleat: Nam de mortalibus quæstio est longè alia. Et in hoc sensu locutus est Urbanus V. Pont.

Quomodo eorum usus venialia deleat.

Respondet Apologista. Producatur à Vedrosio Ecclesia ulla primigenia, quæ Sacramentum altaris cultu latreutico non adorârit. Credere enim unigenitum DEI Filium in Sacramento, (ubi est *verè DEVS absconditus & Salvator*, Isa. 45. ℣. 15.) sicut primæva credidit omnis Ecclesia, & adorationem ei latreuticam non exhibere, res foret & impietatis plena & stultitiæ. quod verò pro grandi absurdo videtur accipere Vedrosius, fuisse ex Catholicis, qui ita loqueretur: Creatura in consecratione SS. Eucharistiæ creat suum Creatorem, miror vehementer in eo homine, qui utique Rhetoricæ olim operam aliquam dedit, & quid sit dictio propria, quid impropria perdidicit. Hæc enim verba hîc non nisi in sensu capi improprio, ut mille alia, videt quilibet, qui voluntarius cœcus non est: neque sensus subest alius, nisi iste: Sacerdos Catholicus, qui est Creatura, creat, id est, vi verborum suorum dat novum aliquod esse hoc in loco Christo, qui est Creator ipsius, quod ante, hoc loco, secundùm humanitatem suam sacrosanctam non habebat. Quid in hoc sensu inest absurdi? aut forsitan blasphemiam eructavit ille Reformatus Doctor ac Professor, qui Doctoratum Theologicum conferens Vedrosio (si tamen talis est) his verbis per Academias consuetis est usus: Creo te Doctorem, id est, do tibi novum Esse morale Doctoris, quod ante non habebas. Studeat ergo meliùs Rhetoricæ Vedrosius, & talia non culpabit. figuratæ dictiones, & ornamenta sermonis hæc sunt, non errores.

[Margin: ...clesiæ veterum, SS. Eucharistiam cultu latreutico adorarunt, ne unicâ quidem exceptâ.]

[Margin: Vedrosius Rhetoricæ parum videri possit studuisse; ut qui inter propriam dictionem & impropriam discrimen videatur nescire.]

POSTULATUM XIII. Produci vult Ecclesiam aliquam primævam, quæ docuerit Sacramenta gratiam conferre ex opere operato. Item quæ docuerit Sacramentorum existentiam, sive valorem pendere ex Ministrorum, sive ea administrantium intentione; quod si verum esset, nemo certus esse posset, se esse Christianum, Sacerdotem, Episcopum &c. XIII.

[Margin: Sacramentorum confectionem pendere ab intentione Ministri omnes Catholici, & semper docuerunt.]

Respondet Apologista. Producatur Ecclesia aliqua ex primævis, quæ aliter docuerit, etsi his ipsis verbis usæ non fuerint Ecclesiæ illæ, quod nihil est necesse. Omnes retro Ecclesiæ virtutem

tutem hanc tribuerunt Sacramentis, uti fusè probat Card. Bell. Tom. 3. L. 2. c. 5. 6. 7. contrarium docere, hæresis est, novitas est, impietas est. quæ verò in contrarium afferuntur rationes à vobis, eas omnes, certè præcipuas collegit dictus Cardinalis, & præclarè dissolvit ejusd. l. 2. cap. 9. 10 11. quem vide. Respondet ad 2. Apologista. Producatur à Vedrosio Ecclesia vetus, quæ docuerit valorem Sacramentorum non pendere ab intentione Ministrorum. Nam Genevensis & Wittembergensis, similésque Ecclesiæ aliæ nobis pro nihilo sunt; quæ solæ hos novos errores proseminant. ad omnes autem illas inconvenientias, &, ut vobis solis videtur, absurda, quæ hinc sequi clamàtis, ut quòd nemo hac ratione sciret, essétne Christianus, Sacerdos, Episcopus &c. jam ante centum propè annos respondit sæpe, nunquam verò satis laudatus Cardinalis Tom. 3. l. 1. de Sacramentis, cap. 27. & 28. ubi & sputa in Catholicam hanc sententiam jacta detergit.

Objectionibus in contrariũ dudum respondit Bellarm.

XIV. POSTULATUM XIV. Produci sibi postulat Vedrosius Ecclesiam primævam, quæ Cœnam celebraverit pro porcis, segetibus, litibus, morbis, proelijs, contra inclementiam cœli &c.

Respondet Apologista. Ingenuè fateor, sed in probrum vestrum, nullam produci posse Ecclesiam, quæ Cœnam celebraverit contra inclementiam Cœli, pro litibus item finiendis, morbis avertendis, segetibus conservandis &c. Non Cœnam nos Catholici pro malis his avertendis, sed Sacrificium DEO offerimus propitiatorium, quod est Missa Catholica; quæ & Eucharisticum, simul & Pacificum, & Propitiatorium Sacrificium est, omnibus omnino malis à Populo DEI removendis longè efficacissimum. Dico apertiùs. Sanctissimum Altaris Sacramentum non ut Cœna, sed ut Sacrificium est, DEO Opt. Max. & pro bonis omnigenis impetrandis, & ad mala quælibet depellenda, quotidie effectu optatissimo Catholici nos offerimus. Ut autem Ecclesias veteres producamus, quæ ad hos quoque fines Sacrificium Missæ sacrosanctum DEO obtulerint, cur requirit

Non Cœna Dominica, sed Sacrificium Eucharisticũ

quirit â nobis Vedrosius? Producat ipse Ecclesiam ullam primævam, quæ ad fines prædictos SS. Sacrificium hoc non obtulerit. Hi enim fines omni Sacrificio proprij sunt, ut calamitates scilicet quælibet avertantur; bona è contrario omnia impetrentur. Quòd autem de porcis quærit, & in hoc ludit Vedrosius, repono ipsi *Apros* illos *singulares*, qui Ecclesiam DEI devastant (quos inter & Patres ipsius olim fuerunt) pro his fateor, plurima DEO Sacrificia Missæ â Catholicis nobis DEO offerri, ut ex Apris oves fiant. Utinam fructu optato, qui etiam te contingat, Vedrosi, ut devastare Ecclesiam DEI desinas!

pro malis quibusvis avertendis, bonis impetrandis DEO offertur.

POSTULATUM XV. Produci postulat Ecclesiam, quæ Romanum Episcopum ab errandi periculo in rebus fidei pronuntiarit immunem. Item quæ docuerit eundem Papam *de jure supra jus dispensare posse*. imò & contra ipsum Vetus testamentum, & ipsum Apostolum &c.

XV.

Respondet primò Apologista. Producimus non Ecclesiam aliquam, quæ Romanum Pontificem, ejúsque Ecclesiam ab errandi periculo in fide liberaverit, sed ipsummet Christum, Matth. 16. *Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus illam.* & Luc 22. ℣. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

Christus, non Ecclesia aliqua, D. Petri successores ab errandi periculo circa fidem pronuntiavit immunes.

Respondet secundò. Jus dispensandi certis in casibus contulit D. Petro, primo Pontifici Romano, & in eo successoribus ipsius ipsemet quoque CHRISTUS D. N. Joan. 21. cùm dixit: *Pasce oves meas, id est, guberna.* sexcenties â nobis audistis. *Cur iterum vultis audire?*

Idem eis jus contulit Dispensandi.

Respondet tertiò, & quærit vicissim ex vobis *Apologista*: Quis vobis Reformatis dedit potestatem *dispensandi* contra Vetus Testamentum, ut loco Sabbathi sanctificetis diem dominicam? quis itidem tribuit vobis potestatem alteram, ut contra novum Testamentum, & Apostolos, vescamini *suffocato & sanguine*, quod nostis ab Apostolis vetitum fuisse, Actor. 15. 20.

Quo ipsi etiam Reformati utuntur.

Respondet quartò Apologista ad id, quod sub finem hujus 15. postulati Vedrosius adducit, contra Card. Bellarm. quòd ausus sit scribere l. 4. de Pont. c. 5. *Si Papa erraret in præcipiendo vi-*

 tia,

tia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona, virtutes malas, nisi contra conscientiam vellet peccare. credit autem bonus iste vir, se ingens vulnus per hoc tanto huic viro infligere, cùm non sit nisi *parvuli sagitta* innoxia, ut loquitur Psal. 63. ℣. 8. Ubi quæritur ex Vedrosio, an noverit ex Logica sua, quid sit *Propositio hypothetica?* quid item sit *Hypothesis impossibilis?* an oblitus fortè fuerit illius tritissimi verbi apud Dialecticos: *Ex impossibili sequitur impossibile.* Item: *dato & concesso uno absurdo, sequitur aliud absurdum,* aut etiam mille alia absurda? Si novit ista, uti nihil dubito, nihil poterit in his Bellarminianis verbis, sine inscitiæ nota, damnare. Hypothesin ponit Cardinalis, eámque impossibilem: *Si,* inquit, *Papa erraret,* & ex cathedra vel virtutem aliquam doceret vitandam, vel peccatum perpetrandum, tunc &c. Atqui ista, quam ponit, hypothesis, secundùm omnes Catholicos, ipsámq; Scripturam Sacram, quam paulò antè attulimus, hypothesis est impossibilis, quòd scilicet erret sive in decretis fidei, sive in decretis bonorum morum successor S. Petri. quid ergo mirum, si ex tali hypothesi impossibili, sequatur aliud impossibile, scilicet, ut eo casu teneretur Ecclesia credere bonum malum, & malum bonum. Quanquam meâ hac defensione tantus Auctor, qualis est Bellarminus, neutiquam indiget, utpote qui ipsemet hæc sua verba â Vedrosio citata, & â nonnullis non satis intellecta, in alio suo opere clariùs explicavit, & quis eorum sensus esset, indicavit; nimirum in Recognitione operum suorum universali, quæ inserta est Tomo 2. operum ejus, anno 1615. Ingolstadij in Folio editorum, mihi pag. 565. ubi mentem suam his verbis, â Vedrosio citatis, comprehensam, qualis ea sit, clarè & candidissimè explicat. idque notatur in ipso margine capitis V. libri IV. de Summo Pontifice. quem marginem utique vidit Vedrosius, cùm ista ex Bellarmino exscripsit; vidisse se autem prudenter, callidè debuissem dicere, dissimulavit, quod talibus uti crebrum est, ita planè necessarium, ut deludant Lectores suos.

Bellarmin' defenditur â calliditate Vedrosiana.

Hypotheticè locutus est Bellarminus, & rectè.

Et seipsum alibi clarè explicavit, quod dissimulat se scire Vedrosius.

POSTU-

POSTULATUM XVI. Produci sibi Ecclesiam primogeniam postulat Vedrosius, pag. 32. quæ sanctam Domini Cœnam celebraverit sine Communicantibus. XVI.

Respondet Apologista. Producat D. Vedrosius Ecclesiam primogeniam, quæ Sacrificium Missæ (quod ipse non alio, quam Cœnæ Dominicæ nomine, juxta errorem suum, audet appellare) semper & perpetuò celebraverit cum communicantibus. ostendat & præceptum Apostolicum, quod jusserit Sacrificium hoc Christianorum nunquam aliter celebrari, nisi cum communicantibus. Denique nullum unquam Missæ Sacrificium, ab initio Ecclesiæ, sine communicantibus aut fuit celebratum, aut potuit celebrari. Semper enim sacrificans Sacerdos simul communicans fuit. Aliter vos, propter errorem vestrum, necessariò loqui debetis. Nam cùm præter Cœnam nihil in SS. Eucharistia agnoscatis, Cœna utique nulla erit, ubi convivæ nulli erunt. Non ita nos Catholici. Atque ita quærere hæc ex nobis desinat Vedrosius, quot in Sacrificio nostro Christiano convivas semper numeraverimus. Sacrificium convivas non requirit, sed adoratores.

Cœna Dominica nunquam apud Catholicos celebratur sine Communicantibus.

POSTULATUM XVII. Produci postulat Ecclesiam primævam Vedrosius pag. 32. quæ populum Christianum â participatione calicis excluserit, cúmque calicem toxicato poculo comparaverit, uti comparasse memorat, apud Gallicum oratorem, Cardinalem nostrum S. Angeli &c. XVII.

Cur Sanctæ Veterum Ecclesiæ Calicem non vetuerint Laicis:

Respondet Apologista primò In Catholica nostra Ecclesia Populus non excluditur â participatione Calicis Eucharistici. Nam & Sacerdotes nostri ad Populum pertinent, qui neutiquam excluduntur. Apud vos è contrario, cùm Sacerdos sit nullus, ecclesiasticus nullus, sed Laici omnes, aut omnibus concedendus est calix, aut omnibus negandus.

Respondet secundò. Nulla primigeniarum Ecclesiarum caussam habuit, Laicis Calicem negandi, imò è contrario caussam habuit, sumptionem Calicis, quæ antea libera erat omnibus, præcipiendi omnibus, sub Gelasio scil. I. Romano Pontifice, ut hac

imò cur aliquando imperaverint ad hæreticos detegendos.

ratione Manichæi hæretici, qui ob hæresin suam Calice abstinebant, â veris fidelibus Catholicis discernerentur (quæ millies jam vobis sunt ingesta) Ab annis autem ducentis, & quod excurrit, propter aliam hæresin exortam, scilicet Hussitarum, qui, falsò licet, asserebant, nefas esse aliter SS Eucharistiam, nisi sub utraque specie distribuere, caussam nacta est Catholica Ecclesia nostra, imò necessitas ei imposita, sub una solùm specie fidelibus divinissimum Sacramentum præbendi, ne hæresi & errori cedere Veritas videretur. quâ hæresi cessante (& erit tempus illud misericordiæ, quo cessatura est) liberum denuo fuerit Catholicæ nostræ, Calicis usum populo Christiano ad eum modum concedere, quo antiquitus concessus erat, scilicet ut liberum cuique sit, vel participare divinum Calicem, vel non participare. quæ omnia in Ecclesiæ arbitrio sita credimus, & totis libris, ita se rem habere hucusque probavimus. Ad Cardinalem S. Angeli, ejúsque dictum quod attinet, rectissimè, certo in sensu, Calicem poculo toxicato comparavit. Quidquid enim fomentum hæresis est, utique toxicum est. fuisset autem pro eo tempore Calicis concessio fomentum hæresis, quæ se victricem Catholicæ veritatis per hoc jactasset. in hoc itaque sensu rectissimè venenato poculo Calicem sic præbitum doctissimus Cardinalis comparavit.

Cur è contrario hodie Laicis non præbeatur.

XVIII. POSTULATUM XVIII. Postulat ad extremum Vedrosius produci sibi Ecclesiam aliquam primævam, quæ hæc, & similia verba ceu hæretica expungi jusserit: *Credis non propriis meritis, sed Passionis D. N. Jesu Christi virtute, ac merito, ad gloriam pervenire?* quemadmodum expungi jubentur in Indice expurgatorio Madritensi. ex libro, qui inscribitur: *ordo baptizandi, cum modo visitandi*, impresso Venetiis 1575. cum tamen hæc verba CHRISTI & Apostolorum doctrinæ consentanea sint, quibus fundamentum salutis continetur. Ita graphicè Vedrosius pag. 32.

Index expurgatorius Madritensis defenditur contra Vedrosium.

Respondet Apologista. Rectè factum, quòd hæc verba, non quidem manifestè hæretica, sed dubium tamen sensum continentia, sint expuncta. Si enim verba hæc in eum sensum trahantur, quasi solis Christi Domini meritis, exclusis nostris, ad gloriam perve-

perveniatur, sensus erroneus est, qui est vester. Si autem verbis istis sensus hic tribuatur, quòd salutem & gloriam consequamur multò principalissimè per merita & virtutem Passionis Christi, ita ut merita nostra, quæ simul à DEO exiguntur, omnem suam vim & virtutem ex merito passionis Christi hauriant, atque ita merita nostra sint mera dona Patientis Christi, juxta illud notissimum S. Augustini dictum: *Dona sua coronat DEVS, cùm merita nostra coronat*: Si iste, inquam, sensus prodeat, jam non hæreticus sensus, sed Catholicus est & orthodoxus, quem omnes primævæ Ecclesiæ, nullâ exceptâ, habuerunt, nósque ab illis, ceu opimam & sanctam hæreditatem accepimus. Habes, Vedrosi, ad XVIII. tua Postulata, totidem Catholica à nobis responsa. Nunc ad Sectionem Quintam veniamus.

SECTIO V.

Quæ Sectioni itidem Quintæ D. Vedrosij opponitur.

ARTICULUS UNICUS.

De Infallibilitate tum Ecclesiæ totius, tum Doctorum ejus in dogma aliquod fidei conspirantium.

IN hac Quinta Sectione, â pag. 116. usque ad 123. cum priùs ad D. Georgij Rationem 4.7.11.13. 15.16. 17.& 21. brevissimè & siccissimè D. Vedrosius vix primâ pagellâ respondisset, inde ad convitia statim pag. 117. convertitur, *& mendacij ac vanissimæ battologiæ*, sive garrulitatis optimum D. Georgium arguit; qui tamen in suis illis XXXII. Rationibus pleraq; non suis, sed tum SS. Patrum, tum vestris, scilicet Calvini, Bullingeri,

Ad 4. 5. & 6. Rationẽ D. Georgij per mera convitia respondet Vedrosius.

 lingeri,

lingeri, Danzij &c. verbis retulit. Si ergo mendacia retulit, utique ea Calvini, vel Bullingeri &c. fuerunt; in quo non repugnabimus D. Vedrosio. Nam quæ ex SS. Patribus adduxit, utique neque vos mendacij arguetis.

Exin post D. Georgium, eâd. pag. in ipsum S. Augustinum incurrit, ut scilicet auctoritatem ipsius, quâ se dolet premi, elevet: *Observavimus*, inquit, *Augustinum non ubique sui satis memorem, & in seipsum sexcenties incurrentem*, quæ immanis in sanctissimum hunc Doctorem calumnia est, quali hæretici soli utuntur erga Sanctos. Itáne *sexcenties* sibi contradicit Sanctus hic Doctor, & doctrinam suam variat? hoc enim dicere vult Vedrosius. Istud verò dictum tuum sexcenties est falsum. Tertius Andabatæ hujus incursus est in antiquos Monachos, quos & S. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum libros ita corrupisse, tragicè sanè dolet, *ut ex antiquitate nil integri, nil puri reliquum fecerint.* Mera rursus maledicta, & fellei vomitus, ad eum finem effusi, ut si auctoritate Sanctorum Patrum premantur Vedrosij similes, continuò occlamare queant: Corruptus est locus hic Augustini, Ambrosij, Hieronymi. Corruperunt Monachi &c. Ita cùm Catholicus magni nominis, olim Lindavij existens, ejus loci Præconi Lutherano, plura ex S. Augustino testimonia, quibus is Lutheranos jugulat, adnotasset, eique submisisset, flagitarétque super iis responsum, liberè fassus est, sibi necessariò esse credendum, hæc Augustini loca ab antiquis Monachis esse corrupta. Si aliter faceret, Lutheranismum sibi dudum deserendum fuisse. Idem Vedrosio sensus est, hinc & dicta similia. Neque tamen negamus quosdam olim libros Augustini nomine circumlatos, qui Augustini non essent, neq; tamen etiam à Monachis corrupti essent. Sed Catholicorum hodie, maximè autem Lovaniensium Doctorum, & Card. Bellarmini diligentiâ factum est, ut genuini partus ipsius, ab adulterinis secreti modò sint, ut hæc quoque querimonia omnis cesset. Ceterùm Antiquis illis doctis Monachis, non corruptoribus, sed conservatoribus & Scripturarum Sanctarum, & SS. Patrum,

III.

Antiquos Monachos incursat Vedrosius.

Quasi librorum corruptores:

Quorum illi unici conservatores fuerunt.

Patrum, multísque in locis restitutoribus, qualis inprimis Sanctus ille & Venerabilis Beda fuit, immensas gratias potiùs universa DEI Ecclesia debet, etsi ingrati hi non agnoscant. Denique Catholicos omnes cornu petit pag. 119. iísque ex Adriano VI. Pontifice, ex Francisco Sonnio, & Pelagio Alvaro, omnis generis immania scelera, & Italis maximè, Sodomiæ fœdissimum crimen objectat, ut inde conficiat, minimè sanctam fuisse priorum temporum Ecclesiam Romanam, atque ita neque ab erroribus immunem. Primùm malè & imperitissimè argumentaris. Nam scelera nullo unquam tempore etiam veræ Ecclesiæ defuerunt; quò tot Christi D. parabolæ tendunt, *de paleis & tritico*, *de Zizaniis*, *de bonis malisve piscibus &c.* Immania scelera tempore Mosis & Aaronis in Ecclesia Israëlitica, teste Scripturâ ipsâ, viguerunt. Lege Exodum & Numeros. An autem propterea vera esse Ecclesia desiit? Immaniora tempore Isaiæ successerunt. Lege cap. Isaiæ primum. Immanissima tempore Christi D. N. secuta sunt, supra omnes sive naturàles, sive præposteras libidines, Ducibus ipsis Sacerdotibus summis, & Legis Doctoribus. Lege Evangelium. An sic quoque unquam vera propterea Ecclesia desivit? An non Servator ipse probavit doctrinam, vitæ autem exempla damnavit? An non *servare & facere* præcepit quæ sceleratissimi illi Præsules dicerent; vetuit autem opera & exempla eorum sequi? Matth. 23. Quàm pueriliter ergo à morum malitia, ad Ecclesiæ veræ defectionem & errores in fide argumentatio instituitur? sed de hoc jam suprà. Mirabar autem vehementer vel hiscere ausum fuisse aliquid Vedrosium de fœdissimo Sodomiæ vitio, non perpendentem scilicet, quid imprudenti hac eius objectione excitati, justéque commoti Catholici reponere possent, si vellent; istud scilicet: Tu qui filius es Cynœdi, Calvini scilicet, audeas vel os contra scelus hoc aperire, ídque adversariis objectare? Cogita nigra lilia, tergori Patris tui Calvini inusta, & tace. Talia, inquam, possemus reponere, sed nisi irritati non facimus; coacti autem imprudentijs vestris

IV.

Catholicos Sodomiæ accusat &c.

Inde ad fidem Catholicorum imperitissime argumentatur.

Scelera fidem non evacuant:

quibus Reformati quoque non carent.

non

non tacemus, non vindicandi libidine, sed corrigendi, & cautiores vos reddendi voluntate. Fessus jam calumniando Vedrosius ad rem denique præsentem conatur dicere aliquid, scilicet quid de Infallibilitate veræ in terris Ecclesiæ Christi & Doctorum ejus, circa res fidei statuendum sit, sive, an errare in rebus fidei vera Ecclesia possit? In hac tam necessaria, tam utili, & solatij plenissima quæstione, si ritè ex S. Scriptura, & Veteri Ecclesiæ sensu decidatur, quando nos Catholici dicere jubemur sententiam, absque ulla distinctione prævia apertè & cordatè asserimus: Ecclesia vera errare non potest; nec erravit unquam in dogmatibus suis; nec errabit unquam. Qui secus aut docet, aut sentit, hæreticus est, & cum Christo D. tum Spiritui S. apertè & contradicit, & injuriam maximam facit; ac vel solo illo S. Scripturæ testimonio rem omnem conficimus: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, id est, Ecclesiam veram: prævalerent autem, ut quilibet non amens videt, si Ecclesia universa vel in dogmate unico errare posset.

Quid de Ecclesiæ infallib.litate sentiant sine ambage Catholici.

VI. Contrà Vedrosius, ut effugium sibi in omnem iterum partem paret, distinguit primùm & bipartitur Ecclesiam, ita ut alia sit Ecclesia Electorum, sed invisibilis, soli DEO nota: Altera verò, promiscuè omnium & electorum & non electorum, eáque visibilis, & hominibus quoque cognita. De invisibili illa Electorum pronuntiat pag. 120. illam quoque errare posse, & quidem in ipsis etiam fidei dogmatibus, sed in circumstantialibus tantùm, non item in fundamentalibus. sed quo hæc fundamento, obsecro, dicuntur? De altera autem visibili liberè enuntiat, eam omnimodè, & in fundamento salutis, & in circumstantialibus dogmatibus errare posse. Quid de hac distinctione judicas, bone Lector? primùm nova est prorsus, & Sanctis ac orthodoxis, totique Cœlo inaudita. *Vna est columba mea*, ait cœlestis Sponsus, Cant. 6. id est, Ecclesia, quæ hîc Columbæ nomine venit. Vna est itaque Ecclesia, illáque visibilis, quia *mons est in vertice montium*, Isa. 2. *Electa ut Sol*, Cant. 6. quo visibilius nihil, nihil illustrius; *& Civitas supra montem posita*, Matt. 5.

Vedrosius contra per ambages incedit.

Matth. 5. quam qui non videt, cœcus est. Hæc unica Ecclesia tam errare non potest, aut circa fidem, sive in fundamento, sive in adnexis dogmatibus deficere, quàm sol hic deficere, aut lucem suam amittere non potest. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22. Christi, Sponsi Ecclesiæ, vox & pollicitatio est, non Petro tantùm, sed & successoribus Petri legitimis facta, uti SS. Patres disertè asserunt, & nominatim S. Leo Magnus serm. 2. in Natali SS. Apostolorum. fallunt, & falluntur inimici Sponsi hujus; decipiuntur, quotquot duas statuunt Ecclesias Christi, quarum altera Electorum sit, altera etiam non electorum; visibilis una, altera invisibilis, quarum utraque errare possit. Latebræ hæ sunt fallentium, & vulpium foveæ, in quas exagitatæ se recondant. Ergo fallibilis & erroribus etiam circa fidem obnoxia secundùm te, est Ecclesia illa, in qua degis, Vedrosi, ex qua in nos pugnas? si fallibilis est, quid si jam fefellerit Reformata Ecclesia vestra? & fefellit utique. si errare potest circa fidem quoque, quid si jam erraverit? quis Ecclesiæ tali animam suam, quis salutem credat? damno vestro hæc docetis, & contemptissimam hoc pacto Ecclesiam, vel cœtum certè vestrum redditis. Si enim fallibilis est universa Ecclesia vestra, etiam invisibilis illa Electorum, quantò magis Calvinus vester, & Pater hujus Zvvinglius, & discipulus Beza, & Bullingerus &c? Ergo nec Ecclesiæ vestræ, nec Ministris illius fides ulla adhiberi potest. Non ita de nostra Catholica nos, non ita. Negamus fallere posse, aut falli Ecclesiam; & probamus. negamus errasse unquam, nec potuisse; & probamus. Aliter nemo nostrum salutem ipsi suam, nisi demens, concrederet. De Doctoribus autem nostris, si singuli seorsim sumantur, Apostolis exceptis, non diffitemur, eos errori obnoxios esse, unde nec ullo eorum sigillatim in rebus fidei nitimur; (quod solum Vedrosius pluribus adductis ex antiquitate testimonijs, contra non negantes probat) Si verò capiantur universi simul Doctores Catholici, adeóque totus Patrum antiquorum Senatus, etsi fortè dissentiat unus vel alter, hunc, quem, dixi,

Bipartitur Ecclesiam, quæ non nisi una est.

Et fallibilem facit. Et est talis Ecclesia Reformata.

VII.

Longè sublimiùs de Ecclesia sua Catholici sentiunt.

dixi, Senatum sacrum asserimus quoque infallibilem esse in ijs, in quibus consentiunt dogmatibus, si præsertim etiam *Patrem Patrum*, ut vetustas illum appellavit, Pontificem Romanum, D. Petri successorem ijs adjungamus. Si enim hi omnes ad scopum unum collimantes aberrare in rebus fidei possent, tota utique Ecclesia, quam hi repræsentant, & errare posset, & erraret. Breviter. Ecclesia quæ vel semel erravit in fide, nunquam vera Ecclesia fuit. Si ergo secundùm vos, Reformati, prima illa quoque Ecclesia in fide erravit, nunquam fuit vera Ecclesia, & sic nulla ab ipsis Apostolorum temporibus, vera in orbe Ecclesia fuit. Ecce quò evadant erroneæ doctrinæ vestræ, ut omnem è terris Ecclesiam denique elimineat! Quòd autem ad finem hujus Sectionis quintæ, D. Vedrosius infallibilem credendorum normam ponat Scripturam sacram, libentissimè Vedrosio concedimus; dum nobis vicissim ipse concedat, hanc ipsam scripturam sacram, Infallibilem, & nunquam in fide defecturam facere Ecclesiam, uti jam suprà ex scriptura ipsa satis demonstratum fuit. Sed & ipsa recta ratio aliud sentire de Ecclesia neutiquam patitur. Soli illi sentiunt aliud, qui hac destituti sunt. Sed ne mea solùm verba tibi adnumerem, bone Lector, addere placuit, rei huic ampliùs confirmandæ, auream antiqui & sapientissimi Patris, quem & Vedrosius non semel citavit, sententiam, quâ is docet, quid de consentiente circa fidei dogmata Patrum doctrina statuendum sit, & quanta eis fides tribuenda. Est is Vincentius Lirinensis, maximæ apud omnes, etiam heterodoxos, auctoritatis scriptor, qui vixit & floruit sub annum 430. adeóque primæ Ecclesiæ & classis auctor. Is in Commonitorio contra Hæreses c. 30. ita scribit.

Eam scilicet & unicam esse, & errare non posse: Sed nec unquam errasse.

VIII. Aurea sententia S. Vincentij Lirinensis

EORUM *duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & Communione Catholica, sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures, uno eodémque sensu, manifestè, frequenter*

ter

ter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum Consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro Indubitato, NB. certo, ratóque habeatur. Quidquid verò quamvis ille Sanctus & doctus; quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, â communis, publicæ, & Generalis sententiæ auctoritate secretum sit; ne cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam Hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis Veritate dimissâ, unius Hominis Novitium sectentur errorem. Hæc S. Vincentius Lirin. Ecce quid de doctrina & auctoritate SS. Patrum nostra omnis Catholica sentiat Ecclesia. Nam huic S. Vincentij sapientissimæ doctrinæ Catholici universi subscribimus.

de infallibilitate consentientis doctrinæ SS. Patrum in Catholica Ecclesia.



Væ vobis Legisperitis; quia tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.

Luc. XI. v. 52.

Profectò testificamini, quòd consentitis operibus PATRVM vestrorum.

Ibid. v. 48.

PARS II.

Complectens secundam præcipuam D. Joannis Georgij Rationem Conversionis suæ,

QUÆ EST

Reformatæ Ecclesiæ in plerisque omnibus
Doctrinis, & omnibus omnino institutis piis, à Veteri illa & Sancta Romana Ecclesia, quam D. Jo. Georgius notavit,


DIFFORMITAS:

Et è contrario miseranda ac deformis cum antiquorum Hæreticorum tum doctrinis, tum Institutis

CONFORMITAS.

PROLOQUIUM.

Transitio à prima Parte ad secundam.

*Rima Pars, benevole Lector, ob oculos Tibi posuit, quàm veteris illius Sancta, & prima Ecclesia doctrinis & Institutis penitus conformis sit hodierna Catholica Ecclesia; in quam propterea D. Georgius noster sapientissimè se recepit: quàm contra iisdem antiquissimis tum doctrinis, tum institutis penitus difformis sit Reformata Ecclesia, utpote quæ sanctæ illius primæ Ecclesiæ nec unicum quidem Institutum retinuerit, commutaverit è contrario, & inverterit omnia.*

Propositio Partis hujus secundæ.

Aliud nunc, nec minoris præjudicij contra Reformatam Ecclesiam exhibebit hæc secunda Pars, nimirum, quàm conformis, quàm gemina, & quàm simillima sit in doctrinis & vitæ institutis eadem Reformata Ecclesia antiquorum Hæreticorum, ac hæresiarcharum & doctrinis & institutis; imò quàm illos ipsos in nonnullis superet; quæ altera præcipua, & utique ponderosissima caussa fuit Conversionis D. Georgio nostro. Itero autem, quod dicebam suprà: Amara est herba Veritas, sed admittentibus æternùm salutaris. Et utinam hanc salutem, quæ apud malè seducta tot millia animarum tantopere periclitatur, non profuso atramento meo solùm, sed & sanguine procurare liceat effuso! Itaque non insultandi animo, sed errantes animas reducendi, sequentia scripta sunto.

Protestatio auctoris.

SECTIO VI.

Opposita Sectioni item Sextæ D. Vedrosij.

De malè sonante Harmonia doctrinæ, quam tradit Reformata Ecclesia, cum doctrinis Veterum Hæreticorum, & Hæresiarcharum.

SUMMARIUM.

I. Hanc Harmoniam, aut potiùs Cacophoniam probat D. Georgius Triginta Exemplis, & poterat multò pluribus.

II. Hæc Vedrosius totis viribus demoliri conatur.

III. Allata à Vedrosio Apologista confutat, Georgiana confirmat.

Ut hæc omnia clariùs percipiantur, paululum deflectere placuit ab ordine, quem D. Georgius tenet, aliumque, qui commodior esse mihi visus, adhibere: ut à cœlestibus ad hæc terrestria nostra descendamus, à Christo D. ad Sponsas ejus, Triumphantem & Militantem Ecclesiam; ab hac ad Caput & membra ipsius &c. Itaque sit.

ARTICULUS I.

Erroneæ Calvini doctrinæ

De DEO Optimo Maximo,

Partim ab ipso primitus ortæ, partim ab antiquis hæreticis hæreditate acceptæ.

I. CAlvinus, Reformatæ Ecclesiæ Dux & antesignanus l. 2, Instit. c. 4. non semel asserit: *DEUM non tantùm permittere, sed velle peccatum, movere, impellere homines ut peccent.* quin gloriabundus ita loquitur l. 1. Instit. c. 18. n. 3. *Iam satis apertè ostendi*, inquit, *DEUM vocari omnium eorum* (peccatorum nempe) *authorem, quæ isti Censores* (S. Thomam & alios Catholicos Doctores intelligit) *dicunt, otioso tantùm ejus permissu contingere.* sed omnium horrendissimum est, quod habet n. 2. ejusd. cap. dum scribit: *Dicitur etiam Satan excæcare infidelium mentes. sed unde hoc, nisi quod à DEO ipso manat?* Ita Calvinus. quibus tam blasphemis vocibus meritò commotus insignis Catholicus Theologus: *Calvinus*, inquit, *easdem planè notas adscribit DEO, quæ ad amußim in Diabolum quadrant. Nam excæcare, & indurare mentes hominum, & positivè quidem, ut Calvinus vult, non permißivè tantùm, decipere mendaciis, movere, impellere ut peccent, Diaboli opus est. hæc autem omnia, ut ostensum, DEO attribuit Calvinus. ex DEO itaque Diabolum facit.* Ita Theologus ille, severè quidem, sed verè. Exspectas nunc fortè, Lector, ut hîc quoque indicem, quod in sequentibus præstabo, quis Veterum hæresiarcharum ita docuerit? Sed frustra requiris. Primas hîc Calvinus tenet. tam impius in DEUM Veterum Erronum nullus fuit.

DEUS Calvino non otiosus permissor, sed certus auctor est peccatorum.

Sic ex Deo Diabolum facit.

In quo nullum habet antecessorem hæreticum, sed ipsemet est antecessor.

II. Secunda Calvini & Reformatorum ejus erronea de DEO doctrina est, DEUM impossibilia præcepta mundo dare, eorum nihilominus violatores æternis pœnis plectere. Hujus quoque perniciosissimi erroris ante Lutherum & Calvinum, non invenies facilè Sectatores aut Seminatores alios, quàm anonymos illos, contra quos S. Augustinus non rarò disputat, eosque veluti talia docentes confutat in libro de Natura & Grat. c. 43. & clariùs in Serm. 191. de Temp. ubi sic loquitur etiam à D. Georgio pag. 162. citatus: *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impoßibile aliquid à DEO homini esse præceptum, & mandata DEI non à singulis, sed in communi posse servari.* Ita Sanctus. Unde constat jam temporibus Augustini ejusmodi Blasphemos esse repertos. Quæ autem contra hæc affert D. Vedrosius

Calvino & aliis Reformatis Deus impossibilia mandat.

drosius pag. 145. præsertim ex S Scriptura, aranearum telæ sunt. Scripturam profer, Vedrosi, quæ Legem DEI homini dicat impossibilem esse. nam illa scriptura, quæ ait: *Caro concupiscit adversus spiritum &c.* ad Gal. 5. & similes, carnem ajunt repugnare observationi mandatorum, ut protervum servum; non autem ab ea penitus abducere, si contumacem servum ad obedientiam noris adigere, uti Paulus novit, cujus illud est: *continuo non acquievi Carni & Sanguini.* ad Gal. 1. & alibi. *Castigo corpus meum* (carnem meam) *& in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. Dæmonem, prior sententia Calvini, ex DEO fecit; hæc autem ex mitissimo Domino ac Patre facit Tyrannum. O pietas Calvinistica! Vide supra Sect. 5 cap. 4. art. 3.

In hoc Tyrannus, si verum foret.

III. Tertia Calvini doctrina de DEI prædestinatione idem facit, hoc est, DEUM Tyrannum. Docet enim Calvinus l. 3. Instit. c. 23. n. 2. ante omnia hominum prævisa flagitia, majorem eorum partem sempiternis adjudicatam esse supplicijs; quod utique Tyrannicum, aut potiùs Tyrannicissimum foret. Verba ejus sunt: *Nudo DEI arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem homines destinantur.* Similia habet c. 21. Ita jam docuisse impios quosdam tempore S. Augustini, illud argumento est, quòd dictus Sanctus in hanc doctrinam vehementer invectus sit, in responsione ad articulos sibi falsò impositos, art. 3. ubi illum *Impium & indoctum* appellat, qui docere hoc audeat. totum locum S. August. Vide apud D. Georg pag. 161.

Juxta Calvinũ Deus maximam partem hominum ad interitum prædestinat.

Quæ autem D. Vedrosius opponit, ut Calvini impietatem excuset, nulla sunt. Negat primùm ita docuisse Calvinum, scilicet ex solo DEI beneplacito, sine ullo ad peccata respectu damnari, quotquot damnantur, & petit proferri locum ejusmodi ex Calvino. Protuli, & clarissima sunt verba, quæ ex c. 23. citavi paulò antè: *Nudo DEI arbitrio &c.* Dicat ergo potiùs Vedrosius, Calvinum ita docere non debuisse, non neget docuisse. Citat deinde Synodum Dordracenam quæ aliter docuerit, & doctrinam hanc execretur. Laudo factum. Repudiat etiam ipse Vedrosius, & pag. 124. Catholicam senten-

In hoc Tyrannorum maximus, si verum esset.

Id Vedrosius ipse execratur, & rectè.

sententiam utcumque amplectitur. Istud quoque laudo, voveóque, ut in pluribus, imò omnibus â Calvino suo pari modo discedat. Locus quoque, quem ex epistola S. Pauli ad Rom 9. ℣. 23. adducit, nihil patrocinatur. Nam nihil ibi simile docet ritè intellectus Paulus. Ait enim: *Quod si DEUS volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta,* sive aptata *in interitum* (non *compacta*, ut Vedrosius vertit. In Græco enim est, κατηρτισμένα, quod significat, aptata, vel apparata, unde non erat, cur vulgatam corrigeret Vedrosius) *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* in quem locum rectè Cornelius à Lapide ait, reprobos seipsos aptare vasa iræ, non autem aptari ad hoc â DEO. quare etiam non dicit Apostolus: Fecit eos vasa iræ, sed sustinuit vasa ista iræ, diu parcendo ipsis, dum mensuram suam implerent. Si aliud voluisset Paulus, sicut dixit de vasis misericordiæ, quòd DEUS ipsa præparavit in gloriam, ita de vasis quoque iræ dicturus fuerat: quæ præparavit, vel aptavit in interitum. Quòd autem ipsum quoque Augustinum & S. Thomam trahere conatur in partes Calvini, injuriam ijs multò maximam infert. Nam quid Augustinus de hoc senserit, diximus. Quid S. Thomas, videri potest ipse in summa sua P. 1. q. 23. maximè art. 3. & 5. Quæ Didacus Alvarez, & Dominicus Bannes contra alios Theologos hac in re docent, ipsis defendenda relinquo. quæ ex Rispolio, Theologo Catholico adduxit Vedrosius, sana sunt, sed, ut videtur, vel non intellecta Vedrosio, vel gratis allata. solùm enim ait, *Permissionem peccati, in quo moritur Reprobus, effectum esse reprobationis*; quod verissimum est; sed nihil Calvinisticum sapit. Videatur, si placet, Gregorius de Val. Disp. 1. q. 23. parte 2. quæstionis. punct. 2. qui consentit Rispolio, & ait: *Duo sunt tantùm Reprobationis effectus, nimirum permissio illa peccatorum reprobi, & æterna ejusdem punitio.* Manet ergo indefensus Calvinus cum impii & indocti nota à S. Augustino ei inusta.

Defendere tamen conatur Calvinũ suum, sed frustra.

III.

S. Augustinum & S. Thomam trahere nititur in societatem Calvini.

Item Rispolium Catholicum Theologũ: sed frustra est in utroque.

ARTICVLVS II.

Erroneæ & blasphemæ Calvini doctrinæ
De Christo Servatore,
Cum veteribus hæreticis Ipsi communes, & eædem.

HArum non omnes, cùm plurimæ sint, sed præcipuas solùm, & maximè detestandas in medium afferamus. Itaque esto prima.

I. Christum pœnas damnatorum pertulisse ad tempus, & hoc esse Christum descendisse ad inferos.

II. Christum esse minorem Patre, non tantùm secundùm humanam naturam, sed etiam secundùm divinam.

III. Christum ignorantiâ quoque laborasse, nec omnia satis prudenter egisse, aut dixisse.

IV. Christum neque in pronuntiatione nominis JESV, neque in signo Crucis, aut alia sacra imagine, vel etiam in Cruce fronti in honorem ejus impressa esse venerandum.

I. P*Rimum* docet expressè Calvinus, l. 2. Instit. c. 6. *Diros*, inquit, *in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit &c.* in qua blasphemia ipse est primus. Nec enim antiquiorem hujus blasphemiæ complicem hæresiarcham licet assignare.

Calvinus cum Arrianis sentit in *In secunda* verò blasphema doctrina, quod Christus D. etiam secundùm divinam naturam Patre æterno fuerit minor, Antecessores habuit, Arrianos; qui Christum per omnia asserebant

Patre

Patre esse minorem. Calvini ipsissima verba sunt hæc in Admonitione ad Polonos: *Quanquam*, inquit, *ab antiquis sententia Christi: Pater major me est: restricta fuerit ad humanam eius naturam; ego tamen non dubito ad totum complexum extendere*: vult dicere: ad humanam simul & divinam naturam. Hoc est enim totum complexum. Quæ ipsissima Arrianorum hæresis est.

articulo de Divinitate Christi.

II. Calvino Christus D. est ignorans, & imprudens.

Tertium dogma Calvini, quod est de ignorantia Christi, antiqua hæresis est Agnoitarum, quasi dicas *Ignorantium*, de quibus S. Isidorus l. 8. Originum, c. 5. *Agnoitæ*, inquit, *& Tritheitæ à Theodosianis* (hæreticis) *exorti sunt, ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti, quia perversitati, à qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignorat futura.* Idem docuit Calvin. in c. 24. Matth. ubi dicere audet: *Ignorantiam ne ipsum quidem Filium DEI nostri caussâ subire abnuisse.* Texit quoque catalogum ignorantiarum, & exin etiam imprudentium dictorum Christi. Horreo hæc scribens. Agens enim de responsione Christi ad Nathanaëlem, Joan. c. 1. scribere audet: *Hæc responsio parum videtur apposita.* II. Sermo Christi ad Nicodemum Joan. 3. est Calvino, *longè petitus & intempestivus*: sunt verba Calvini. III. Explicans illud dictum Christi ad Petrum, Luc 22. v. 32. *Simon, Simon. ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem &c.* dicere ausus est: *Ista similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat.* IV. Non dissimilia habet explicans illa verba Domini Marc. 9. v. 48. *Omnis victima sale salietur. Bonum est sal, &c.* audet enim, & scribit: *Dura est, & longè petita, imò paulò durior metaphora, dum salem nominat, quidquid salsum est.* Quin imò verba illa sanctissima Salvatoris Matth. 26. *Pater, si possibile est, &c.* vocat *vacillationem, & votum Christo subitò elapsum, quod exin castigaverit, & revocaverit.* Ubi quærit rectè P. Gretserus doctissimus ille Jesuita, Tom. 2. Defensionis Bellarmini, pag. 242. *Quid est votum subitò elapsum, nisi inconsideratum, & quod temere absque præmeditatione excidit?* Atque ita Calvinus Christum ipsum Dominum non ignorantiæ solùm cum Agnoitis, veteribus hæreticis, sed supra illos, etiam imprudentiæ,

Quæ est hæresis Agnoitarum; quos etiam superare nititur Calvinus.

III. Blasphemiæ plures Calvini in Christum.

dentiæ, sua dicta minimè perpendentis, & inconsiderationis, ac temeritatis accusat; in quo omnes & Agnoitas, & Arrianos veteres superat, in quorum scriptis nihil hujusmodi legimus. V. Bellarm. loc. cit. Vide etiam Forerum in Symbolo suo Calviniano pag. 12. hæc omnia fusiùs exequentes.

IV. Quartus, & is multiplex error Calvini, Christo injurius, circa abrogationem omnis externi honoris Christo Domino exhibendi, notus est ex iis, quæ dicta sunt suprà de Imaginibus Crucifixi, de Cruce fronti impressa &c. Hi autem errores fuerunt veterum tum hæreticorum, tum Atheistarum; quos inter Julianus apostata simul & Atheista dicere est solitus: *O miseri homines! Crucis signum adoratis, Imagines illius in fronte, & ante domos pingitis.* An non hæc ipsissima verba, à Juliano mutuata, Reformatorum verba sunt? Neque satisfacit ullo modo Vedrosius, dum objicienti hæc D. Georgio respondet pag. 151. *Signum Crucis ludibrio non habemus, sed superstitionem & idololatriam circa illud detestamur.* Primùm enim notoriè falsum est, vos Crucis signum ludibrio non habere. Quot enim Crucifixi Imagines in Galliis & Belgio, confregistis, combussistis, & conculcastis? Legatur de hoc Florimundus Remondus & alij. Deinde aliud hîc in quæstione versatur, non an ludibrio habeatis, sed cur nec in fronte illud, nec in domibus pingatis, quod tamen tempore Juliani Apostatæ Sanctis illis primis Christianis tam solemne erat, ut ex ipso Juliani scommate apparet? Sed nimirum idololatriam per hoc cavetis. An formando in fronte crucem, Veteres illi, vobis multò & meliores & sapientiores fideles, idololatriam & superstitionem commisêre, Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, Laurentij (qui etiam miracula, sacro Crucis formatæ usu, patrarunt) aliique sine numero? Quomodo Crucifixos nostros adoremus, vel non adoremus, suprà ex me audisti. Christum Crucifixum adoramus, quia DEUM & Dominum nostrum: & quæ de Cruce aut canimus in hymnis nostris, aut Missis &c. ad Crucifixum; referimus, cui omnis adoratio debetur. Crucem contrà omnimodis vos fugitis & ever-

Cum Juliano Apostata vetat Crucem formari aut pingi Calvinus.

Quid contrà, sed non verè opponat Vedrosius.

& evertitis. Julianos nimirum mavultis, quàm Constantinos Magnos imitari; ne Juliani quoque mercedem olim in vita altera habeatis, cavete. Ejusdem vobiscum mentis etiam Arriani hæretici fuerunt, ut Act. 2. in Synodo Nicena II. legere est; qui & ipsi Imagines Christi colendas negarunt. Quis neget iterum, Reformatorum fidem antiquissimam esse? Post tot in ipsum Filium DEI Christum JESUM, Salvatorem suum jactas blasphemias, an non meritus est Calvinus, ut inter atroces blasphemias miseram animam exhalaret?

ARTICULUS III.

Reformatorum hæreses ex antiquitate haustæ circa DEIparam Virginem & Sanctos &c.

I. JOvinianus temporibus S. Hieronymi vivens, hæresiarcha notus docuit, B. Virginem MARIAM in partu virginem non permansisse, contra expressam Symboli Apostolici doctrinam: *Natus ex* MARIA VIRGINE. Sed quid hæretici Symbola curant, nisi hypocriticis verbis & protestationibus? idem docuerunt Reformati, ut Beza t. 1. opuscul. in respons. ad Brenzii argumenta, & tom. 2. resp. 3. ad Selnecceri Lutherani 5. calumniam, & alibi. De Joviniano affirmant, quæ diximus, S. Augustinus hæresi 82. & S. Ambros. Epist. 81. Bezæ sententiam publicè quoque defenderunt Reformati illi Ministri, qui anno 1566. Parisiis in disputatione publica cum Catholicis congressi sunt; cùm omnes Catholici veteres Doctores constantissimè contrarium sint professi, ut S. August. Epist. 3. ad Volusianum: *Ipsa virtus DEI*, inquit, *per inviolata Matris virgineæ viscera, membra Infantis eduxit, quæ* (scilicet virtus DEI) *postea per clausa ostia membra Juvenis* (Christi) *introduxit.* Valde etiam memorabile est, & Reformatis utraque aure auscultandum, quod addit Augustinus. *Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* I.

Beza & alii Reformati Ioviniani-zant, dum negant Deiparam in partu virginem permansisse.

Quod tamen Mahometani ipsi non negant in cap. 19. sui Alcorani.

II. Iudaizant in tollendo Imaginum usu :

Deinde omnem cultum sive in Imaginibus, sive in reliquiis, sive in invocatione, abrogarunt veteres hæresiarchæ Sanctis DEI: ut Arriani, de quibus suprà, Vigilantius Gallus hæresiarcha, Samaritani hæretici, sub annum 520. teste Simone Eremiticam vitam colente, *in Epist. ad Justinum Imperatorem.* Denique perfidi Judæi, totius iconoclastiæ, & abrogationis Imaginum apud Græcos quosdam Imperatores, maximè Leonem Isauricum, detestandi auctores, uti Zonaras, Cedrenus, & Nicetas in Leone isto testantur. Errorem autem hunc & dictis, & scriptis continuò persecuti sunt Sancti primi Doctores Ecclesiæ. Et quidem S. Hieronymus ita depectit Vigilantium, Sanctorum invocationem, Reliquias, & Imagines omnes reiicientem: *O infelicem hominem* (inquit in Epist. ad Riparium) *qui hæc dicens non se intelligat, esse Samaritanum & Judæum!* Hæc Sanctus. Nec extricat se conviciis suis Vedrosius, qui pag. 152 planè quasi de potestate mentis exiisset, ita in optimum D. Georgium invehitur: *Non tantopere,* inquit, *pusiones popas suas, quantopere delirus senex, bis, térve puer deperiit Imagines.* Ita moderatissimus Vedrosius Atqui, ô bone vir, non cum D. Georgio Rhæto, sed cum Divo Hieronymo Dalmata res tibi est, qui dum Vigilantium hæreticum impugnat, qui non tantùm Martyrum Reliquias & Invocationem, sed ipsas etiam Imagines, teste Alstedio vestro, c. 30. Chron damnaverat, vos omnes impugnat, qui eadem omnia damnatis, scil. & Reliquiarum & Imaginum venerationem, & Sanctorum invocationem. An & D. Hieronymus *delirus* tibi *senex* est, & *bis térve puer, qui hæc sacra,* ut pueri *popas suas deperierit?* (pupas debuisses dicere cum Varrone, non popas) Crucis enim sacrosanctam Imaginem & adoravit ipse S. Hieronymus, & adorantes alios laudavit, ut ex Epitaphio Paulæ colliges. Si delirus autem neque S. Hieronymus est, qui S Paulam ante Crucem prostratam, eámq; adorantem laudavit; neque S. Athanasius, vel quisquis est antiquorum; qui profitetur, se suósq;, Imagines Christi & Sanctorum, non tamen tanquam Deos adorare, cap. 38. *Interrogationum & respons. ad Antio-*

idque juxta effatum S. Hieronymi.

III. Conviciis extricare se conatur Vedrosius: sed in cassum.

An & Hieronymus delirus est senex?

Et S. Basilius, aliique?

Antiochum; si etiam Magnus ille Basilius nihil utiq; deliravit, cùm scripsit: *Imagines Historicas Sanctorum honoro, & palam adoro.* Uti legere est in Synodo Nicæna II. actione 4. ut de pluribus aliis taceam, probabilius est delirasse Vedrosium potiùs, cùm hæc scripsit; qui malè se tuetur illo Deut. 5. *Non facies tibi sculptile eorum, quæ sunt in cælis supra* &c. Ad hanc enim sententiam millies nos Catholici respondimus; millies explicavimus; millies & sæpius ostendimus nihil contra hanc scripturam delinqui, modò Imagines eiusmodi sive sculptæ, sive pictæ, divino quodam cultu, ceu Dij, stolidè non adorentur. Aliter, Moses ipse idololatra fuisset; qui Cherubinos è metallo fusos, arcæ adstituit; alios autem intexuit cortinis tabernaculi fœderis. Idololatræ quoque forent Reformati Ministri, qui se æri insculpi, aut penicillo expingi sustinent. Nimirum si Calvinus, vel Vedrosius sculpatur, pietas est; impietas contra idololatrica, si Christus. Si ad Calvini nomen caput aperiatur, bonum factum erit; si ad nomen JESU, vel aperiatur idem caput, aut genu etiam flectatur, sceleratum. Nam & hunc honorem & vetat, & irridet Calvinus scribens in 2. cap. ad Philipp. & ridiculos vocat Sorbonicos Sophistas, qui ob illam D. Pauli sententiam: *In nomine JESU omne genu flectatur:* flectendum esse genu colligant, quando JESU nomen pronuntiatur. Ad ista ergo & protritissima & refutatissima, quæ Vedrosius contra cultum Imaginum & Reliquiarum affert, responso ulteriori nullo est opus. Tota sancta antiquitas pro nobis est; tota non sancta antiquitas Manichæorum, Samaritanorum, & perfidorum Judæorum pro vobis. Invertitis nimirum ex toto illud Spiritûs sancti oraculum, Ps. 138. *Nimis honorati sunt amici tui DEUS.* De Reformatis autem dicendum est: Nimis despecti sunt amici tui DEUS. Nam prius illud de solis Catholicis verissimum est; qui post omnem hanc suam venerationem se intepescere adhuc, & languere circa Sanctorum, & maximè Deiparæ, ter admirabilis Matris cultum, & fatentur & dolent. Imò unum ex certioribus prædestinationis beatæ indiciis cum S. Anselmo

IV.

Frustra adducit contra nos c. 5. v. 8. Deuteronomij.

Si ritè argumentatur Vedrosius, omnes Ministri Reformati Idololatræ sunt.

Amor peculiaris & cultus B. V. MARIÆ prædestinationis indicium est.

selmo cap. 4. *de Excellentia Virginis*, nos Catholici dicimus esse, constantem Virginis hujus & assiduam venerationem ac amorem; reprobationis contrà sempiternæ non leve argumentum, tantæ Matris cultum nec curare, & insuper impugnare. Vide quæ diximus supra c. 6, a. 1.

ARTICULUS IV.

Reformatorum Errores Novo-antiqui de animabus in Purgatorio.

I. I. ORationes pro fidelibus defunctis fundendas non esse, docuerunt veteres hæretici. Primò Aërius, sectâ Arrianus, teste S. August. hæresi 53. *Aërius hæreticus dicebat*, ait Augustinus, *non oportere orare, vel offerre pro mortuis oblationem.* Ecce hæreticum propter hoc Aërium vocat Augustinus, & hanc eius doctrinam ponit ordine quinquagesimam quintam hæresin. Apud Divum verò Epiphanium ista Aërij hæresis est ordine 75. Idem prorsus docent Reformati, cùm fateantur tamen, in prima Ecclesia morem omnino fuisse orandi pro animabus defunctorum; dupliciter propterea rei, & quòd errores veterum hæreticorum Aërianorum quoad hoc amplectantur, & quòd è contrario morem Ecclesiæ veteris damnent.

Reformati cum Aërio antiquo hæretico impugnant Orationes pro defunctis.

II. Neque satisfacit Vedrosius, dum pag. 135. ait: *Non abstinemus oratione pro defunctis exemplo Aërij, sed institutione Christi, & auctoritate Apostolorum.* citat exin verba Christi Joan. 1. 24. & Pauli 2. Cor. 5. 1. & Joannis Apoc. 14. 13. Ajo hæc eadem verba Christi & legerunt, meliúsque, quàm Reformati, intellexerunt sancti illi & antiquissimi Patres, & nihilo tamen minùs preces pro defunctis assiduè usurparunt. Atque ita non ductum Christi vel Pauli, sed Aërij hæretici sequimini, Aërius autem Satanæ, veritatis omnis inimici.

Huic censuræ frustra reclamat Vedrosius,

Et falsum miscet.

Non evadit quoque Vedrosius, dum eâd. pag. ait: *Preces pro defunctis superstrui Purgatorio, sacris litteris, & primæ antiquitati incognito.* Cujus dicti Vedrosiani prima pars verissima est, scilicet

preces

preces pro defunctis Purgatorio superstrui. Altera autem, quòd Purgatorium sanctæ illi antiquitati penitus incognitum fuerit, palpabile & manifestissimum, nec aliter loqui licet, mendacium est, uti supra à me cap. 6. art. 5. fusè demonstratum leges.

Ad S. Augustini sententiam, quod attinet, quâ claudit Examen Exempli 8. à D. Georgio allati; quæ ita citatur à Vedrosio: *Asseruit*, inquit, *Augustinus, non esse ullum ullibi medium locum; ut non possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo*: primùm non citat librum vel tractatum Augustini, quem jure possumus à Vedrosio idcirco requirere. Si autem omnino ita scripsit Augustinus; de tempore Resurrectionem consequente, non antecedente scripsit. sic enim verum est, tertium locum nullum datum iri, sed necessariò fore cum Diabolo, qui non sit cum Christo. Et hoc sensu omnino scripsit. Vide Card. Bellarm. l. 2. de Purgatorio. c. 13. ubi ad alia etiam Augustini loca respondet. Quid S. Augustinus de Purgatorio senserit, & ut expressis verbis Emendatorium Ignem appellaverit, v. supra jam citatum illum art. 5. opusculi hujus, cap. 6. III. Explicatur in contrarium adductus S. August.

Atque hæc de DEO & Sanctis; quibus omnibus velut bellum movent Reformati. Et sanctas quidem animas in Purgatorio, & emendatorio illo igne existentes spoliant orationibus, eleemosynis, & Sacrificiis, quantùm ab ipsis est. Sanctos autem cum Christo jam regnantes omni prorsus cultu & veneratione; cùm à veteri tamen sancta Ecclesia omni excogitabili cultûs genere sint affecti; in templorum erectione in memoriam illorum; in veneratione Reliquiarum atque Imaginum eorundem; in continua invocatione; probante hæc omnia sæpissimè manifestis miraculis cœlo, quæ miracula ipsi SS. Patres Ambrosius, Augustinus, Damasus, &c. scripto nobis reliquerunt. Legatur vel unicus *lib. 22. S. August. de Civit. DEI*, de miraculis innumeris ad invocationem, & Reliquiarum S. Stephani venerationem, in ipsis S. Augustini oculis quotidie quasi editis. Non probante autem solùm cœlo, ut dicebam, sed contemptores quoque pietatis IV. Omnibus Sanctis bellum movent Reformati. Pœnæ, quæ ob hoc illos expectant.

 tatis

tatis istius, ut, confractores aut demolitores SS. Imaginum aut Reliquiarum, pœnis gravissimis afficiente, quales præsertim Iconoclasta Copronymus expertus est, ignes scilicet aut infernales, aut infernalibus non absimiles; paulò ante obitum suum contestatus, *se igne torqueri inextinguibili*, ob cultum præsertim Deiparæ Virgini impiè abrogatum. Nimirum nihil hic commune vultis habere cum Sanctis in terra, nihil quoque ibi commune habebitis in cœlo. Sed & Sanctum Sanctorum Christum Jesum suis honoribus privant, dum vetant inflecti genu ad prolatum Iesv nomen, aut caput aperiri, ut vetuit Calvinus: ad hæc Crucifixi Iesv Imaginem è templis & domibus suis ejiciunt, suas contra Imagines substitui nihil vetant, ad Juliani apostatæ exemplum; qui Christi imaginem æream amoveri Cæsareæ ex templo, & suam contrà loco ipsius constitui passus est, paulò tamen pòst fulmine cœlesti dejectam. Ita *Niceph.* l. 10. c. 30. Denique ne quid in cœlo illæsum ab ipsis sit, DEUM ipsum omnis mali, etiam peccati, auctorem, & ad mortem æternam præordinatorem faciunt; adhæc omni publico cultu, qui latreuticus, & DEO proprius sit, privant, ut suprà ostensum: ut propè assentiar illi, qui scribere non dubitavit, Atheos ipsos minùs sibi videri criminosos, cùm minus quodammodo crimen sit, nullum omnino DEUM credere, quàm talem, qualem Calvinus DEUM facit. Hæc justus dolor. Nunc in terras descendamus.

In Iuliano Apostata, & Copronymo præsignificatæ.

ARTICULUS V.

De Ecclesia militante Errores Nov-Antiqui Reformatorum.

I. I. REformatis tota Ecclesia Romano-Catholica, olim istis etiam vera & orthodoxa Ecclesia, apostatavit, & à fide defecit. Sed resuscitata est, & refloruit, (scilicet!) in Calvino, & ipsius sequacibus, atque in solis ipsis modò remanet.

Idem prorsus docuerunt veteres hæretici, & maximè Donatistæ in Africa, tempore S. Augustini, uti testatur ipse l. de unitate

tate Ecclesiæ, c.18. & citat noster D. G. pag. 147. *Totus mundus, inquiunt Donatistæ, apostatavit. Nos autem tanquam duæ illæ Tribus* (Judæ scilicet & Benjamin) *in templo DEI, id est, in Ecclesia permansimus. Dominum quoque JESUM Christum, cùm plurimi sequerentur, septuaginta duobus Apostatantibus, soli cum illo duodecim remanserunt.* Addit Augustinus: *His atque hujusmodi exemplis Hæretici suam Paucitatem* NB. *commendare conantur, & in Sanctis Ecclesiæ, multitudinem toto Orbe diffusam blasphemare non cessant.* Ita Sanctus. An non hæ ipsissimæ Reformatorum cantilenæ sunt? *Totus* ipsis quoque *mundus*, ante Calvinum exortum, *apostatavit*; & Catholici toto mundo diffusi, à vero, & cœlo aberrarunt: Reformati soli, ceu *duæ illæ Tribus*, in sana fide; soli illi ceu duodecim Apostoli, cum Christo perstiterunt. Sic nimirum & Ipsi *paucitatem suam* non commendant, sed *commendare conantur, & multitudinem toto Orbe in Sanctis Ecclesiæ diffusam, blasphemare non cessant.* Et verè Calvini tempore, magis, quàm mille retro annis, toto Orbe, Catholicæ Ecclesiæ multitudo diffusa erat, & quotidie, ipso adhuc vivente, in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, insuper in Africanis gloriosissimè diffundebatur. Hanc totam tamen multitudinem, tanquam perfidiâ laborantem, blasphemare Reformati neque hodie desistunt.

Reformati Donatizant, dum Ecclesiam docent apostatasse. Et ob hoc egregiè à S. Augustino irridentur.

II. Audiant rursus Augustinum illos alibi quoque vivacissimis coloribus ita delineantem, in persona Donatistarum, Conc. 2. in Psalm. 101. *Illa Ecclesia, inquiunt Donatistæ* (Reformati, nos dicamus) *quæ fuit omnium gentium; jam non est, periit. Hoc dicunt* (subjicit Augustinus) *qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es?* Inde zelo planè Augustiniano incensus S. Doctor verba hæc Donatistarum meritò vocat, *Vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam.* An satis eloquenter & copiosè? eadem omnia vobis dicta putate, Ministri Reformati. Vos æquè Augustinus alloquitur, qui eandem *abomina-*

Vt insipientes & insulsi.

ARTICVLVS II.

Erroneæ & blaſphemæ Calvini doctrinæ

De Chriſto Servatore,

Cum veteribus hæreticis Ipſi communes, & eædem.

HArum non omnes, cùm plurimæ ſint, ſed præcipuas ſolùm, & maximè deteſtandas in medium afferamus. Itaque eſto prima.

I. Chriſtum pœnas damnatorum pertuliſſe ad tempus, & hoc eſſe Chriſtum deſcendiſſe ad inferos.

II. Chriſtum eſſe minorem Patre, non tantùm ſecundùm humanam naturam, ſed etiam ſecundùm divinam.

III. Chriſtum ignorantiâ quoque laboraſſe, nec omnia ſatis prudenter egiſſe, aut dixiſſe.

IV. Chriſtum neque in pronuntiatione nominis JESV, neque in ſigno Crucis, aut alia ſacra imagine, vel etiam in Cruce fronti in honorem ejus impreſſa eſſe venerandum.

I. *PRimum* docet expreſsè Calvinus, l. 2. Inſtit. c. 6. *Diros*, inquit, *in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit &c.* in qua blaſphemia ipſe eſt primus. Nec enim antiquiorem hujus blaſphemiæ complicem hæreſiarcham licet aſſignare.

Calvinus cum Arrianis ſentit in

In ſecunda verò blaſphema doctrina, quod Chriſtus D. etiam ſecundùm divinam naturam Patre æterno fuerit minor, Anteceſſores habuit, Arrianos; qui Chriſtum per omnia aſſerebant

Patre

Patre esse minorem. Calvini ipsissima verba sunt hæc in Admonitione ad Polonos: *Quanquam*, inquit, *ab antiquis sententia Christi: Pater major me est: restricta fuerit ad humanam eius naturam; ego tamen non dubito ad totum complexum extendere*: vult dicere: ad humanam simul & divinam naturam. Hoc est enim totum complexum. Quæ ipsissima Arrianorum hæresis est. articulo de Divinitate Christi.

II. Calvino Christus D. est ignorans, & imprudens.

Tertium dogma Calvini, quod est de ignorantia Christi, antiqua hæresis est Agnoitarum, quasi dicas *Ignorantium*, de quibus S. Isidorus l. 8. Originum, c. 5. *Agnoitæ*, inquit, *& Tritheitæ à Theodosianis* (hæreticis) *exorti sunt, ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti, quia perversitati, à qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignorat futura.* Idem docuit Calvin. in c. 24. Matth. ubi dicere audet: *Ignorantiam ne ipsum quidem Filium DEI nostri caussâ subire abnuisse.* Texit quoque catalogum ignorantiarum, & exin etiam imprudentium dictorum Christi. Horreo hæc scribens. Agens enim de responsione Christi ad Nathanaëlem, Joan. c. 1. scribere audet: *Hæc responsio parum videtur apposita.* II. Sermo Christi ad Nicodemum Joan. 3. est Calvino, *longè petitus & intempestivus*: sunt verba Calvini. III. Explicans illud dictum Christi ad Petrum, Luc 22. v. 32. *Simon, Simon. ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem* &c. dicere ausus est: *Ista similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat.* IV. Non dissimilia habet explicans illa verba Domini Marc. 9. v. 48. *Omnis victima sale salietur. Bonum est sal*, &c. audet enim, & scribit: *Dura est, & longè petita, imò paulò durior metaphora, dum salem nominat, quidquid salsum est.* Quin imò verba illa sanctissima Salvatoris Matth. 26. *Pater, si possibile est*, &c. vocat *vacillationem, & votum Christo subitò elapsum, quod exin castigaverit, & revocaverit.* Ubi quærit rectè P. Gretserus doctissimus ille Jesuita, Tom. 2. Defensionis Bellarmini, pag. 242. *Quid est votum subitò elapsum, nisi inconsideratum, & quod temere absque præmeditatione excidit?* Atque ita Calvinus Christum ipsum Dominum non ignorantiæ solùm cum Agnoitis, veteribus hæreticis, sed supra illos, etiam imprudentiæ,

Quæ est hæresis Agnoitarum; quos etiam superare nititur Calvinus.

III. Blasphemiæ plures Calvini in Christum.

dentiæ, sua dicta minimè perpendentis, & inconsiderationis, ac temeritatis accusat; in quo omnes & Agnoitas, & Arrianos veteres superat, in quorum scriptis nihil huiusmodi legimus. V. Bellarm. loc. cit. Vide etiam Forerum in Symbolo suo Calviniano pag. 12. hæc omnia fusiùs exequentes.

IV. Quartus, & is multiplex error Calvini, Christo injurius, circa abrogationem omnis externi honoris Christo Domino exhibendi, notus est ex iis, quæ dicta sunt suprà de Imaginibus Crucifixi, de Cruce fronti impressa &c. Hi autem errores fuerunt veterum tum hæreticorum, tum Atheistarum; quos inter Julianus apostata simul & Atheista dicere est solitus: *O miseri homines! Crucis signum adoratis, Imagines illius in fronte, & ante domos pingitis.* An non hæc ipsissima verba, à Juliano mutuata, Reformatorum verba sunt? Neque satisfacit ullo modo Vedrosius, dum objicienti hæc D. Georgio respondet pag. 151. *Signum Crucis ludibrio non habemus, sed superstitionem & idololatriam circa illud detestamur.* Primùm enim notoriè falsum est, vos Crucis signum ludibrio non habere. Quot enim Crucifixi Imagines in Galliis & Belgio, confregistis, combussistis, & conculcastis? Legatur de hoc Florimundus Remondus & alij. Deinde aliud hic in quæstione versatur, non an ludibrio habeatis, sed cur nec in fronte illud, nec in domibus pingatis, quod tamen tempore Juliani Apostatæ Sanctis illis primis Christianis tam solemne erat, ut ex ipso Juliani scommate apparet? Sed nimirum idololatriam per hoc cavetis. An formando in fronte crucem, Veteres illi, vobis multò & meliores & sapientiores fideles, idololatriam & superstitionem commisêre. Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, Laurentij (qui etiam miracula, sacro Crucis formatæ usu, patrarunt) aliique sine numero? Quomodo Crucifixos nostros adoremus, vel non adoremus, suprà ex me audisti. Christum Crucifixum adoramus, quia DEUM & Dominum nostrum: & quæ de Cruce aut canimus in hymnis nostris, aut Missis &c. ad Crucifixum referimus, cui omnis adoratio debetur. Crucem contrà omnimodis vos fugitis & ever-

Cum Iuliano Apostata vetat Crucem formari aut pingi Calvinus.

Quid contrà, sed non verè opponat Vedrosius.

& evertitis. Julianos nimirum mavultis, quàm Constantinos Magnos imitari; ne Juliani quoque mercedem olim in vita altera habeatis, cavete. Ejusdem vobiscum mentis etiam Arriani hæretici fuerunt, ut Act. 2. in Synodo Nicena II. legere est; qui & ipsi Imagines Christi colendas negarunt. Quis neget iterum, Reformatorum fidem antiquissimam esse? Post tot in ipsum Filium DEI Christum JESUM, Salvatorem suum jactas blasphemias, an non meritus est Calvinus, ut inter atroces blasphemias miseram animam exhalaret?

ARTICULUS III.

Reformatorum hæreses ex antiquitate haustæ circa DEIparam Virginem & Sanctos &c.

I. JOvinianus temporibus S. Hieronymi vivens, hæresiarcha notus docuit, B. Virginem MARIAM in partu virginem non permansisse, contra expressam Symboli Apostolici doctrinam: *Natus ex* MARIA VIRGINE. Sed quid hæretici Symbola curant, nisi hypocriticis verbis & protestationibus? idem docuerunt Reformati, ut Beza t. 1. opuscul. in respons. ad Brenzii argumenta, & tom. 2. resp. 3. ad Selnecceri Lutherani 5. calumniam, & alibi. De Joviniano affirmant, quæ diximus, S. Augustinus hæresi 82. & S. Ambros. Epist. 81. Bezæ sententiam publicè quoque defenderunt Reformati illi Ministri, qui anno 1566. Parisiis in disputatione publica cum Catholicis congressi sunt; cùm omnes Catholici veteres Doctores constantissimè contrarium sint professi, ut S. August. Epist. 3. ad Volusianum: *Ipsa virtus DEI*, inquit, *per inviolata Matris virgineæ viscera, membra Infantis eduxit, quæ* (scilicet virtus DEI) *postea per clausa ostia membra Juvenis* (Christi) *introduxit.* Valde etiam memorabile est, & Reformatis utraque aure auscultandum, quod addit Augustinus. *Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* I.

Beza & alii Reformati Ioviniani-zant, dum negant Deiparam in partu virginem permansisse.

Quod tamen Mahometani ipsi non negant in cap. 29. sui Alcorani.

II. Iudaizant in tollendo Imaginum usu;

Deinde omnem cultum sive in Imaginibus, sive in reliquiis, sive in invocatione, abrogarunt veteres hæresiarchæ Sanctis DEI: ut Arriani, de quibus suprà, Vigilantius Gallus hæresiarcha, Samaritani hæretici, sub annum 520. teste Simone Eremiticam vitam colente, *in Epist. ad Justinum Imperatorem.* Denique perfidi Judæi, totius iconoclastiæ, & abrogationis Imaginum apud Græcos quosdam Imperatores, maximè Leonem Isauricum, detestandi auctores, uti Zonaras, Cedrenus, & Nicetas in Leone isto testantur. Errorem autem hunc & dictis, & scriptis continuò persecuti sunt Sancti primi Doctores Ecclesiæ. Et quidem S. Hieronymus ita depecit Vigilantium, Sanctorum invocationem, Reliquias, & Imagines omnes rejicientem: *O infelicem hominem* (inquit in Epist. ad Riparium) *qui hæc dicens non se intelligat, esse Samaritanum & Judæum!* Hæc Sanctus.

idque juxta effatum S. Hieronymi.

III. Convitiis extricare se conatur Vedrosius; sed in cassum.

Nec extricat se convitiis suis Vedrosius, qui pag. 152 planè quasi de potestate mentis exiisset, ita in optimum D. Georgium invehitur: *Non tantopere*, inquit, *pusiones popas suas, quantopere delirus senex, bis, térve puer deperiit Imagines.* Ita moderatissimus Vedrosius. Atqui, ô bone vir, non cum D. Georgio Rhæto, sed cum Divo Hieronymo Dalmata res tibi est, qui dum Vigilantium hæreticum impugnat, qui non tantùm Martyrum Reliquias & Invocationem, sed ipsas etiam Imagines, teste Alstedio vestro, c. 30. Chron. damnaverat, vos omnes impugnat, qui eadem omnia damnatis, scil. & Reliquiarum & Imaginum venerationem, & Sanctorum invocationem.

An & Hieronymus delirus est senex?

An & D. Hieronymus *delirus* tibi *senex* est, & *bis térve puer, qui hæc sacra,* ut pueri *popas suas deperierit?* (pupas debuisses dicere cum Varrone, non popas) Crucis enim sacrosanctam Imaginem & adoravit ipse S. Hieronymus, & adorantes alios laudavit, ut ex Epitaphio Paulæ colliges.

Et S. Basilius, aliique?

Si delirus autem neque S. Hieronymus est, qui S. Paulam ante Crucem prostratam, eámq; adorantem laudavit; neque S. Athanasius, vel quisquis est antiquorum; qui profitetur, se suósq;, Imagines Christi & Sanctorum, non tamen tanquam Deos adorare, cap. 38. *Interrogationum & respons. ad*

Antio-

Antiochum; si etiam Magnus ille Basilius nihil utiq; deliravit, cùm scripsit: *Imagines Historicas Sanctorum honoro, & palam adoro.* Uti legere est in Synodo Nicęna II. actione 4. ut de pluribus aliis taceam, probabilius est delirasse Vedrosium potiùs, cùm hæc scripsit; qui malè se tuetur illo Deut. 5. *Non facies tibi sculptile eorum, quæ sunt in cœlis supra* &c. Ad hanc enim sententiam millies nos Catholici respondimus; millies explicavimus; millies & sæpius ostendimus nihil contra hanc scripturam delinqui, modò Imagines eiusmodi sive sculptæ, sive pictæ, divino quodam cultu, ceu Dij, stolidè non adorentur. Aliter, Moses ipse idololatra fuisset; qui Cherubinos è metallo fusos, arcæ adstituit; alios autem intexuit cortinis tabernaculi fœderis. Idololatræ quoque forent Reformati Ministri, qui se æri insculpi, aut penicillo expingi sustinent. Nimirum si Calvinus, vel Vedrosius sculpatur, pietas est; impietas contra idololatrica, si Christus. Si ad Calvini nomen caput aperiatur, bonum factum erit; si ad nomen JESU, vel aperiatur idem caput, aut genu etiam flectatur, sceleratum. Nam & hunc honorem & vetat, & irridet Calvinus scribens in 2. cap. ad Philipp. & ridiculos vocat Sorbonicos Sophistas, qui ob illam D.Pauli sententiam: *In nomine JESU omne genu flectatur:* flectendum esse genu colligant, quando JESU nomen pronuntiatur. Ad ista ergo & protritissima & refutatissima, quæ Vedrosius contra cultum Imaginum & Reliquiarum affert, responso ulteriori nullo est opus. Tota sancta antiquitas pro nobis est; tota non sancta antiquitas Manichæorum, Samaritanorum, & perfidorum Judæorum pro vobis. Invertitis nimirum ex toto illud Spiritûs sancti oraculum, Ps. 138. *Nimis honorati sunt amici tui DEUS.* De Reformatis autem dicendum est: Nimis despecti sunt amici tui DEUS. Nam prius illud de solis Catholicis verissimum est; qui post omnem hanc suam venerationem se intepescere adhuc, & languere circa Sanctorum, & maximè Deiparæ, ter admirabilis Matris cultum, & fatentur & dolent. Imò unum ex certioribus prædestinationis beatæ indiciis cum S. Anselmo

IV.

Frustra adducit contra nos c. 5. v. 8. Deuteronomij.

Si ritè argumentatur Vedrosius, omnes Ministri Reformati Idololatræ sunt.

Amor peculiaris & cultus B. V. MARIÆ prædestinationis indicium est.

selmo cap. 4. *de Excellentia Virginis*, nos Catholici dicimus esse, constantem Virginis hujus & assiduam venerationem ac amorem; reprobationis contrà sempiternæ non leve argumentum, tantæ Matris cultum nec curare, & insuper impugnare. Vide quæ diximus supra c. 6. a. 1.

ARTICULUS IV.

Reformatorum Errores Novo-antiqui de animabus in Purgatorio.

I. *Reformati cum Aërio antiquo hæretico impugnant Orationes pro defunctis.*

I. ORationes pro fidelibus defunctis fundendas non esse, docuerunt veteres hæretici. Primò Aërius, sectâ Arrianus, teste S. August. hæresi 53. *Aërius hæreticus dicebat*, ait Augustinus, *non oportere orare, vel offerre pro mortuis oblationem.* Ecce hæreticum propter hoc Aërium vocat Augustinus, & hanc eius doctrinam pouit ordine quinquagesimam quintam hæresin. Apud Divum verò Epiphanium ista Aërij hæresis est ordine 75. Idem prorsus docent Reformati, cùm fateantur tamen, in prima Ecclesia morem omnino fuisse orandi pro animabus defunctorum; dupliciter propterea rei, & quòd errores veterum hæreticorum Aërianorum quoad hoc amplectantur, & quòd è contrario morem Ecclesiæ veteris damnent.

II. *Huic censuræ frustra reclamat Vedrosius,*

Neque satisfacit Vedrosius, dum pag. 135. ait: *Non abstinemus oratione pro defunctis exemplo Aërij, sed institutione Christi, & auctoritate Apostolorum.* citat exin verba Christi Joan. 1. 24. & Pauli 2. Cor. 5. 1. & Joannis Apoc. 14. 13. Ajo hæc eadem verba Christi & legerunt, meliúsque, quàm Reformati, intellexerunt sancti illi & antiquissimi Patres, & nihilo tamen minùs preces pro defunctis assiduè usurparunt. Atque ita non ductum Christi vel Pauli, sed Aërij hæretici sequimini, Aërius autem Satanæ, veritatis omnis inimici.

Et falsum miscet.

Non evadit quoque Vedrosius, dum eâd. pag. ait: *Preces pro defunctis superstrui Purgatorio, sacris litteris, & primæ antiquitati incognito.* Cujus dicti Vedrosiani prima pars verissima est, scilicet

preces

preces pro defunctis Purgatorio superstrui. Altera autem, quòd Purgatorium sanctæ illi antiquitati penitus incognitum fuerit, palpabile & manifestissimum, nec aliter loqui licet, mendacium est, uti supra à me cap. 6. art. 5. fusè demonstratum leges.

Ad S. Augustini sententiam, quod attinet, quâ claudit Examen Exempli 8. à D. Georgio allati; quæ ita citatur à Vedrosio: *Asseruit*, inquit, *Augustinus, non esse ullum ullibi medium locum; ut non possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo*: primùm non citat librum vel tractatum Augustini, quem jure possumus à Vedrosio idcirco requirere. Si autem omnino ita scripsit Augustinus; de tempore Resurrectionem consequente, non antecedente scripsit. sic enim verum est, tertium locum nullum datum iri, sed necessariò fore cum Diabolo, qui non sit cum Christo. Et hoc sensu omnino scripsit. Vide Card. Bellarm. l. 2. de Purgatorio. c. 13. ubi ad alia etiam Augustini loca respondet. Quid S. Augustinus de Purgatorio senserit, & ut expressis verbis Emendatorium Ignem appellaverit, v. supra jam citatum illum art. 5. opusculi hujus, cap. 6. III.

Explicatur in contrarium adductus S. August.

Atque hæc de DEO & Sanctis; quibus omnibus velut bellum movent Reformati. Et sanctas quidem animas in Purgatorio, & emendatorio illo igne existentes spoliant orationibus, eleemosynis, & Sacrificiis, quantùm ab ipsis est. Sanctos autem cum Christo jam regnantes omni prorsus cultu & veneratione; cùm à veteri tamen sancta Ecclesia omni excogitabili cultûs genere sint affecti; in templorum erectione in memoriam illorum; in veneratione Reliquiarum atque Imaginum eorundem; in continua invocatione; probante hæc omnia sæpissimè manifestis miraculis cœlo, quæ miracula ipsi SS. Patres Ambrosius, Augustinus, Damasus, &c. scripto nobis reliquerunt. Legatur vel unicus *lib. 22. S. August. de Civit. DEI*, de miraculis innumeris ad invocationem, & Reliquiarum S. Stephani venerationem, in ipsis S. Augustini oculis quotidie quasi editis. Non probante autem solùm cœlo, ut dicebam, sed contemptores quoque pie- IV.

Omnibus Sanctis bellum movent Reformati.

Pœnæ, quæ ob hoc illos ex pectant.

tate Ecclesiæ, c.18. & citat noster D. G. pag. 147. *Totus mundus, inquiunt Donatistæ, apostatavit. Nos autem tanquam duæ illæ Tribus* (Judæ scilicet & Benjamin) *in templo DEI, idest, in Ecclesia permansimus. Dominum quoque JESUM Christum, cùm plurimi sequerentur, septuaginta duobus Apostatantibus, soli cum illo duodecim remanserunt.* Addit Augustinus: *His atque hujusmodi exemplis Hæretici suam Paucitatem* NB. *commendare conantur, & in Sanctis Ecclesiæ, multitudinem toto Orbe diffusam blasphemare non cessant.* Ita Sanctus. An non hæ ipsissimæ Reformatorum cantilenæ sunt? *Totus* ipsis quoque *mundus*, ante Calvinum exortum, *apostatavit*; & Catholici toto mundo diffusi, à vero, & cœlo aberrarunt: Reformati soli, ceu *duæ illæ Tribus*, in sana fide; soli illi ceu duodecim Apostoli, cum Christo perstiterunt. Sic nimirum & Ipsi *paucitatem suam* non commendant, sed *commendare conantur, & multitudinem toto Orbe in Sanctis Ecclesiæ diffusam, blasphemare non cessant.* Et verè Calvini tempore, magis, quàm mille retro annis, toto Orbe, Catholicæ Ecclesiæ multitudo diffusa erat, & quotidie, ipso adhuc vivente, in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, insuper in Africanis gloriosissimè diffundebatur. Hanc totam tamen multitudinem, tanquam perfidiâ laborantem, blasphemare Reformati neque hodie desistunt.

Reformati Donatizant.

dum Ecclesiam docent apostatasse.

Et ob hoc egregiè à S. Augustino irridentur,

II.

Audiant rursus Augustinum illos alibi quoque vivacissimis coloribus ita delineantem, in persona Donatistarum, Conc. 2. in Psalm. 101. *Illa Ecclesia, inquiunt Donatistæ (*Reformati, nos dicamus*) quæ fuit omnium gentium; jam non est, periit. Hoc dicunt* (subjicit Augustinus) *qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es?* Inde zelo planè Augustiniano incensus S. Doctor verba hæc Donatistarum meritò vocat, *Vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam.* An satis eloquenter & copiosè? eadem omnia vobis dicta putate, Ministri Reformati. Vos æquè Augustinus alloquitur, qui eandem *abomina-*

Vt insipientes & insulsi.

 mina-

minabilem, & detestabilem, &c. vocem insonatis, & à parte sola Calvini vestri, sicut Donatistæ à parte Donati sui, stare Ecclesiam vobis imaginamini, de reliquo autem toto Orbe periisse.

III. Malè se defendit Vedrosius ex Bellarmino, & falsè.

Neque proficit quidquam D.Vedrosius, dum in responsione ad hoc 2. Exemplum D.Georgij, pag.125. negat, id docere Ecclesiam Reformatam, quod Donatistæ docuerint; idque probare conatur ex ipso nostro Bellarmino, ita scribente lib. 3. de Ecclesia, cap. 13 (non 3. ut eum citat Vedrosius) *Notandum est*, ait Bellarminus, *multos ex nostris* (Catholicis) *tempus terere, dum probant, absolutè Ecclesiam non posse deficere. Nam Calvinus, & ceteri Hæretici id concedunt* (scilicet Ecclesiam non posse deficere.) Addit autem Bellarminus: *Sed dicunt intelligi debere de Ecclesia invisibili.* Quæ ultima verba callidè omisit Vedrosius. Hac enim clausulâ suâ non probat, sed irridet Bellarminus distinctionem hanc Calvinisticam de invisibili Ecclesia, quasi illa deficere nom queat, visibilis autem queat. Quia, ut suprà ostensum est, unica est Ecclesia Christi, eáque visibilis; de qua si dicatur, eam errare & apostatare totam posse à vera fide, jam hæreticus hic error est, antiquus scilicet Donatistarum error, qui teste eodem Augustino Conc. 2. in Psal. 101. eâdem prorsus calliditate sunt usi, totámque Ecclesiam visibilem periisse dicebant, & non nisi in quibusdam paucis justis (ecce invisibilem eorum & occultam paucorum Ecclesiam) in Africa permansisse, usi ad hoc testimonio Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, per illud *vobiscum*, paucos illos, qui invisibilem & occultam constituerent Ecclesiam, intelligentes.

Irridet Bellarminus distinctionem Vedrosij.

IV. Frustra accumulat loca S. Scripturæ Vedrosius, quæ nihil probant contra nos.

Et huc tendunt omnia etiam reliqua Vedrosij, scilicet ad illam solùm invisibilem paucorum, veram fidem retinentium, Ecclesiam. *In his paucis*, inquit pag. 127. *mansit semper Civitas, quam DEUS fundavit in æternum*, Ps. 48. 9. *Regnum, quod nunquam dissipabitur*: Dan. 2. 44. *Ecclesia illa, contra quam portæ inferi non prævalebunt*: Matth. 16. 18. &c. Pulcherrimas omnino pro Ecclesiæ indefectibilitate sententias aggeras, Vedrosi; sed pro Eccle-

siæ

siæ visibilis, non invisibilis indefectibilitate. Nam invisibilis Ecclesia vestra, quam Electorum solùm esse vultis, veteri sanctæ Ecclesiæ, & ipsi Christo incognita & planè invisibilis fuit. Lege cap. 13 S. Matthæi potissimùm, ubi in una eadémque area (per quam Ecclesia significatur) invenies non *grana* solùm electa, sed & *paleas* etiam rejiculas; in uno eodémque reti *bonos malósve pisces*; in uno eodémque agro (Ecclesia) *Zizania & triticum*; in uno eodémque ovili *oves & hædos*; in eodem convivio *convivas veste nuptiali indutos*, aliósque non indutos; quæ omnia de Ecclesia visibili omnes non hæretici auctores explicant, aliámque nullam, præter illam cœlestem, solorum electorum invisibilem agnoscunt.

Invisibilis Ecclesia Electorum Christo incognita.

Quod addis, *mysterium iniquitatis* (id est, Antichristianismum) *jam cœpisse palam prorumpere à temporibus Gregorij M. inde que statum Ecclesiæ valde fuisse in occidente obscuratum* (vis dicere, quoad visibilem Ecclesiam extinctum) *propter doctrinam publicam, mille modis corruptam*, procedit ex cerebro tuo multis modis corrupto. Probanda tibi est calumnia tam atrox, quam in Romanam hic jactas Ecclesiam. quibus in dogmatibus est corruptus tunc in Occidente, Ecclesiæ Romanæ status? sub quo Pontifice Romano est corruptus? An sub Sabiniano, qui à S. Gregorio proximus fuit? an sub Bonifacio III. qui à Gregorio secundus? an sub Quarto, qui tertius fuit à S. Gregorio? an sub alio quocumque, etiam quoad mores pessimo? quando? ubi? Mille tu modis corruptum asseris. non mille à te modos requirimus: ostende in uno, alteróve: ostende in unico. si non potes, fatere te Cretizasse, & calumniatum esse. Ecclesia vera aut non deficit, aut Christus non est, quod se esse dixit Joan. 17. *Via, VERITAS, & Vita.* Veritas enim non esset, utpote cujus verba illa: *Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus EAM.* vera non essent. Inter has portas unam meminéris & Calvinismum tuum esse non prævalebit. Manet itaque, quod D. Georgius pertendit, Donatistas Veteres & fratres, & Majores vestros esse, & doctrinam vestram doctrinæ illorum deformiter conformem.

Dicit grandia Vedrosius, probat nihil.

Si Ecclesia defecit aliquando, Christus non est VERITAS.

ARTICVLVS VI.

De Capite militantis Ecclesiæ, Pontifice Romano, & Cathedra ejus Romana, Nov-antiqui errores Reformatorum.

I.

Arrianizant Reformati, dum negant, Papam esse supremum Caput Ecclesiæ.

1. Ecclesiam visibilem Christi nullum Caput visibile aut habere in terris, aut eo indigere; S. Petrum non fuisse Caput Ecclesiæ universæ, atque adeò neque Successores ejus in Romana Cathedra Primatum in omnem reliquam Ecclesiam obtinere; Reformatorum errores sunt, minimè tamen novi. Idem enim ante annos mille quadringentos docuit miserabilis Tertullianus, postquam spe Pontificatus Romani ipse excidit, Victorémque, & ipsum Afrum, sibi prælatum doluit. negavit enim posthæc, Pontificem Romanum supremam in omnes fideles potestatem obtinere, ut patet ex ejus libro de Pudicitia. Idem Arriani senserunt tempore Zenonis Imperatoris, & nominatim Acacius, Arrianus Episcopus Constantinopolitanus, sub annum 480. unde Acacius iste per omnia se Romano deinceps Pontifici æqualem asseruit, ut patet ex *c. Decernimus.* Cod. de SS. Ecclesiis. Idem Donatistæ; postquam à Romana sede damnati sunt, tempore S. Augustini: unde Cathedram Romanam, *Cathedram pestilentiæ*, ausi sunt appellare, teste eod. S. August l. 2. c. 15. contra Litt. Petil, Antiquissima igitur hæc cantilena est eorum, quorum hæreses ab hac prima Apostolica Sede sunt damnatæ. Succinunt his modò & Lutherani, & Calvinistæ, quia caussas cum illis Veteribus easdem habent. Vide nostrum D. Georgium Ratione 8. exemplo 7. pag. 146. Quin & Antichristianam eam Cathedram faciunt. Quid adhæc Vedrosius? Mera convitia rursus rationum loco reponit pag. 124. & 125. Negat bene fecisse Donatistas, qui Cathedram Petri, & Ecclesiam, qualis ipsorum tempore erat, Cathedram pestilentiæ appellarint; rectè autem facere illos, qui nunc

II.

Vedrosius responsi loco convitia reponit:

nunc isto nomine appellant. Probat id ex c. 1. Isaiæ, ℣. 21. verba illa prophetæ applicans hodiernæ Ecclesiæ Romanæ: *Quæ olim*, inquit, *Urbs fidelis* (Ecclesia scilicet) *nunc meretrix effecta est; plenissima Iure, in qua Iustitia* (veritas) *pernoctabat, nunc homicidarum* (pseudo-doctorum) *plena est.* Quid facilius homini audaci, quàm talia, tegendo probro suo, effutire? quid autem difficilius, quàm probare? Meretricem vocas hodiernam Eccesiam Romanam, planè meretricum more, ut ipse S. Chrysostomus alicubi notavit, nihil scilicet usitatius esse meretricibus, quàm alias omnes suo nomine insignire, quod verissimum hodieque esse, experientia docet. Probandum tibi hoc est, Vedrosi, non temerè solùm evomendum. Si in hæresin unquam lapsa est, eámque in alios quoque propagavit, Romana Ecclesia, uti prô dolor! & Alexandrina & Antiochena, ipsæ quoq; Apostolicæ olim Cathedræ, lapsæ sunt, sustinebimus hoc probrum, & ipsimet ab ea tanquã adultera, & viro suo ac Sponso Christo perfida divertemus. Si autem hoc probari de ea nulla ratione, ne unica quidem in re, potest, illud consequitur, non nisi meretriciæ frontis homines tam probroso eam *meretricis* nomine compellare, nec proficere aliud, quàm ut Veterum hæreticorum progeniem se esse, illis ipsis vitiosiorẽ, ostendant. quibus S. Chrysostomus respondet.

III. Simillima sunt, quæ apud Vedrosium sequuntur, id est, calumniis, stigmate dignis, plenissima, dum volens justificare suam Reformatorum â Romana Ecclesia Apostasiam, vocat eam, sub *Papatûs* nomine, *innumeris tyrannicis, idololatricis, Magicis superstitionibus ingurgitatam*, quibus verbis omnes prorsus Catholicos, etiam Cæsares, Reges, & Principes, hic terræ filius, & idololatriæ, & magiæ incusare audet; & sic *Majestates blasphemare*, ut S. Scriptura loquitur: quæ tamen omnia verbo nec uno probat, aut probabit unquam. Quid diceres, Vedrosi, si familiam tuam Vedrosiorum, familiam vocarem, â trecentis jam annis, plurimis homicidiis, adulteriis, latrociniis, proditionibus, & magicis artibus infamem, nec verbo tamen unico probarem? sed hæc hæreticorum lingua & idioma est; qui postquam, Totis plaustris convitia invehit contra Ecclesiam Romanam Vedrosius.

quam, *Posuerant in cœlum os suum, deinceps & lingua eorum transivit in terra.* Ps. 72. Qui Deo, Christo, & Sanctis non parcunt,

IV. hominibus quomodo parcant? Ad extremum verissimè in Donatistis suis, te Vedrosi, & tui similes alloquitur denuo Augustinus noster, loco suprà cit. *Blasphematis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est hoc aliud, quam nescire dicere* (scilicet ad rem aliquid) *& tamen non posse, nisi maledicere?* Ita Sanctus.

Cui nostro loco egregiè S. Augustinus occurrit.

Sancta fuit Romana Ecclesia, prout illa cum Catholica Ecclesia toto orbe diffusa idem est, initio ortûs sui, per annos illos Sexcentos, usque ad S. Gregorium M. fatentur hostes ipsi. Sancta in progressu à tempore S. Gregorij, usque ad tempora S. Leonis IX. qui tempore Henrici Salici Imperatoris hoc nomine Tertij, Ecclesiam rexit, anno scillicet 1049. imò sanctior per Germanias no[illegible], Angliam & Hungariam nunquã, quàm quadringentis his annis fuit, dum sanctissimos Episcopos, Bonifacios, Wilibaldos, Wolfgangos, Emeramos, Udalricos, Conrados, Kilianos, Rembertos, Gebhardos, Maximinos, Bennones, Heribertos, Annones, Gottardos, Leones Nonos, aliósque magno numero, magnâ & gloriâ Imperij Germanici protulit. Cæsares quoque & Reges Sanctos, Henricos, Stephanos, Hermenigildos, Robertos, Eduardos, Olaos, Osvvaldos, Wenceslaos &c. Feminas similiter Sanctas, Hildegardas, Kunigundas, Mathildes, Adelhaidas, omnes Augustas, vel Augustorum matres; ut de aliis inferiorum ordinum taceam.

Sancta omni tempore, etiam perturbatissimo, Romana Ecclesia fuit, & abundavit Sanctis.

Sancta quoque esse perrexit à Millesimo illo anno usq; ad præsentem, in Bernardis suis, Dominicis, Franciscis Assisiis, Antoniis Paduanis, Franciscis à Paula, Carolis Borromæis, Thomis Villanovanis, Franciscis Salesiis, Ignatiis, Xaveriis, Philippis Neriis, Piis Quintis, Marcellis II. Georgiis XIII. qui tres ultimi admirabili vitæ sanctimonia, etsi nondũ canonizatâ, inter Pontifices Romanos enituerunt, ut Sanctas Catharinas, Senensem & Bononiensem, S. Claram, S. Brigidam, & novissimè Heroidem illam Sanctam Teresiam pluribus non exequar. Jam Martyrum fortissimorum propè exercitum, his solùm ducentis annis, exhibere ex Catholicorum numero liceat, quos

Etiam his ultimis seculis.

qui enumerantur.

India,

India, Japonia, America, Cafraria, Monomotapa &c. cœlo, per atrocissima tormenta fortissimè tolerata submisêre, cùm vestra è contrario Reformata Ecclesia ab ipso suo ortu non sanctum virum vel unicum, hisce recensitis comparandum, non feminam sanctam vel unicam exhibere queat, nisi quòd vos omnes, etiam absque observatione mandatorum Dei, & sancti estis, & de æterna vestra felicitate certissimi: quam sanctitatem & certitudinem, non homines solùm, sed omnes etiam dæmones rident. Quid habet ergo, quòd effœta vestra, sterilisque Ecclesia Machabeæ nostræ insultet?

Effœta contra est Reformata.

V.

Etiam hostes Cæsares Romanam Ecclesiam sunt venerati.

Sicut autem ab initio ortus sui, & deinceps, Sancta Romana nostra Ecclesia fuit, sic & Caput omnium Ecclesiarum habita est, quod præter hæreticos, nemo unquam inficiatus est; sed tum Patres antiquissimi, ut talem sunt venerati, tum omnes orthodoxi Imperatores humillimè agnoverunt, etiàm ij, qui hostes aliàs Romanorum quorundam Pontificum infensissimi, non autem Ecclesiæ Romanæ, fuerunt, ut Henrici Quartus & Quintus, Fridericus I. & II. Ludovicus IV. Bavarus; qui suis perturbationibus nimiùm quandóque indulgentes contemptui habuerunt quidem quosdam ex Pontificibus Romanis; ipsam verò Sedem Apostolicam Romanam maximis honoribus, ceu caput omnium Ecclesiarum, sunt prosecuti, ut de Constantinis, Theodosiis, Marcianis, Gratianis, Leonibus Philosophis, Carolis Magnis, Ludovicis Piis, Henricis Sanctis, semper morigeris Ecclesiæ Romanæ filiis, nihil dicam. Sola *progenies vitiosior* Romanam Ecclesiam Antichristianam vocat, & S. Petro ipsi, contra expressissimas Scripturas, Primatum abrogat, uti & Vedrosius hîc facit. Reorum nimirum proprium hoc est, Judices suos & horrere & criminari. Vide dicta superiùs de Primatu Ecclesiæ Romanæ P. 1. Sect. 4. c. 1. art. 2. fusè.

ARTICVLVS VII.

De diversis Ecclesiæ membris, Episcopis, Presbyteris, Clericis aliis, & Monachis, Nov-antiqui Reformatorum Errores.

I.

Ecclesia Reformatorũ sine capite, oculis & pedibus.

VT magis TRUNCUS sit, quam Adversarij sibi sculpunt, Ecclesia, non solùm Capite eam truncant, sed & Oculos eruunt, & Manus Pedésque deartuant. Negant inter Episcopos & Presbyteros ullum discrimen esse, uti ex ipsis Reformatis docet D. Georgius noster pag. 151. & Vedronus non inficiatur. Atqui hæc antiquissima hæresis est, quam Aërius Arrianus mordicus jam olim defendit, teste S. August. hæresi 53. his verbis: *Aërius dicebat, Presbyterum ab Episcopo nulla ratione debere discerni.* addit & caussam Augustinus novæ hujus hæreseos in Aërio, *quòd, cùm esset Presbyter, doluerit, quòd Episcopus non potuerit ordinari.* Ponit autem hoc dogma inter hæretica dogmata dicto loco Augustinus. Et hoc dicebam, esse oculos eruere Corpori Ecclesiæ, in quo oculorum vices Episcopi subeunt. unde & Episcopi, quasi dicas Inspectores, dicuntur. Manus quoque & pedes velut præscindunt, dum ipsum etiam Sacerdotium tollunt, Diaconos & Subdiaconos, Minorésque alios Clericos nullos habent, qui Episcopis manuum, pedúmque loco sunt; cùm omnes hi sacri ordines in prima & antiquissima illa Ecclesia irrefragabiliter distinctissimi fuerint, ut tum ex S. Pauli epistolis & Apostolorum Canonibus, tum ex SS. PP. monumentis, & omni ecclesiastica historia clarissimum fit. Quò pertinet ille velut sarcasmus S. Pauli, 1. Cor. 12. ℣. 16. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?* & paulò pòst: *Si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Et explicans se paulò pòst, qualem intellexerit distinctionem membrorum in pulcherrimo hoc Ecclesiæ corpore, subjicit ℣. 28. *Et quosdam quidem posuit DEVS*

II.

In quo cũ Aërio, antiquo hæretico, sentiunt.

Contra S. Paulum.

primum

primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes (id est, miraculorum operatores. Vide Cornelium hîc) *exinde gratias curationum* (id est curatores ægritudinum, verbum abstractum ponendo pro concreto) *opitulationes* (hoc est, opitulatores, ut erant œconomi Ecclesiarum) *gubernationes* (sive gubernatores, ut sunt Parochi.) *genera linguarum, interpretationes sermonum.* quæ omnia in Romana tam veteri, quàm hodierna Ecclesia exactissimè observantur. Nam *Apostolorum* loco in hanc usque diem nobis sunt Archiepiscopi & Episcopi nostri; Petri autem loco Episcopus Episcoporum, Pontifex Romanus. *Prophetæ* nostri sunt Sacerdotes legitimè ordinati ad prædicandum populo Verbum DEI. *Doctores* nostri sunt, Sacræ Scripturæ Enarratores, uti in prima Ecclesia fuere SS. Patres; in novissima S. Bernardus, S. Anselmus, S. Albertus M. S. Thomas de Aquino, S. Bonaventura, Hugo de S. Victore, Dionysius Carthus. S. Bruno & alij. Sed nec ij, quos S. Paulus, *Virtutes*, sive miraculorum patratores appellavit, defuere unquam Ecclesiæ Romanæ, quales his novissimis etiam temporibus fuere S. Bernardus, S. Dominicus, S. Antonius Paduanus, S. Vincentius Ferrerius, S. Franciscus de Paula, S. Franciscus Xaverius, & novissimè S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, plurimique alij, qui gratiâ curationũ admirabili erant præditi. Habes ergo in Ecclesia nostra Romana & Caput, & oculos, & Linguas, & manus, & pedes; distincta & discreta omnia; adeoq; pulcherrimũ & perfectissimum Corpus. Apud Reformatos contrà, sicut & apud Lutheranos (ubi omnes unum membrum, unus ordo sunt, scilicet Laicorum) Episcopus nullus, Presbyter nullus, Diaconus veri nominis nullus; miraculorum operator nullus, nullus ægritudinum curator, caput denique nullum, atque ita non Corpus est reperire apud ipsos, sed massam informem, horridam, monstrosam; qualis miserabilis ille Dagon Philistæorum fuit, 1. Reg. 5. ℣. ita descriptus: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: porro Dagon solus TRVNCVS remanserat in loco suo.* Verissimum & antiquissimum hæreseos

II. Qui Ecclesiæ Corpus descripsit, quale est Romanæ hodiernæ.

Contrà Corpus Sectariorum est Corpus Dagonis.

Dagon Hæreseos hieroglyphicum verissimum.

hiero-

IV. Vedrosius in SS. Patres apertè contumeliosus.

hieroglyphicum. Quid ad ista verò, quid ad Augustini & Epiphanij testimonium, inter hæreticos numerantium propterea Aërium, Vedrosius? *Vapulet*, inquit pag. 132. *& ab Augustino & ab Epiphanio Aërius. Affectibus suis, & consuetudinis Ecclesiasticæ præjudicio abrepti* (SS. Epiphanium & Augustinum intelligit) *nullo Scripturæ testimonio armati in ipsum insurgunt.* Vide, Lector, ut Sectarius Sectarium defendat, & erroris potiùs Augustinos ipsos & Epiphanios insimulet, qui erroris damnare Aërium sint ausi. Satis teipsum hoc dicto tuo refutasti, Vedrosi. Quæ ex Magistro sententiar. deinceps attulisti, primùm ex eo momentum non habent, quia non quæritur inter nos, quid privatus aliquis ultimorum seculorum Doctor, sed quid antiqua Ecclesia, & Doctores ipsius in commune de quæstione hac nostra senserint. Deinde quomodo Magister intelligendus sit, sicut & alij quidam, qui videntur presbyteros & Episcopos pares facere, dudum eruditè Card. Bellarm. declaravit L. 1. de Clericis, c. 14. toto, quem vide. Ad extremum ita habe, Vedrosi. Ego cum omnibus Catholicis SS. Augustinum & Epiphanium sequor; tu, si tibi decorum putas, Aërium sequere.

Magister sententiarum quomodo intelligendus

ARTICVLVS VIII.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa Sacramenta Ecclesiæ.

Dicamus primùm de duobus illis, quæ sola agnoscunt Sacramenta Reformati, nempe de Baptismo & Cœna Dominica.

§. I.

Errores circa Baptismum.

I. Pelagianizant hodierni Reformati, dum

1. Objecit Reformatis D. Georgius, Pelagianismum pag. 152. exemplo 9. in quo nimis molli eos brachio perstrinxit. Ego autem cum Card. Bellarmino assero: plùs quam Pelagiani sunt hodierni Reformati. nam Pelagiani parvulis non bapti-

baptizatis nunquam promiserunt ipsum regnum cœlorum, sive beatitudinem supernaturalem, sed tantùm naturalem quandam, cámque extra regnum cœlorum; Reformati autem his multò audaciores, ut Bellarminus loquitur l. 1. de Bapt. c. 4. ipsum regnum Cœlorum parvulis fidelium non baptizatis promittunt, sed sine ulla scriptura, & contra omnes auctores orthodoxos, ipsi primi hujus erroris auctores: nisi fortè Wiclevo hæresiarchæ Anglo primas velint concedere, qui idem videtur docuisse l. 4. Trial. c. 2. parvulis non baptizatis promittunt Cœlum. Imò plusquam Pelagianizant. Et cur?

II. Nec quicquam proficit Vedrosius, dum pag. 136. nobis Catholicorum doctrinas quasdam in contrarium opponit. & primò quidem eorum, qui Catechumenis nondum baptizatis, sed baptismum tamen desiderantibus, itémque martyribus, etsi priùs baptismo non tinctis, Cœlum nihilominus & beatitudinem cœlestem non negant. Ideo autem non negant Doctores Catholici, quia utrique habent baptismum in voto, quem *baptismum flaminis* nostri Theologi appellant, approbante etiam Kemnitio ipso Lutherano; quod sufficere sancta antiquitas existimavit. Ita S. Cypr. in lib. de Exhortatione Martyrii, ubi ait, *Martyrium etiam esse baptismum coram DEO, & quidem baptismo aquæ præstantiorem.* Item S. Ambros. serm. 3. in Ps. 118. S. Augustinus l. 13. de Civit. c. 7. & alibi. S. Cyrill. S. Nazianz. &c. quæ de parvulis dici non possunt. Martyrium Baptismo æquipollet juxta SS. Patres.

III. Objicit secundò doctrinam Ambrosij Catharini & Pighij, qui naturalem beatitudinem parvulis fidelium non baptizatis concedi posse existimant. Nihil hoc pro Vedrosio; qui æternam & supernaturalem beatitudinem illis largitur, quod Catholicorum Doctorum nemo. Quodsi Cajetanus alicubi dixit, ut eum citat Vedrosius pag. 137. sed malè: quia eo loco horũ nihil dicit: ad salutem parvulorum sufficere posse baptismum in voto parentum, singularis in hoc Cajetanus fuit. Aliud post Cajetanum definivit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. Hoc sequimur. Catharinus & Pighius nihil pro Vedrosio faciunt. Sed nec Cajetanus.

Sed miram præterea Vedrosii Theologiam percipe, oro, benevole Lector. Objicientibus nobis Catholicis illam clarissi-

mam Domini sententiam Joh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.* sequentem ad modum respondet, & explicat illam Vedrosius. *Non ibi agitur,* inquit, *de Baptismo externo, sed de regeneratione, quæ fit per Spiritum sanctum, quâ quis renatus est ex aqua & Spiritu, id est, ex aqua illa, de qua Dominus etiam agit Joan. 4. 10.* Negat itaque Vedrosius agi hoc loco de Baptismo aquæ, contra totam sanctam antiquitatem, cujus Doctores omnes hæc verba Christi de Baptismo aquæ intellexerunt, ita vel in re, vel in voto, ad salutem necessario, ut ob defectum hujus in aqua Baptismi parvulos à cœlesti regno omnes orthodoxi Doctores excluserint. Audi unum, Augustinum Serm. 14. de verbis Apost. *Audi Evangelium,* inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex AQVA & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Cælorum. Domini sententia est: huic non resistit, nisi qui Christianus non est.* Ita Sanctus. Qualis ergo Vedrosius, qui resistit? Adhæc inepta prorsus est hæc Vedrosij interpretatio. Si enim per aquam in hac sententia Christi non aqua naturalis, sed aqua spiritualis, sive mystica intelligitur, de qua Christus Joan. 4. v. 10. & Joan. 7. sequitur sententia prorsus nugatoria, scilicet talis: Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, & ex Spiritu sancto, non intrabit in regnũ Cœlorum. Nam aquâ illâ, de qua Christus Dominus Joannis 4. & Joan. 7. v. 38. & 29. Spiritus sanctus, ipso Joanne interprete, significabatur. *Qui credit in me,* ait Salvator, *de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Addit autem Joannes: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ecce in quas turpitudines incurrant, qui relicto sensu Catholico, uti hic Vedrosius, suum sensum sequuntur.

Vedrosius verba Christi depravat

Tautologiam affingit Christo.

Denique quid dicis, Vedrosi, ad hanc S. Augustini sententiam, quâ libenter hanc controversiam nostram velut obsigno. Ita autem scribit in Epistola 20. ad S. Hieron.

Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam

Et totam Ecclesiam juxta S. Augustinum condemnat

fiam, ubi (in Ecclesia nimirum) *propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur,* NB. *quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.* Hæc sanctus. apud vos autem Reformatos, uti omnibus notum est, nec curritur cum parvulis, nec festinatur ad Baptismum, sed commodum Reformatorum Ministris tempus, & fermè dies Dominica, ut intelligo, quasi otiosè exspectatur, atque ita per hebdomadem reliquam, sine Baptismo multa parvulorum millia emori sinuntur, æterno Animularum illarum damno, sed & vestro; O Reformati Ministri, quia illas de manibus vestris olim DEUS severissimè, ne dubitate, requiret. Et hæc de plùs quàm Pelagianismo Reformatorum.

Alter turpissimus, & Christo ipsi Domino injuriosissimus error Reformatorum, circà Baptismum est, quòd per Baptismum peccata non tollantur, sed solùm tegantur, & non imputentur. Ita Calvin. in antidoto Conc. Trid. sess. 5. ubi ait: *Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Idem sed tectissimis & obscurissimis verbis Vedrosius docet, pag. 138. *Peccatum in Baptismo tolli sacramentaliter & obsignativè, quemadmodum in justificatione, quoad reatum; & in sanctificatione, quoad dominium, idest, realiter & effectivè.* Quid novæ istæ Theologicæ Phrases sibi volunt? cur non apertè dicis cum Calvino: Peccatum verè manet in nobis, neque per Baptismum statim extinguitur? an quia erubescis?

Est enim doctrina hæc jam cana & antiquissima Hæresis quorundam Origenistarum, teste S. Epiph. hæresi. 64. *Peccata non tolli per Baptismum, sed solùm tegi*; quæ est ipsissima doctrina Calvini. Eâdem hæresi infecti fuerunt Messaliani, teste Theodoreto l. 4. de fabulis hæreticorum. Ecce majores vestros, ecce antiquitatem doctrinæ Reformatæ! Omitto alios circà Baptismum errores Reformatorum, ut est abolitio omnium rituum antiquorum circà baptizatos exerceri solitorũ, qualis est chrismatis inunctio, quam cum Novatianis hæreticis abrogârunt, de quibus Theodoretus

Etiam origenistarum & Messalianorum errore laborant Reformati.

retus l. 3. de fabul. hæret. item abolitio exorcismi, & renuntiationis diabolo fieri solitæ &c.

§. II.

Errores circa Cœnam Dominicam.

V. Antiquissima hæresis est, præsentiam Christi in Eucharistia negare.

I. Realem præsentiam Christi in SS. Eucharistia negant. Omnium hæc antiquissima hæresis est, jam tempore Salvatoris nostri exorta, Capharnaitarum, dicentium: *Quomodo hîc potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* Joan. 6. Quid aliud verò dicunt Reformati? Item Simonis Magi, & Menandri, teste S. Ignatio Mart. apud Theodoretum Dialogo 3. Item Armeniorum, sub annum Domini 600. qui in SS. Eucharistia nil nisi signum corporis & sanguinis Christi adesse contra totam Ecclesiam docebant, teste Euthymio part. 2. Panopliæ tit. 20. qui est ipsissimus error Reformatorum.

Missam etiam Manichæi negabant. Ex S. Aug.

II. Error. Missam abolent Reformati, ceu Judaicum & Ethnicum ritum, quoad aras, sacerdotes, ceremonias, ut ipse quoque Vedrosius innuit pag. 139. ex suo Drelincourtio. Idem fecerunt Manichæi hæretici, tempore S. Augustini; Unde ex illa fœce Manichæa tumidus ille Faustus ita apud S. Augustinum l. 20. contra Faustum, c. 20. loquitur: *Pagani aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso DEVM colendum putant: Ego ab hoc quoque multùm diversus incedo.* vult dicere. neque aras, neque templa, neque Imagines, neque sacrificium, neque incensum nos Manichæi habemus aut ferimus, uti Judæorum, & gentilium more vos Catholici habetis. unde paulò pòst Catholicos ob eorum templa, aras, sacrificia, & incensum Judæis confert, & utrosque schismata vocat Gentilitatis. Eadem omnia nobis Reformati exprobrant, hujus temporis Manichæi.

VI. Quo Magistro & incentore: Missam rejiciant Reformati.

Neque proficit quidquam D. Vedrosius, dum iis, quæ attulit D. Georgius exemplo 12. & 13. pag. 155. & seqq. ita respondet pag. 138. & seqq. *Missam rejicimus*, inquit, *non à Manichæis* (quorum ætate res erat inaudita) *sed à IESV Christo, Magistro nostro unico* (adverte pietatem Vedrosii) *edocti, qui sacram Cœnam instituturus mensæ assidens accepit panem &c.* Imò Angelo illo

illo atro Magistro, qui Zvvinglio vestro se objecit, prout confitetur ipse, non Christo Magistro, Missam rejicitis.

Quòd addis autem de Christo mensæ assidente, accipiente panem in manus, gratias agente, frangente, dantéque discipulis cum dicto: *Accipite & comedite &c.* quo putas te probare, nullum hic sacrificium, nullam missam intervenisse, frustra hæc obgannis. Prima omnino Missa, sive Sacrificium Missæ, in ultima Cœna, consensu SS. Doctorum celebrata est. Hic Christus Dominus, aut nullibi, illud Davidicum, imò cœlestis Patris oraculum ore Davidico fusum implevit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* quando enim alibi *secundùm ordinem Melchisedech* Panem & vinum, ut Sacerdos obtulit, adeóque sacrificavit ad morem Melchisedech, si in ultima illa cœna, dum acciperet panem ac vinum in manus, elevatis in cœlum oculis, si hîc, inquam, non obtulit? Quod non mihi id asserenti, sed sanctæ & orthodoxæ antiquitati ita constantissimè docenti credet Lector meus. Tria illustria loca ex S. Augustino habes apud D. Georgium, Rat. 3. pag. 54. agens enim S. Doctor in l. 16. c. 22. de Civit. de Sacrificio Melchisedechi coram Abraham peracto ita scribit: *Ibi primum apparuit sacrificium* (scilicet in illa Melchisedechi oblatione) *quod nunc à Christianis offertur DEO, toto orbe terrarum, impletúrque illud: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* quæ verba etiam idcirco peculiariter notanda, quia Vedrosium falsitatis convincunt, scribere ausum: *Manichæorum ætate Missa res erat inaudita.* Si inaudita, quomodo ergo illâ ipsâ ætate, scribere ausus est Augustinus: *Quod* NUNC (NB. *nunc*, hoc ipso scilicet tempore & ætate) *à Christianis offertur DEO toto orbe terrarum?* An enim locutus hîc tibi videtur Augustinus in sensu Calvinistico, de Sacrificio Cruento, scilicet Crucis, quod vos solum agnoscitis? Ergo Christus tempore Augustini in singulis Christianorum Ecclesiis, ante oculos fidelium, de novo in Crucem cruento modo sublatus & confossus est? Cœnam, inquit, Dominicam intellexit, toto orbe celebratam. Atqui Au-

VII.

Christus D. in ultima Cœna sacrificavit, idque secundùm ordinem Melchisedech.

Ut disertè docuerunt præter S. Augustinum alij Patres.

gustinus sacrificium vocat toto orbe terrarum offerri solitum. ergo aliud præter Cœnam Dominicam intellexit, quod non comederetur solùm, sed & offerretur. Quodsi S. Augustinus in testem hujus rei non sufficit, quòd scilicet in ultima Cœna Christus D. verè *secundùm ordinem Melchisedech* sacrificârit priùs panem consecratum ac vinum; & postea primùm distribuerit, vide vetustissimos Sanctos Patres & Doctores apud Card. Bell. l. 1. de Missa c. 6.

VIII. Quòd autem triumphantis in modum subjungit Vedrosius: Si prima missa, id est, primum sacrificium, Christianum, â Christo ipso in Cœna ultima oblatum est, *ubi altare? ubi Imagines? ubi hostia? ubi elevatio? ubi adoratio? ubi cerei? &c.* Ad quæ ego aliud nihil, nisi ut vicissim quæram: Ubi ratio tua, Vedrosi? ubi intellectus? ubi sensus hominis? ubi prudentia? ubi providentia tua? An non providere poteras, risuros Catholicos has tuas tam frivolas interrogatiunculas, & responsuros continuò, sacrificium, quod in Cœna ultima, juxta ordinem Melchisedech, Christus D. obtulit, quoad substantiam, sive partes suas essentiales idem prorsus esse cum illo, quod deinceps primis quingentis, & modò his postremis quingentis seculis, toto orbe terrarum, juxta prophetiam Malachiæ c. 1. ℣. 11. jugiter DEO Trino & Uni immolatum est, & immolatur? In aliis autem ad substantiam, sive essentiam hujus Sacrificij non pertinentibus, sine ullo Sacrificij hujus Sanctissimi præjudicio, diversum esse. Et verò statim ipsis Apostolorum temporibus additum aliquid est rituum & ceremoniarum, quæ in prima illa ultimæ Cœnæ missa adhibitæ non fuerunt. Constat enim SS. Apostolos consecrationi hostiæ hujus salutaris præmisisse, atque ita addidisse orationem Dominicam, de qua in ultima Christi D. Cœna nihil legimus, ut de aliis ritibus sileamus. Quid ergo se fatigat Vedrosius tot inutilibus interrogatiunculis: ubi fuerit ara? ubi Imagines? ubi hostia? &c. Quòd si etiam hoc tam effictim scire cupit, aio, Mensam illam, in qua Christus D. *secundùm ordinem Melchisedech* Panem & vinum conœcra-

Inanes interrogatiunculæ Vedrosij.

Quid ad illas respondeant Catholici.

secrata obtulit, altare fuisse. Nihil enim est altare aliud, quàm locus, in quo sacrificium offertur, ein Opfferstatt / ut Græcum verbum, θυσιαςήριον manifestè indicat, uti jam suprà audivimus. Mensa itaque illa, altare erat. Imago fuit, ipsemet Christus Dominus, speciosus ille formâ præ filiis hominum. deinde quàm futile est, in illa mensa Eucharistica Christi, Imaginem aliquam Sancti cum Christo regnantis requirere, cùm Christus D. ipse adhuc viator esset? Hostia, quam requiris, fuit Panis ille benedictus, quem Salvator in manus sumpsit & consecravit, ac fregit; unde hodiéque post millenos annos Panis ejusmodi aut consecrandus, aut jam consecratus *Hostia* vocatur. Vis plura? non existimo. quare ad alia progrediamur.

§. III.

Errores Reformatorum de Reliquis Sacramentis Ecclesiæ.

I. Sacrosanctum Chrismatis Sacramentum, quod nos Catholici etiam *Sacramentum Confirmationis* appellamus, & secundo loco ponimus, penitus aboleverunt Reformati, ut notum est omnibus. Ejusdem sensûs fuerunt antiqui hæretici, ab hoste humani generis eôdem impulsi. Nam Novatiani, teste Theodoreto l. 3. *hæreticarum fabularum, in Novato*, sacro chrismate baptizatos non inungebant. Idem Arriani neglexerunt & contempserunt. unde ab iis reversi ad Catholicos, sacro chrismate sunt inuncti, ut patet ex Synodi Arelatensis 2. canone 17. & Concilii I. Generalis Constantinopol. Can. 7. Ejusdem impietatis fuerunt Donatistæ, hæretici Africani, tempore S. Augustini, ut testatur Optatus Milevitanus l. 2. contra Parmenianum. habetis iterum Majores vestros, vos Reformati Ministri. IX.

Novatiani & ipsi Sacramentũ Confirmationis rejecerunt.

Item Donatistæ.

II. Pœnitentiæ Sacramentum numero Sacramentorum excludunt quoque Reformati, & Confessionem auricularem proscribunt. Et Calvinus quidem supra omnes veteres sectarios huic sacramento infestus ita scribit l. 4. Instit. c. 19. §. 17. *Quacumque*

Pœnitentiæ Sacramentum rejicit Calvinus, non

Sine contumelia in S. Hieronymum. *cumque in parte Sacramentum posuerint, nego jure haberi pro Sacramento; & mendacium ac imposturæ fuit, quod de Sacramento Pœnitentiæ commenti sunt. Ementitum hoc Sacramentum egregio ornarunt elogio, dicentes, secundam esse post naufragium tabulam. Sed dictum est Hieronymi* (objicit sibi ipse Calvinus, & respondet) *cujuscumque sit, quin planè impium sit, excusari nequit.* Ita Calvinus; impietatem sanctissimo Ecclesiæ Doctori Hieronymo objiciens, quòd hoc verissimo elogio Pœnitentiæ sacramentum ornaverit. Quis autem hæreticum spiritum, supra omnes se efferentem, & Sanctos quoque præ se temnentem hîc non agnoscat?

X. Idem rejecerunt olim Novatiani.

Eâdem hæresi jam olim quoque in prima Ecclesia laborarunt Novatiani, soli DEO remissionem peccatorum committentes, absque confessione Sacerdotibus facta; quibus omnem potestatem absolvendi à peccatis, quantumvis confessos & contritos peccatores, abrogabant. Ita testantur ex SS. PP. S. Cyprianus l. 4. epist. 2. aut secundùm recentiorem editionem epist. 52. & S. Ambros. l. 4. de Pœnit. c. 2. ex Historicis autem Socrates l. 4. c. 23. & Eusebius l. 6. mihi cap. 43. aliis c. 39. sunt enim Editiones diversæ. Habemus iterum Majores Reformatorum, posteris suis tamen modestiores. nusquam enim Pœnitentiæ Sacramentum *mendacij & imposturæ, ac impietatis* nomine leguntur infestare, ut Calvinus fecit.

XI. Extremam Unctionē etiam Eutychiani abrogarūt.

III. Sacramentum Extremæ unctionis quantumvis à S. Jacobo Apostolo commendatum & imperatum, in numerum Sacramentorum non solùm non admittunt, sed neque ut ritum Ecclesiæ veterem retinent; sed abolent penitus, ingenti animarum damno Reformati. Idem senserunt & egerunt ex vetustis hæreticis *Armenij*, teste Guidone, in hæresi 21. Armeniorum, sub annum 600. ex posterioribus autem *VValdenses*, teste eodem Guidone, & *Albigenses* teste S. Antonino tit. XI. sumæ, c. 7.

Item Waldenses, Lollardi &c.

Item *Lollardi*, crassissimi hæretici illi, qui interrogati; quid de extrema unctione sentirent, & crederent, responderunt, credere se olera, quantò magis oleo sint condita, tantò esse meliora, teste Trithemio in Chron. ad ann. 1315. Ex his Armenij fue-

runt

runt omnium deterrima Eutychianorum soboles. Habes rursum avos & proavos Reformatorum.

IV. Sacramentum Ordinis rejiciunt hoc ipso Reformati, quia in suis Catechismis passim omittunt, & solum Baptismũ & Cœnam Dominicam pro Sacramentis recipiunt, etsi inclinarit in eam sententiam Calvinus, ut pro Sacramento recipiatur, ridiculè quidem, postquam omnes Episcopos eliminavit, à quibus solis Sacramentum Ordinis conferri potest. In hac quoque hæresi antecessores habent antiquos hæreticos Messalianos, teste S. Joanne Damasceno de hæres. negantes, Clericos in ordinationibus suis Spiritum S. accipere; quibus junge ex posterioribus sectariis Tandemum illum Antverpiensem hæreticum, quem S. Norbertus sub annum 1140. prostravit, ut habet auctor vitæ S. Norbert. c. 34. & appendix Sigeberti. Hos omnes tanquam hæreticos condemnat illa S. Augustini sententia l. 2. c. 13. contra epist. Parmen. ubi Baptismum Ordini conjungens, sine ulla dubitatione, ex sensu totius tunc florentis Ecclesiæ affirmat: *Vtrumque Sacramentum est* (scilicet & Baptismus & Ordo) *& quadam consecratione utrumque homini datur.* XII.

Sacramentum Ordinis ante Reformatos negarunt etiam Messaliani, & Tandemus.

V. Rejiciunt & Matrimonium, & Sacramenti honore, contra totam veterem & sanctam Ecclesiam, non dignantur. Idem senserunt & docuerunt Eutychiani illi, qui & Armenij dicti sunt, deterrima scilicet Eutychianorum soboles, de quibus Gualterius in Chron. pag. 548. *His Armeniis*, inquit, *non alia deterior, aut nequior Eutychianorum soboles*; quorum ex iis 32. hæreses recenset. de his multa Nicephorus l. 18. & ex Recentioribus Alphonsus Zamerensis, in cap. de Matrim. Quis neget iterum, antiquissimam esse Fidem Reformatorum? A mille enim & multò pluribus annis doctrinas suas, quæ de Sacramentis sunt, arcessere valent; sed an etiam volent? XIII.

Matrimonium è numero Sacramentorum etiam Armenij ejecerunt.

ARTICVLVS IX.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa Verbum DEI, sive Scripturam Sacram.

IV. Vedrosius in SS. Patres apertè contumeliosus.

hieroglyphicum. Quid ad ista verò, quid ad Augustini & Epiphanij testimonium, inter hæreticos numerantium propterea Aërium, Vedrosius? *Vapulet*, inquit pag. 132. *& ab Augustino & ab Epiphanio Aërius. Affectibus suis, & consuetudinis Ecclesiasticæ præjudicio abrepti* (SS. Epiphanium & Augustinum intelligit) *nullo Scripturæ testimonio armati in ipsum insurgunt.* Vide, Lector, ut Sectarius Sectarium defendat, & erroris potiùs Augustinos ipsos & Epiphanios insimulet, qui erroris damnare Aërium sint ausi. Satis teipsum hoc dicto tuo refutasti, Vedrosi. Quæ ex Magistro sententiar. deinceps attulisti, primùm ex eo momentum non habent, quia non quæritur inter nos, quid privatus aliquis ultimorum seculorum Doctor, sed quid antiqua Ecclesia, & Doctores ipsius in commune de quæstione hac nostra senserint. Deinde quomodo Magister intelligendus sit, sicut & alij quidam, qui videntur presbyteros & Episcopos pares facere, dudum eruditè Card. Bellarm. declaravit L. 1. de Clericis, c. 14. toto, quem vide. Ad extremum ita habe, Vedrosi. Ego cum omnibus Catholicis SS. Augustinum & Epiphanium sequor; tu, si tibi decorum putas, Aërium sequere.

Magister sententiarum quomodo intelligendus

ARTICVLVS VIII.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa Sacramenta Ecclesiæ.

Dicamus primùm de duobus illis, quæ sola agnoscunt Sacramenta Reformati, nempe de Baptismo & Cœna Dominica.

§. I.

Errores circa Baptismum.

I. Pelagianizant hodierni Reformati, dum

1. Objecit Reformatis D. Georgius, Pelagianismum pag. 152. exemplo 9. in quo nimis molli eos brachio perstrinxit. Ego autem cum Card. Bellarmino assero: plùs quam Pelagiani sunt hodierni Reformati. nam Pelagiani parvulis non bapti-

baptizatis nunquam promiserunt ipsum regnum cœlorum, sive beatitudinem supernaturalem, sed tantùm naturalem quandam, cámque extra regnum cœlorum; Reformati autem his multò audaciores, ut Bellarminus loquitur l. 1. de Bapt. c. 4. ipsum regnum Cœlorum parvulis fidelium non baptizatis promittunt, sed sine ulla scriptura, & contra omnes auctores orthodoxos, ipsi primi hujus erroris auctores: nisi fortè Wiclevo hæresiarchæ Anglo primas velint concedere, qui idem videtur docuisse l. 4. Trial. c. 2.

parvulis non baptizatis promittunt Cœlum.

Imò plusquam Pelagianizant. Et cur?

II.

Nec quicquam proficit Vedrosius, dum pag. 136. nobis Catholicorum doctrinas quasdam in contrarium opponit. & primò quidem eorum, qui Catechumenis nondum baptizatis, sed baptismum tamen desiderantibus, itémque martyribus, etsi priùs baptismo non tinctis, Cœlum nihilominus & beatitudinem cœlestem non negant. Ideo autem non negant Doctores Catholici, quia utrique habent baptismum in voto, quem *baptismum flaminis* nostri Theologi appellant, approbante etiam Kemnitio ipso Lutherano; quod sufficere sancta antiquitas existimavit. Ita S. Cypr. in lib. de Exhortatione Martyrii, ubi ait, *Martyrium etiam esse baptismum coram DEO, & quidem baptismo aquæ præstantiorem.* Item S. Ambros. serm. 3. in Ps. 118. S. Augustinus l. 13. de Civit. c. 7. & alibi. S. Cyrill. S. Nazianz. &c. quæ de parvulis dici non possunt.

Martyrium Baptismo æquipollet juxta SS. Patres.

III.

Objicit secundò doctrinam Ambrosij Catharini & Pighij, qui naturalem beatitudinem parvulis fidelium non baptizatis concedi posse existimant. Nihil hoc pro Vedrosio; qui æternam & supernaturalem beatitudinem illis largitur, quod Catholicorum Doctorum nemo. Quodsi Cajetanus alicubi dixit, ut eum citat Vedrosius pag. 137. sed malè: quia eo loco horũ nihil dicit: ad salutem parvulorum sufficere posse baptismum in voto parentum, singularis in hoc Cajetanus fuit. Aliud post Cajetanum definivit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. Hoc sequimur.

Catharinus & Pighius nihil pro Vedrosio faciunt.

Sed nec Cajetanus.

Sed miram præterea Vedrosij Theologiam percipe, oro, benevole Lector. Objicientibus nobis Catholicis illam clarissimam

nam Domini sententiam Joh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.* sequentem ad modum respondet, & explicat illam Vedrosius. *Non ibi agitur,* inquit, *de Baptismo externo, sed de regeneratione, quæ fit per Spiritum sanctum, quâ quis renatus est ex aqua & Spiritu, id est, ex aqua illa, de qua Dominus etiam agit Joan. 4. 10.* Negat itaque Vedrosius agi hoc loco de Baptismo aquæ, contra totam sanctam antiquitatem, cujus Doctores omnes hæc verba Christi de Baptismo aquæ intellexerunt, ita vel in re, vel in voto, ad salutem necessario, ut ob defectum hujus in aqua Baptismi parvulos à cœlesti regno omnes orthodoxi Doctores exclüserint. Audi unum, Augustinum Serm. 14. de verbis Apost. *Audi Evangelium,* inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA *& Spiritu sancto, non intrabit in regnum Cælorum. Domini sententia est: huic non resistit, nisi qui Christianus non est.* Ita Sanctus. Qualis ergo Vedrosius, qui resistit? Adhæc inepta prorsus est hæc Vedrosij interpretatio. Si enim per aquam in hac sententia Christi non aqua naturalis, sed aqua spiritualis, sive mystica intelligitur, de qua Christus Joan. 4. v. 10. & Joan. 7. sequitur sententia prorsus nugatoria, scilicet talis: Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, & ex Spiritu sancto, non intrabit in regnũ Cœlorum. Nam aquâ illâ, de qua Christus Dominus Joannis 4. & Joan. 7. v. 38. & 29. Spiritus sanctus, ipso Joanne interprete, significabatur. *Qui credit in me,* ait Salvator, *de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Addit autem Joannes: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ecce in quas turpitudines incurrant, qui relicto sensu Catholico, uti hic Vedrosius, suum sensum sequuntur.

Vedrosius verba Christi depravat

Tautologiam affingit Christo.

Denique quid dicis, Vedrosi, ad hanc S. Augustini sententiam, quâ libenter hanc controversiam nostram velut obsigno. Ita autem scribit in Epistola 20. ad S. Hieron.

Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur, etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam

Et totam Ecclesiam juxta S. Augustinum condemnat

siam, ubi (in Ecclesia nimirum) *propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur,* NB. *quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.* Hæc sanctus. apud vos autem Reformatos, uti omnibus notum est, nec curritur cum parvulis, nec festinatur ad Baptismum, sed commodum Reformatorum Ministris tempus, & fermè dies Dominica, ut intelligo, quasi otiosè exspectatur, atque ita per hebdomadem reliquam, sine Baptismo multa parvulorum millia emori sinuntur, æterno Animularum illarum damno, sed & vestro; O Reformati Ministri, quia illas de manibus vestris olim DEUS severissimè, ne dubitate, requiret. Et hæc de plùs quàm Pelagianismo Reformatorum.

Alter turpissimus, & Christo ipsi Domino injuriosissimus error Reformatorum, circà Baptismum est, quòd per Baptismum peccata non tollantur, sed solùm tegantur, & non imputentur. Ita Calvin. in antidoto Conc. Trid. sess. 5. ubi ait: *Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Idem sed tectissimis & obscurissimis verbis Vedrosius docet, pag. 138. *Peccatum in Baptismo tolli sacramentaliter & obsignativè, quemadmodum in justificatione, quoad reatum; & in sanctificatione, quoad dominium, id est, realiter & effectivè.* Quid novæ istæ Theologicæ Phrases sibi volunt? cur non apertè dicis cum Calvino: Peccatum verè manet in nobis, neque per Baptismum statim extinguitur? an quia erubescis?

Etiam originistarum & Messalianorum errore laborant Reformati.

Est enim doctrina hæc jam cana & antiquissima Hæresis quorundam Origenistarum, teste S. Epiph. hæresi. 64. *Peccata non tolli per Baptismum, sed solùm tegi*; quæ est ipsissima doctrina Calvini. Eâdem hæresi infecti fuerunt Messaliani, teste Theodoreto l. 4. de fabulis hæreticorum. Ecce majores vestros, ecce antiquitatem doctrinæ Reformatæ! Omitto alios circà Baptismum errores Reformatorum, ut est abolitio omnium rituum antiquorum circà baptizatos exerceri solitorū, qualis est chrismatis inunctio, quam cum Novatianis hæreticis abrogârunt, de quibus Theodoretus

retus l. 3. de fabul. hæret. item abolitio exorcismi, & renuntiationis diabolo fieri solitæ &c.

§. II.

Errores circa Cœnam Dominicam.

V.

Antiquissima hæresis est, præsentiam Christi in Eucharistia negare.

I. Realem præsentiam Christi in SS. Eucharistia negant. Omnium hæc antiquissima hæresis est, jam tempore Salvatoris nostri exorta, Capharnaitarum, dicentium: *Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* Joan. 6. Quid aliud verò dicunt Reformati? Item Simonis Magi, & Menandri, teste S. Ignatio Mart. apud Theodoretum Dialogo 3. Item Armeniorum, sub annum Domini 600. qui in SS. Eucharistia nil nisi signum corporis & sanguinis Christi adesse contra totam Ecclesiam docebant, teste Euthymio part. 2. Panopliæ tit. 20. qui est ipsissimus error Reformatorum.

Missam etiam Manichæi negabant. Ex S. Aug.

II. Error. Missam abolent Reformati, ceu Judaicum & Ethnicum ritum, quoad aras, sacerdotes, ceremonias, ut ipse quoque Vedrosius innuit pag. 139. ex suo Drelincourtio. Idem fecerunt Manichæi hæretici, tempore S. Augustini; Unde ex illa fœce Manichæa tumidus ille Faustus ita apud S. Augustinum l. 20. contra Faustum, c. 20. loquitur: *Pagani aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso DEUM colendum putant: Ego ab hoc quoque multùm diversus incedo.* vult dicere. neque aras, neque templa, neque Imagines, neque sacrificium, neque incensum nos Manichæi habemus aut ferimus, uti Judæorum & gentilium more vos Catholici habetis. unde paulò pòst Catholicos ob eorum templa, aras, sacrificia, & incensum Judæis confert, & utrosque schismata vocat Gentilitatis. Eadem omnia nobis Reformati exprobrant, hujus temporis Manichæi.

VI.

Quo Magistro & incentore: Missam rejiciant Reformati.

Neque proficit quidquam D. Vedrosius, dum iis, quæ attulit D. Georgius exemplo 12. & 13. pag. 155. & seqq. ita respondet pag. 138. & seqq. *Missam rejicimus*, inquit, *non à Manichæis* (quorum ætate res erat inaudita) *sed à JESU Christo, Magistro nostro unico*, (adverte pietatem Vedrosij) *edocti, qui sacram Cœnam instituturus mensæ assidens accepit panem &c.* Imò Angelo

illo

illo atro Magistro, qui Zvvinglio vestro se objecit, prout confitetur ipse, non Christo Magistro, Missam rejicitis.

VII.

Quòd addis autem de Christo mensæ assidente, accipiente panem in manus, gratias agente, frangente, dantéque discipulis cum dicto: *Accipite & comedite &c.* quo putas te probare, nullum hic sacrificium, nullam missam intervenisse, frustra hæc obgannis. Prima omnino Missa, sive Sacrificium Missæ, in ultima Cœna, consensu SS. Doctorum celebrata est. Hic Christus Dominus, aut nullibi, illud Davidicum, imò cœlestis Patris oraculum ore Davidico fusum implevit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* quando enim alibi *secundùm ordinem Melchisedech* Panem & vinum, ut Sacerdos obtulit, adeóque sacrificavit ad morem Melchisedech, si in ultima illa cœna, dum acciperet panem ac vinum in manus, elevatis in cœlum oculis, si hîc, inquam, non obtulit? Quod non mihi id asserenti, sed sanctæ & orthodoxæ antiquitati ita constantissimè docenti credet Lector meus. Tria illustria loca ex S. Augustino habes apud D. Georgium, Rat. 3. pag. 54. agens enim S. Doctor in l. 16. c. 22. de Civit. de Sacrificio Melchisedechi coram Abraham peracto ita scribit: *Ibi primum apparuit sacrificium* (scilicet in illa Melchisedechi oblatione) *quod nunc à Christianis offertur DEO, toto orbe terrarum, impletúrque illud: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* quæ verba etiam idcirco peculiariter notanda, quia Vedrosium falsitatis convincunt, scribere ausum: *Manichæorum ætate Missa res erat inaudita.* Si inaudita, quomodo ergo illâ ipsâ ætate, scribere ausus est Augustinus: *Quod* NUNC (NB. *nunc*, hoc ipso scilicet tempore & ætate) *à Christianis offertur DEO toto orbe terrarum?* An enim locutus hîc tibi videtur Augustinus in sensu Calvinistico, de Sacrificio Cruento, scilicet Crucis, quod vos solum agnoscitis? Ergo Christus tempore Augustini in singulis Christianorum Ecclesiis, ante oculos fidelium, de novo in Crucem cruento modo sublatus & confossus est? Cœnam, inquit, Dominicam intellexit, toto orbe celebratam. Atqui Augusti-

Christus D. in ultima Cœna sacrificavit, idque secundùm ordinem Melchisedech.

Ut disertè docuerunt præter S. Augustinum alij Patres.

gustinus sacrificium vocat toto orbe terrarum offerri solitum, ergo aliud præter Cœnam Dominicam intellexit, quod non comederetur solùm, sed & offerretur. Quodsi S. Augustinus in testem hujus rei non sufficit, quòd scilicet in ultima Cœna Christus D. verè *secundùm ordinem Melchisedech* sacrificârit priùs panem consecratum ac vinum; & postea primùm distribuerit, vide vetustissimos Sanctos Patres & Doctores apud Card. Bell. l. 1. de Missa c. 6.

VIII. Quòd autem triumphantis in modum subjungit Vedrosius: Si prima missa, id est, primum sacrificium, Christianum à Christo ipso in Cœna ultima oblatum est, *ubi altare? ubi Imagines? ubi hostia? ubi elevatio? ubi adoratio? ubi cerei? &c.* Ad quæ ego aliud nihil, nisi ut vicissim quæram: Ubi ratio tua, Vedrosi? ubi intellectus? ubi sensus hominis? ubi prudentia? ubi providentia tua? An non providere poteras, risuros Catholicos has tuas tam frivolas interrogatiunculas, & responsuros continuò, sacrificium, quod in Cœna ultima, juxta ordinem Melchisedech, Christus D. obtulit, quoad substantiam, sive partes suas essentiales idem prorsus esse cum illo, quod deinceps primis quingentis, & modò his postremis quingentis seculis, toto orbe terrarum, juxta prophetiam Malachiæ c. 1. ℣. 11. jugiter DEO Trino & Uni immolatum est, & immolatur? In aliis autem ad substantiam, sive essentiam hujus Sacrificij non pertinentibus, sine ullo Sacrificij hujus Sanctissimi præjudicio, diversum esse. Et verò statim ipsis Apostolorum temporibus additum aliquid est rituum & ceremoniarum, quæ in prima illa ultimæ Cœnæ missa adhibitæ non fuerunt. Constat enim SS. Apostolos consecrationi hostiæ hujus salutaris præmisisse, atque ita addidisse orationem Dominicam, de qua in ultima Christi D. Cœna nihil legimus, ut de aliis ritibus sileamus. Quid ergo se fatigat Vedrosius tot inutilibus interrogatiunculis: ubi fuerit ara? ubi Imagines? ubi hostia? &c. Quòd si etiam hoc tam efflictim scire cupit, aio, Mensam illam, in qua Christus D. *secundùm ordinem Melchisedech* Panem & vinum con-

Inanes interrogatiunculæ Vedrosij.

Quid ad illas respondeant Catholici.

secrata obtulit, altare fuisse. Nihil enim est altare aliud, quàm locus, in quo sacrificium offertur, ein Opfferstatt / ut Græcum verbum, θυσιαστήριον manifestè indicat, uti jam suprà audivimus. Mensa itaque illa, altare erat. Imago fuit, ipsemet Christus Dominus, speciosus ille formâ præ filiis hominum. deinde quàm futile est, in illa mensa Eucharistica Christi, Imaginem aliquam Sancti cum Christo regnantis requirere, cùm Christus D. ipse adhuc viator esset? Hostia, quam requiris, fuit Panis ille benedictus, quem Salvator in manus sumpsit & consecravit, ac fregit; unde hodiéque post millenos annos Panis ejusmodi aut consecrandus, aut jam consecratus *Hostia* vocatur. Vis plura? non existimo. quare ad alia progrediamur.

§. III.

Errores Reformatorum de Reliquis Sacramentis Ecclesiæ.

I. Sacrosanctum Chrismatis Sacramentum, quod nos Catholici etiam *Sacramentum Confirmationis* appellamus, & secundo loco ponimus, penitus aboleverunt Reformati, ut notum est omnibus. Ejusdem sensûs fuerunt antiqui hæretici, ab hoste humani generis eôdem impulsi. Nam Novatiani, teste Theodoreto l. 3. *hæreticarum fabularum, in Novato*, sacro chrismate baptizatos non inungebant. Idem Arriani neglexerunt & contempserunt. unde ab iis reversi ad Catholicos, sacro chrismate sunt inuncti, ut patet ex Synodi Arelatensis 2. canone 17. & Concilii I. Generalis Constantinopol. Can. 7. Ejusdem impietatis fuerunt Donatistæ, hæretici Africani, tempore S. Augustini, ut testatur Optatus Milevitanus l. 2. contra Parmenianum. habetis iterum Majores vestros, vos Reformati Ministri. IX.

Novatiani & ipsi Sacramentũ Confirmationis rejecerunt.

Item Donatistæ.

II. Pœnitentiæ Sacramentum numero Sacramentorum excludunt quoque Reformati, & Confessionem auricularem proscribunt. Et Calvinus quidem supra omnes veteres sectarios huic sacramento infestus ita scribit l. 4. Instit. c. 19. §. 17. *Quacumque*

Pœnitentiæ Sacramentum rejicit Calvinus, non

runt omnium deterrima Eutychianorum soboles. Habes rursum avos & proavos Reformatorum. XI

IV. Sacramentum Ordinis rejiciunt hoc ipso Reformati, quia in suis Catechismis passim omittunt, & solum Baptismũ & Cœnam Dominicam pro Sacramentis recipiunt, etsi inclinarit in eam sententiam Calvinus, ut pro Sacramento recipiatur, ridiculè quidem, postquam omnes Episcopos eliminavit, à quibus solis Sacramentum Ordinis conferri potest. In hac quoque hæresi antecessores habent antiquos hæreticos Messalianos, teste S. Joanne Damasceno de hæres. negantes, Clericos in ordinationibus suis Spiritum S. accipere; quibus junge ex posterioribus sectariis Tandemum illum Antverpiensem hæreticum, quem S. Norbertus sub annum 1140. prostravit, ut habet auctor vitæ S. Norbert. c. 34. & appendix Sigeberti. Hos omnes tanquam hæreticos condemnat illa S. Augustini sententia l. 2. c. 13. contra epist. Parmen. ubi Baptismum Ordini conjungens, sine ulla dubitatione, ex sensu totius tunc florentis Ecclesiæ affirmat: *Utrumque Sacramentum est* (scilicet & Baptismus & Ordo) *& quadam consecratione utrumque homini datur.* XII.

Sacramentum Ordinis ante Reformatos negarunt etiam Messaliani, & Tandemus.

V. Rejiciunt & Matrimonium, & Sacramenti honore, contra totam veterem & sanctam Ecclesiam, non dignantur. Idem senserunt & docuerunt Eutychiani illi, qui & Armenij dicti sunt, deterrima scilicet Eutychianorum soboles, de quibus Gualterius in Chron. pag. 548. *His Armenis,* inquit, *non alia deterior, aut nequior Eutychianorum soboles;* quorum ex in 32. hæreses recenset. de his multa Nicephorus l. 18. & ex Recentioribus Alphonsus Zamerensis, in cap. de Matrim. Quis neget iterum, antiquissimam esse Fidem Reformatorum? A mille enim & multò pluribus annis doctrinas suas, quæ de Sacramentis sunt, arcessere valent; sed an etiam volent? XIII.

Matrimonium è numero Sacramentorum etiam Armenij ejecerunt.

ARTICVLVS IX.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa Verbum DEI, sive Scripturam Sacram.

I. 1. Extra Scripturam, sive verbum DEI scriptum, nihil audire volunt Reformati, nihil credere, nihil in rebus fidei constituere, aut jam constitutum admittere. Hoc autem omnes ante ipsos Sectarij fecerunt, & dixerunt, eâque unâ re errores suos tegere studuerunt. Ostendamus id breviter in primis, qui Ecclesiam infestarunt & perturbarunt, Sectarijs, quos ipsimet vos pro hæreticis habetis, & palam, ut tales, damnatis.

Solam Scripturam etiam Arriani crepabant.

I. *Arriani* omnium deterrimi, negabant Filium DEI esse Patri consubstantialem, (ὁμοούσιον) eò quòd hoc nomen nusquam in Scripturis exstet. Ita testantur SS. Athanasius, Hieronymus, Augustinus & Theodoretus in illis suis libris, quos contra Arrianos scripserunt.

Et Macedoniani.

II. Eodem modò *Macedoniani & Eunomiani*, hæresin suam, quâ divinitatem Spiritui S. denegabant, colorarunt, eò quod illud Scriptura nullibi expresse dicat. Ita testatur S. Basil. in lib. de Spiritu S. c. 25. & l. 1. contra Eunomium. Athanasius item & Gregor. Naz. ille l. 3. de Trinit. hic l. 5. de Theologia.

Iisdem Scripturæ locis ad hoc probandum usi, quibus hodieque utuntur Reformati. NB.

III. Ipsissimo illo loco S. Scripturæ, quo nostri hodierni Sectarij plurimùm utuntur, imò abutuntur, ut solam scripturam audiendam demonstrent, etiam veteres illi Sectarij usi, & abusi sunt. Est autem illa Salvatoris sententia Matth. 15. ℣. 9. *Sine caussa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Ita enim Arrianus ille Episcopus Maximinus dicere & respondere Catholicis Episcopis, & maximè S. Augustino, cùm auctoritate SS. Patrum ab iis urgeretur, solitus est: *Hæ voces, quæ extra Scripturas sunt, nullo modo à nobis suscipiuntur, cùm Dominus moneat, & dicat* (Matth. 15.) *Sine caussa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Ita Augustinus ipse l. 1. contra hunc Maximinum, statim in princip. Quid autem nostris etiam Sectariis frequentius in ore est, quàm ista Salvatoris præstantissima quidem Sententia, sed quâ contra ipsum Salvatorem abutuntur, *mandata & doctrinas hominum* ea omnia in errorum suorum stabilimentum vocantes, quidquid erroribus ipsorum contrarium est.

IV. Etiam

IV. Etiam *Pelagianorum* hæc cantilena erat, teste cod. S. August. l. de nat. & grat. c. 39. *Credamus*, inquiebant Pelagiani isti, *quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus adstruere.* II. Item Pelagiani.

V. Sic & Eutyches suam hæresin palliabat, dicendo: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Concil. Chalced. Actione I. Et Eutyches hæresiarcha.

Ecce omnes primarios Sectarios, qui primis Sexcentis annis Ecclesiam turbarunt, & sciderunt tunicam Christi inconsutilem, non nisi Scripturas crepantes, & omnes suas turpitudines hisce quasi foliis scripturæ, arboris per se vitalissimæ, ipsis autem mortiferæ, tegentes!

Ita quoque de posterioribus erronibus legimus. Nam Lollardi, crassissima illa gens & Secta, circa annum 1310. exorta, ita loquitur apud Bernardum Lucemburgicum in l. de hæres. *Nihil præter Scripturas recipimus.* Fuerunt autem Lollardi isti tam stupidi & stolidi hæretici, ut docerent insuper, Luciferum cum asseclis injuriâ cœlo esse pulsum, & aliquando in beatitudinem cum illis recipiendum, teste Sandero hæresi 163. contrà, S. Michaëlem, & beatos Angelos omnes æternis suppliciis esse destinandos. Heu me! quo hæresis deducit? an non in omnes planè sectarios, veteres & novos, tanquam enormes mandatorum DEI violatores, illa maledictio, violatoribus istis, prædicta à DEO per Mosen rectissimè convenit, quam legimus Deut. 28. ℣. 28. *Percutiat te Dominus amentiâ, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* An enim ita loqui & docere non summa *amentia* est? an non *furor* manifestus? an non *palpant in meridie* hi tales? Idem verò omnibus horum majorum posteris convenit, & reipsâ evenit. Et Lollardi crassissimi Sectariorũ propè omnium. Unde tam stultæ eorũ doctrinæ.

Sed ut clariùs perspicias, Lector, ad quid buccis ita plenis heterodoxi nostri Scripturas solas insonent, adverte, ubi, & quibus occasionibus insonent. Quandocumque libertati carnis favere videntur scripturæ, perpetua est earum inculcatio. è contrario autem quandocumque aliquid carni molestum videntur aut præcipere, aut consulere scripturæ, aut repudian- III. Quo servire cogantur Sectariis Scripturæ Sanctæ.

tur

tur omnino, aut interpretationibus inauditis, & prorsus ridiculis torquentur. Cape exempla. Omnes â sectariorum nostrorum parte nupturiunt, omnes hymenæum anhelant; de virginitate cœlibum, aut castitate viduarum, quæ vel ex voto, vel sine voto, in omnem vitam, constanti proposito conservetur, audire nihil volunt. Ad hoc Scripturâ est opus. Nec deest ipsis. Servire ad hoc cogitur statim ipsum primum caput Scripturæ, ex eoque ille aureus ijs versus 28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*: quem millies apud eos leges; quem summa cum reverentia suscipiunt, ut præceptum scilicet indispensabile, & omnibus omnino viris feminisque, si salvi esse cupiant, amplectendum. Sentencia utique aurea est, sed interpretatio vestra, quæ ex his DEI verbis præceptum facit, plùs quàm plumbea. Non præceptum, ô boni, sed benedictio est; qualis etiam piscibus ℣. 22. est data, qui utique nullius præcepti, sed solùm benedictionis sunt capaces. Ita S. Chrysostomus hîc, S. Augustinus lib. 21. de Civ. c. 22. & alii. Nam si præceptum foret, utique ante omnes Christus ipse, qui non venit *solvere legem, sed adimplere*, implesset illud, & benedicta ipsius Mater, & discipulus ille, quem diligebat JESUS, & Paulus, aliíque sanctitatis peculiaris prærogativâ insignes tam multi.

scilicet ad libertatem carnis: quod pluribus exemplis demonstratur.

IV.

Quomodo abutantur Scriptura, ut quisque habeat uxorem.

Ex eodem genere est illud D Pauli 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* quæ castissimi Pauli, & nihil minùs intendentis verba, eò torquent omnes Sectarij nostri, non sine risu, ut opinor, etiam suo (norunt enim hunc Pauli sensum non esse) eò, inquam, torquent, ut quilibet Episcopus, aut inferior etiam illo Clericus, uxorculam ducat, & sic sit *unius uxoris vir*, quod diligentissimè omnes ipsorum Ministri observant, nec ullo modo præceptum hoc inter impossibilia, ut alia, reponunt. Confirmant hoc idem alio loco S. Pauli, illo nimirum 1. Cor. 7. ℣. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquaque virum suum habeat.* interim nullo modo attendentes, ad id, quod statim virgo Paulus ℣. 6. subjungit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secun-*

secundùm imperium. An poterat Paulus contra carnales istos spiritualiùs, & clariùs loqui?

Rursus ut carnalitatem suam tegant in eo, dum omnia stata jejunia, abstinentiam à carnibus per quadragesimam, aliísque jejuniorum aut abstinentiarum Catholicis consuetarum diebus abrogant, atque ipsis per totum annum, nullo temporum discrimine, carnibus vesci liceat, & ollis Ægyptiacis frui, in medium sæpissimè inferunt illam S. Pauli abstinentissimi sententiã, 1. Timoth. 4. ℣. 1. *In novissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos DEUS creavit ad percipiendum cum gratiarũ actione fidelibus &c.* ex qua Sententia inferunt, *doctrinam* esse *dæmoniorum*, & *Spiritum erroris abstinere à cibis*, à carne scilicet, certis temporibus, aut etiam perpetuò abstinere: qui manifestus Scripturæ abusus est, cùm id solùm prophetico Spiritu prædixerit hic Paulus, in novissimis diebus, quæ sunt tempora ipso posteriora, extituros ab orco tales hæreticos, qui nuptias & carnium esum omnem, damnaturi sint, uti Manichæi fecerunt, & ante ipsos Marcionistæ, Encratitæ, & Ebionitæ, &c. qui dicebant, nuptias, & vinum ac carnes non esse à DEO bono, sed malo, puta diabolo creata, ideóque naturâ suâ mala & abominanda. Hæc, hæc, non alia, D. Paulo *doctrina dæmoniorum est; hoc hypocriticum mendacium, & manifestus spiritus erroris.* A carnibus autem vel in perpetuum, mortificandi corporis caussâ, aut certis temporibus sibi temperare, non dæmoniorum, sed angelorum & Apostolorum doctrina est. Apostoli ipsi abstinuerunt, uti de S. Jacobo minore idoneis auctoribus traditum habemus, qui nec carne utebatur, nec vino, ut liberiùs orationi vacaret, & carnem edomaret. Contrarium autem docere, illius peculiaris dæmonis doctrina est, quem Sancti Patres Gastrimargiæ spiritum appellare consueverunt, cujus instincta hæc omnia Acatholici quoque nostri & docent, & credunt. Hæc pauca de multis, exempli duntaxat caussâ.

Quomodo, uti à jejuniis se eximant.

Abusus sententiæ Paulinæ.

Sed & alterum breviſſimè ſolùm indicandum, apud Reformatos, uti & Lutheranos, Scripturas illas omnes nullo prorſus loco eſſe, aut pretio, quantumvis claræ ſint, quæ ſive ſuadent, ſive imperant ea, quæ Libertati carnis, blandiſſimæ illi Dominæ, quoquo modo moleſta ſunt. Tales autem Scripturæ ſunt, quæ perpetuam caſtitatem, paupertatem, mandatorum exactam obſervationem, peccatorum confeſſionem, opera pœnitentiæ, & his ſimilia continent. Ita nullo in pretio aut uſu apud ipſos eſt illa Domini ſententia, Matth. 19. ℣. 12. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum, qui poteſt capere, capiat.* Et illa ℣. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me*, pauper ſcilicet, venditis omnibus, ſequere pauperem Chriſtum, quod in veteri & hodierna Eccleſia tot millia præſtant; in Reformata nemo unus, ut ſi nihil de hoc in ullo Evangelio legeretur.

Scripturæ, quæ libertati carnis adverſantur, nullo ſunt loco apud Sectarios.

Id exemplis oſtenditur.

VII.

Similiter nullo apud Reformatos loco eſt illud Domini dictum, Matth. 7. ℣. 13. *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Anguſta hæc porta & arcta via S. Chryſoſtomo, & aliis eſt, via Præceptorum & mandatorum DEI. Hoc ipſo autem, quòd anguſta hæc porta ſit, & compreſſione aliquâ ſit opus, non placet Reformatis. Conſtringi nihil volunt, nihil ulla in re arctari. ideo impoſſibilem hanc viam clamant; & latàm præ illa eligunt, nec tamen concedunt Chriſto, eam aliò, quàm ad vitam æternam ducere. Sed nec illa Domini ſententia placet Matth. 19. ℣. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Hæc divina quidem, uti non negant, Scriptura eſt, ſed quia carni moleſta, & libertati adverſa, exploditur à Reformatis, & in ſenſus miriſſimos detorquetur, quaſi mera illuſio, non autem ſincera adoleſcentis illius, ad quem hæc Chriſtus dicebat, inſtructio fuiſſet; quæ perverſa interpretatio eſt, & omni rectæ rationi adverſa.

Porta Cœli apud Reformatos non anguſta ſed lata eſt contra Chriſtum.

Vide ergo, quò heterodoxis noſtris Scriptura ſerviat. Idem

mille alijs exemplis ostendi queat. Unde illud denique de perpetuis, sed pessimè applicatis, ut vidimus, Scripturæ allegationibus dici potest, quod Augustinus de Arrianis scripsit l. 1. contra Maxim. c. ult. *Veris testimoniis divinis, falsa dogmata probant*: aut probare saltem nituntur.

ARTICULUS X.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa diversos Status Ecclesiæ.

EST Ecclesia Christi *Regina illa, assistens à dextera* cœlestis Regis, *in vestitu deaurato,* charitatis, *circumdata varietate*, diversorum statuum, in quibus DEO quoque diversimodè, majori scilicet, minorive cum perfectione servitur. Alij nimirum, aliæque deserviunt DEO, in vera Ecclesia, Patriarcharum exemplo, in Sacro Christiani Matrimonij statu, in castitate & pace conjugali: & placent DEO. Alij in statu perpetuæ continentiæ & virginitatis, exemplo Christi, Deiparæ V. S. Josephi, Pauli, Joannis, quin & Josuæ Israelitarum Principis, & Eliæ Prophetæ. hique magis etiam placent & ideo *beatiores* à S. Apostolo Paulo 1. Cor. 7. pronuntiantur. Alij in statu Viduitatis, cum proposito, vel etiam voto, secundas nuptias non iterandi, exemplo S. Judithæ, S. Annæ prophetissæ, S. Monicæ, S. Paulæ Romanæ &c. Alij in ipso matrimonio continentiam perpetuam servant, Conjuges Virgines, miracula quædam virtutis heroicæ, ad exemplum gloriosissimæ Virginis MARIÆ & S. Josephi, quales fuerunt S. Pulcheria & Marcianus, Imperatores, S. Henricus & Kunegunda, S. Elzearius, & Dalphina, S. Iulianus Mart. & Basilissa &c. Alij in Solitudines & Monasteria se abdunt, & inter perpetuas austeritates & pœnitentiarum opera, quæ dulcescere facit Meditatio rerum divinarum, salutem suam cum timore & tremore operantur, exemplo S. Eliæ Thesbitæ, S. Ioannis Baptistæ, S. Pauli Eremitæ S. Antonij Magni, S. Augustini, S. Basilij, S. Benedicti &c. Hæc varietas sponsam ornat, sempérque ornavit apud orthodo-

I. Varietas in Sponsa Christi laudata. diversi sunt status & ordines Ecclesiæ.

Conjugatorum, Continentiũ, abstinentium, Viduarum.

xos, mirum in modum. Hos omnes status, primo excepto, nihili faciunt Reformati, irrident, negant, majoris esse perfectionis, quàm sit communis ille matrimonij status; evertunt, ubi possunt; rapiunt ex Parthenonibus DEO dicatas Virgines, & Matrimonijs illigant; Monachis nuptias offerunt, & rem se præstitisse putant præclaram, si ex Monacho maritum effecerint, ex sanctimoniale maritam. Si objicias, Consilia hæc Evangelica esse, consilia Servatoris nostri, negant præclari isti Evangelici ulla Consilia Evangelica in Evangelio reperiri &c. negant nimirum, quod sequi nolunt.

Contra Reformati solum matrimonium approbant.

III. Omnia autem hæc sputa sunt antiquorum Hæreticorum; quales inprimis Manichæi erant, uti probat ex S. Augustino noster D. Georgius pag. 156. qui calumniari Monachos non cessabant; contra quas calumnias apud eundem D. Georgium eos S. Augustinus ita defendit l. de moribus Eccles. c. 31. ut cum magno præconio scribat, inter Monachos illos, quos Manichæi criminabantur, *multos esse hospitales, multos officiosos, multos misericordes, multos doctos, multos usque adeò DEI amore flagrantes, ut eos in summa continentia, atque mundi hujus incredibili contemptu, etiam solitudo delectet.* Et paulò pòst: *Quis non illos miretur, qui contemptis, atque desertis mundi illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, lectionibus, disputationibus &c.* An non dolent tibi aures, Vedrosi, ex tantis Monasticæ vitæ præconiis ac laudibus? Quid simile apud vos, Reformatæ scilicet Religionis homines? an vel tres, ut Collegium faciant, reperire apud vos licet, *qui contemptis atque desertis mundi illecebris*, nuptiis scilicet, & avitis opibus, *in communem aliquam vitam castissimam, atque sanctissimam congregati*, eam non nisi *in orationibus, lectionibus & disputationibus* transigant? quos *amore DEI flagrantes, in summa continentia, & incredibili mundi huius contemptu etiam solitudo delectet?* Ubi, inquam, vel tres hujus propositi apud vos inveniuntur, ubi vel unus; quorum in prima Ecclesia innumerabiles

IdemManichæi sentiebant.

Qui Monachos etiam ipsi execrabantur:

quos contrà amplissimè laudat S. Augustinus.

les erant? Ubi vidua, quæ secundas nuptias, solo DEO liberiùs, & indivisiùs, ut sic loquar, serviendi desiderio, aversetur? Ubi par conjugum, quod exemplum MARIÆ & Josephi æmuletur? ubi denique *varietas*, quâ Ecclesia DEI, *Regina* illa, & uxor Agni *circumdata est?* Quid habet quoad hoc à Philosophica & gentili diversum Religio aut vita vestra? Ibi omnes nupturiunt, ut apud vos. Nemo in communem vitam in *summa continentia, & incredibili mundi hujus contemptu* cum alijs erat, ut & apud vos. Matrimonia ineunt, sed cùm placet, iterum eadem dissolvunt, quod & Judæi faciunt, & vos. Atqui Christianorum vitam oportet utique sublimiorem, & diviniorem esse. & fuit in prima Ecclesia, éstque in nostra hodierna, quam etiam Ethnici apud utramq; Indiam, atque alibi locorum suspiciunt, ejúsque consideratione ad fidem Catholicam amplectendam tanto numero accenduntur; non item apud vos.

De continentia nihil audire sustinent Sectarij.

III. Contra hæc omnia non habet aliud, quod reponat, exhaustus argumentis Vedrosius, quàm enormia convitia, quæ pag 147. in omnes hodiernos Monachos & religiosos evomit, ipsos *carcinomata* vocans, domicilia verò illorum *ignaviæ domicilia, scelerum & turpitudinum sentinas &c.* quæ quidem convitia nos Catholici laudes nostras summas reputamus, & contrà à tali, qualis Vedrosius est, vehementer timemus laudari.

Per convitia respondet Vedrosius.

ARTICULUS XI.

Nov-antiqui Errores Reformatorum circa Justos & peccatores, qui sunt in Ecclesia.

I. SI vestræ doctrinæ, ô Reformati, veræ essent, nulli omnino in Ecclesia DEI justi essent, cùm tamen hi justi tam diligenter à peccatoribus & impijs, à Scriptura ipsa discernantur, & separentur, maximè Luc. 15. ℣. 7. ubi Salvator ita locutus est: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Ergo ex Domini effato, & justi dantur in Ecclesiis DEI,

I. Discrimen inter Iustos & peccatores Reformati tollunt.

qui non indigent pœnitentiâ, quia graviter non violant mandata; & peccatores, graves scilicet præceptorum divinorum violatores, qui indigent pœnitentiâ; quàm si agant, universum cœlum lætificant. Atqui juxta Reformatam doctrinam nemo omnino est, qui non indigeat pœnitentiâ; nemo unus est justus, quia omnes graviter violant mandata DEI, & sic omnes sunt graves peccatores, non tam suâ tamen culpâ, quàm DEI, qui impossibilia, juxta vos, hominibus præcepit. Nimirum sic sceleribus, etiam cum summa DEI injuria, patrocinium quæritis. Sed an sine antesignanis, veteribus hæreticis? Neutiquam. Nam *blasphemiam hanc*, uti Augustinus ipse nominat, jam tempore Augustini auditam fuisse ex eo colligimus, quia in tales memoratus Pater invehitur gravissimis his verbis: *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt, Impossibile aliquid homini à DEO præceptum, & mandata DEI non à singulis, sed ab omnibus in commune servari posse.* Ecce *blasphemiam* vocat *execrabilem* ita docere. Sic autem docet post Lutherum Calvinus, Lutheri simia l. 2. Instit. c. 7. & ipsa Confessio Helvetica, quæ & Rhætica Confessio est c. 12. apud D. Georgium pag. 162. exemplo 17.

idque cum antiquis hæreticis ex S. Augustino.

II. Quem refutat Vedrosius, discipulus Magistrû.

II. Quid ad ista D. Vedrosius? Malè contentus est, ut videtur, cum S. Augustino, blasphemos vocante eos, qui hoc doceant. Unde hoc solùm respondet pag. 143. *Non blaspheme, sed piè, & cum scriptura hoc docet Confessio Helvetica.* Atqui Augustinus non piè, sed impiè & blasphemè hoc doceri asserit. cui potiùs credendum, Augustino, an Vedrosio? quem nihil juvant quatuor sententiæ ex S. Scriptura contra Augustinum, & communem Catholicorum sententiam allatæ. nulla enim illarum vel verbulo unico indicat Legem DEI servari non posse. Unde iterum valet in Vedrosium ejusdem Augustini gnome illa nobilis jam suprà allata, quâ Maximinum Arrianum Sanctus hic Doctor, ego autem Vedrosium Calvinianum alloquor: *Veris testimoniis divinis, falsa dogmata probas*, certè probare anniteris.

III. 11. Error est, circa justificationem peccatoris. Ajunt enim Refor-

Reformati, solâ fide justificari peccatorem. quam erroneam sententiam non habemus hoc loco refutare, cùm id jam suprà præstiterimus, sed solùm ostendere, ita antiquos aliquos etiam hæreticos docuisse. Invenimus itaque ipsis jam Apostolorum temporibus hanc hæresin exortam fuisse, ex malè intellecta S. Pauli sententia illa ad Rom. 3. ℣. 28. *Arbitramur enim, justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* quam hæresin paulatim in plures serpentem ipsemet S. Petrus, Collega S. Pauli, & Coapostolus, illis suis gravissimis verbis jam tum reprimere instituit, 2. Petr. 3. ℣. 16. ubi ait & monet: *In epistolis Pauli* (quem charissimum fratrem appellat) *esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas,* NB. *ad suam ipsorum perditionem.* Respexisse autem S. Petrum potissimùm ad hanc ad Romanos epistolam Pauli, & locum Pauli suprà allatum: *Arbitramur enim &c.* auctor nobis utique gravissimus est ipse Augustinus in lib. de fide & operib. c. 14. additque, eôdem etiam S. Jacobum Apostolum in sua Canonica collimasse, c. 2. propè toto, præsertim vero ℣. 19 & 20. *Tu credis, quoniam unus est DEUS. Bene facis. Et dæmones credunt ac contremiscunt. Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est &c.* Ecce, Vedrosi, quàm antiqua sit hæc fides & doctrina vestra, antiquissimorum scilicet sectariorum, quos Pseudo-Apostolicos possumus appellare, contra quos Apostoli ipsi jam tum certamen inire occeperunt.

Solâ fide nos justificari error est vetustissimus.

Jam ab Apostolis refutatus.

IV. Idem Eunomiani docuerunt, ab Eunomio sic dicti, *qui & ipse bonis operibus ita fuit inimicus, ut asseveraret, nihil cuiquam obesse perpetrationem quorumlibet peccatorum, modò illius fidei esset particeps, quam ipse docebat.* Ita testatur S. Hieron. super c. 4. Oseæ & S. Augustinus hæresi 54. cujus verba sunt, quæ citavi, scilicet *quod bonis operibus ita fuerit inimicus &c.* An non idem prorsus docent Reformati nostri? Certè Confessionis Helveticæ apud D. Georgium, in exemplo 16. pag. 161. verba formalia, ut loquimur, sunt ista: *Caussa organica, sive Instrumentalis nostræ justifica-*

Quem etiã Eunomiani hæretici sunt secuti.

Renovatus à Reformatis.

stifica-

stificationis est FIDES, eáque SOLA, exclusis in hoc actu justificationis nostræ omnibus operibus.

Quid ad hæc Vedrosius? Valde iratus D. Georgio, quærit pag. 142. ubi mens? ubi frons D. Georgij sit? nihil tale ab ullo Reformatorum auditum. Atqui expressissima verba Confessionis Helveticæ, Eunomij verbis simillima, omnes paulò ante percepimus. Quid ad hoc Vedrosius? Ne mutit quidem ad prolata hæc Confessionis verba, sed alia nobis ex ejusdem Confessionis c. 17. quæ saniora putat, adnumerat. Nos autem prioribus inhæremus, illa defende, si potes, & ab Eunomianismo excusa.

V. III. Error. Justificatis quomodocumque peccatoribus, etsi post justificationem acceptam in omni bonorum operum genere se exerceant, etsi sanguinem pro Christo fundant, benefaciant malefactoribus suis, jejuniis assiduis cum Davide & Paulo carnem suam affligant, omne tamen meritum abnegant Reformati, mercedem omnem, & toties promissam sanctis operibus retributionem; ut notissimum omnibus est. *Ita sunt bonis operibus*, ut cum Augustino rursus loquar, & ipsi *inimici*. Et hoc satis quidem consequenter ad aliam suam hæresin, sed non etiam satis sapienter docent Reformati. Si enim Christiani nullam habent arbitrij libertatem, secundùm Reformatos, in bonorum operum exercitatione, sed absque ipsis omnia in iis DEUS operatur, cùm laude digna non sint ejusmodi opera, quatenus ab ipsis procedunt, cùm libera non sint; non est profectò, quòd mereatur iis homo; non est, quòd remuneretur eos DEUS. Ita hæresis una fulcit aliam.

Meritum bonis operibus abrogant Reformati.

Hæc autem antiquissima, & jam dudum à SS. Patribus refutata hæresis est. Sic enim Jovinianus hæresiarcha & de bono opere jejunii, & de arduo illo opere perpetuæ Virginitatis &c. jam olim docuit, uti testatur auctor de Ecclesiasticis dogmatibus c. 68. Augustino adscriptus, cujus etsi fortè non est, at antiquissimi alterius auctoris est, ut suprà dictum, & probabiliter Gennadij Massiliensis, qui scripsit anno 490. & sic primis quingentis annis.

Idem docuit Iovinianus hæresiarcha.

annis. Verba Gennadij ſunt: *Abſtinentibus à vino, vel carnibus, pro amore caſtigandi corporis, nihil credere MERITI accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Ioviniani* (hæreſiarchæ ſcilicet) *eſt*. Extra hunc Jovinianum, fatebor, vix invenias, etiam in veteribus, licet impudentiſſimis hæreticis, qui tam irrationabiles, & tam *inimici bonis operibus fuerint*, ut omne eis meritum; & præſtantioribus operibus, majus & præſtantius meritum denegârint, ut hodierni Lutherani, & eorum Soboles, Reformati denegant.

Vix autem alii hæretici ob fœditatem hujus doctrinæ.

Quid ad hæc, Vedroſius, ad exemplum ſcilicet XXI. D. Georgij de Meriti rejectione? Nihil prorſus. Nam poſt diligentem inquiſitionem nec paragraphum ullum, neque numerum, in quo ad iſtud reſponderet, reperire potui. Nam abſolûto examine ſuo ſuper exemplo XIX. D. Georgij, prætermiſſo 20. & 21. quod erat de Meritis, ſtatim D. Vedroſius exemplum XXII. examinandum ſuſcepit, quæ ſunt de Cœlibatu Sacerdotum, & Limbo Patrum. Securius nimirum eſt, & faciliùs multò, nihil omninò, quàm nihil ad rem reſpondere.

Sapienter ad hæc ſilet Vedroſius.

ARTICVLVS XII.

Nov-antiqui Errores Reformatorum, circa Inſtituta & Conſuetudines receptas Eccleſiæ.

PRimò rejicitis, vos Reformati, ſtata veteris Eccleſiæ jejunia. Eadem rejecerunt quàm plurimi ex veteribus carnalibus hæreticis. I.

Stata Eccleſiæ jejunia jam olim quoque rejecerunt

I. *Gnoſtici*, turpiſſimi hæreticorum, teſte S. Epiph. hæreſ. 26.

II. *Euſtathiani*, quorum Princeps Euſtathius, jejunia ab Eccleſia conſtituta conculcabat, & die Dominicâ ſuos jejunare volebat, teſte Socrate l. 3. c. 43. utrumque faciunt, quod mireris, & Reformati. primum per ſe conſtat; alterum verò, de die Dominica jejuniis ipſorum deſtinata, Vide D. Georgium pag. 167.

Gnoſtici. Euſtathiani Manichæi.

III. *Manichæi*, qui & ipſi neglectis aliis ab Eccleſia conſtitutis

diebus, Dominicis jejunabant, teste S. August. qui refellens hanc eorum hæresin, in epist. 86. *Die Dominico*, inquit, *jejunare scandalum est magnum*.

Priscillianistæ &c.

IV. *Priscillianistæ*, teste eod. S. August. in epistola jam citata.

V. *Messaliani*, teste S. Epiph. hæresi 30.

VI. *Iovinianistæ*, Vigilantiani, Armeni Eutychiani. & hi omnes primis sexcentis annis. Ex posterioribus hæreticis, Waldenses, Beguardi, & Wiclefistæ. Egregius majorum vestrorum Catalogus, ô Reformati! miserabilior posteritatis! Hæc Reformatis objecit D. Georgius noster, Exemplo 20. pag. 167.

Hic quoq; silet Vedrosius, & sapit.

Quid ad ista Vedrosius? Iterũ satius putavit silere prorsus, quàm nihil ad rem respondere. Laudo sapientiam tuam, Vedrosi.

II. Secundò. Rejicitis Vigilias, & pervigilatas orationibus noctes, aut certè noctium partes, tantopere veteri Ecclesiæ & laudatas, & usurpatas, & etiamnum per omnem Romanam Ecclesiam, apud tot Religiosorum millia usitatas, juxta illud Davidicum verbum & exemplum: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ps. 118. & exemplum Domini Ipsius, qui sæpius erat *Pernoctans in oratione DEI.* Luc. 6. stertere nimirum mavultis totas noctes, quàm DEUM laudare totas noctes. Hoc autem & Vigilantius, antiquus hæreticus maluit, vigilias scilicet execrari potiùs, quàm agere, teste S. Hier. in epist. ad Riparium contra Vigilantium scripta: de quo ita S. Hier. *Exortus est subito Vigilantius, qui immundo spiritu pugnet contra spiritum Christi, & damnandas dicat esse vigilias.* Ecce quo spiritu agantur, qui cum Vigilantio sentiunt, uti sentiunt Reformati!

Vigilias Catholicorũ etiam Vigilantius hæreticus improbavit.

III. Quid ad hoc respondeat Vedrosius.

Respondet D. Vedrosius 154. malè Reformatis objici neglectum & contemptum Vigiliarum, cùm eæ à nobis quoque Catholicis dudum ob abusus sint abrogatæ. Ego verò nego, in totum abrogatas inter Catholicos. frequentia solùm, quæ periculosa deterioribus istis seculis videbatur, abrogata est. Ceterùm vigiliæ etiamnum aguntur ab omnibus Catholicis, in nocte tam Nativitatis, quàm Resurrectionis Domini, & à multis noctes

noctes istæ precibus totæ, & aliis sacris exercitiis transiguntur. Multa etiam millia Religiosorum, singulis per annum diebus etiamnum vigilias, inter preces, per aliquot horas, exigunt, Christi D. & SS. Apostolorum vigilias æmulati. horum omniũ apud vos non modò neglectus est omnimodus, sed & contemptus, ad Vigilantij exemplum. Respondetur Vedrosio.

Tertiò. Rejicitis Cœlibatum Sacerdotum, uti suprà jam vidimus, & conjugia ipsis, voto etiam non obstante, permittitis, & ipsimet solicitè procuratis, si qui ad vos defecerint. Idem audetis in Monachis & sanctimonialibus, etsi itidem voto perpetuæ castitatis adstrictis. IV. Cœlibatũ Sacerdotũ rejiciunt Reformati.

Iste autem ipsissimus Jovinianismus est, quem S. Augustinus hæreseos condemnat, & inter hæreses loco 28. ponit. addit tamen hæc verba. *Citò tamen ista hæresis oppressa est, & extincta, neque potuit usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum pervenire.* Deterior ergo Reformatorum hæresis, quæ usque ad deceptionem nimis quàm multorum lascivientium Sacerdotum, Monachorum, & sanctimonialium pervenit. Joviniano hæretico in hoc deteriores, & cur?

Quid ad ista D. Vedrosius? quomodo ab hæresi, quoad hoc, Reformatos suos purgat? Non purgat (qui enim possit in re tam manifesta, & antiquis jam Patribus detestata?) sed maculat de novo, dum lepidissimè scribit, pag. 148. *Iam suprà hanc rem satis superque à se excussam, & Ecclesiarum Reformatarum cum Apostolica & Primitiva Ecclesia in hoc dogmate consanguinitatem ad vivum demonstratam esse*: quæ tota ipsius, misera sanè defensio est. atqui hoc loco à D. Georgio Reformatorum consanguinitas cum Hæretico Joviniano etiam oculis ipsis est subjecta. Ad ea, quæ attulit suprà Vedrosius pag 91. contra Cœlibatum Sacerdotum, ad quæ se hîc refert, responsum quoque est à me suprà, satis, ut opinor, Sect. 5. c. 5. art. 2. quæ legens intelliges, quomodo Vedrosius Reformatorum consanguinitatem cum Primitiva Ecclesia, quoad matrimonia Ecclesiasticorum, demonstraverit, per falsa scilicet plurima, & pudenda. In rem præsentem ipse veni. Simul hoc adverte hoc loco, bone Lector, V. Vedrosius dum purgare vult suos, magis maculat.

Semper carni & ventri hæreses sunt patrocinatæ.

omnes hos errores, Reformatis, cum veteribus hæreticis communes, carni & ventri patrocinari. Nam & virginitatem ac cœlibatum, & vigilias, & Quadragesimam jejuniis continuis exactam, & jejunia omnia alia, & abstinentiam à carnibus &c. Venter abominatur; cui pleræque omnes hæreses semper patrocinium præstiterunt, neque ullæ tamen hucusque magis, quàm Lutherana & Calviniana secta, quâ re vel unicâ satis & abundè probant, cujus Spiritûs sint.

ARTICVLVS XIII.

Nov-antiqui errores Reformatorum circa Certitudinem Salutis.

I. Restat certitudo Salutis, qualem Reformati docent. Nam de Imaginum & Reliquiarum cultu, uti & de Invocatione Sanctorum, quæ erant exempla postrema D. Georgij, suprà in primis articulis, jam disputatum à nobis est, ubi de Cœlo egimus, & quale ipsi bellum Reformati faciant, ostendimus.

Tres Certitudines Reformatorũ, omnes erroneæ.

Hæc autem certitudo salutis complectitur in se alias adhuc prævias certitudines; qualis est I. *Certitudo*, quòd quis habeat veram & justificantem fidem; quam certitudinem etiam Vedrosius primo loco posuit, éstque primus error Reformatorum in hac materia, quem egregiè jam olim Card. Bellarm. refutavit L. 3. de Justif. c. 9. col. 850. II. *Certitudo justificationis* jam acceptæ, & remissionis omnium peccatorum; quam tamen remissionem nulli omnino absque speciali revelatione DEI certam esse posse, demonstrat nobis exemplum S. Mariæ Magdalenæ, quæ tametsi fidelis, tamen de remissione peccatorum suorum valde solicita eandem multis lacrymis tamdiu quæsivit, donec super hoc revelationem à Christo ipso Domino acciperet, ei dicente: *Remittuntur tibi peccata tua.* ante talem autem revelationem, alicui certam facere remissionem peccatorum, & per hoc justificationem ipsam, hæresis est, éstque hic secundus

dus error Reformatorum. III. *Certitudo* ipsius salutis æternæ, & gloriæ in cœlo consequendæ, qui est tertius error prioribus duobus superstructus. Id verò modò non ago, ut has pravas, & sine dubio perniciosissimas hæreses, nisi obiter postea, confutem (præstitit id fusissimè & scitissimè Card. Bellarm. toto l. 3. de Justificatione) sed illud hoc loco, uti D. Georgij, sic & meum institutum est, monstrare, doctrinam hanc Reformatis, cum veteribus hæreticis communem esse.

I. Talem certitudinem salutis jam Apostolorum temporibus promisit sectatoribus suis Simon Magus, omnium hæreticorum antesignanus, teste S. Irenæo l. 1. c. 20. & Theodoreto in lib. de fabulis hæretic. *salvandos nimirum omnes* (suæ Sectæ) *per solam gratiam, non verò per operas bonas.* Ita versor loquitur S. Irenæi, satis inconcinnè. tu loco *gratiæ* substitue *fidem solam* & habebis antiquam Simonis hæresin, à Reformatis renovatam. Communes ipsis cum Simone Mago.

II. Eunomius hæresiarha, teste S. August. pari audaciâ, omnibus quoque suis sectatoribus certam æternæ gloriæ consecutionem pollicitus est, si quis modò fidei particeps esset, quæ ab ipso docebatur, qualiacumque interim flagitia perpetraret. Vide S. August. hæresi 54. Eunomio.

III. Simile quid habet Joannes Cantacuzenus, Eximperator Græcus, de Mahometo, orat. 2. in Mahometum. *Ne committatis*, inquiebat Mahometus, *rapinas, aut cædes, aut perjuria: quia DEUS hoc molestè fert. si tamen feceritis, DEUS benignus est, & misericors, illáque condonaturus est.* quibus verbis quid aliud, promisit omnibus sequacibus suis hic teterrimus pseudopropheta, quàm certam quoque condonationem, etiam gravissimorum peccatorum, à benignitate & misericordia DEI consequendam, & deinceps salutem æternam, etsi pœnitentiæ nihil præcederet. Quòd si addas huic benignitati & misericordiæ DEI duo verba, prodibit ipsissima Calvini sententia, si nimirum dicas: DEUS, qui benignus & misericors est, condonaturus est *per Christum, ac per fidem in Christum* hæc omnia, etsi pœnitentia nulla accedat, nulli etiam *digni fructus pænitentiæ*: quos tamen tam disertè Sacra Scriptura requirit Matt. 3. ℣. 8. Ipsóque Mahomete.

II. Contra quos omnes pugnat S. Augustinus.

Contra hos omnes præsumptuosos fiduciarios, qui omnibus suis discipulis & sequacibus, etiam neglectâ mandatorũ observatione, & bonorum operũ exercitatione (fide exceptâ) certissimam peccatorum remissionem, certissimam justificationem, certissimam in finem usque perseverantiam, & quæ hanc indubiè sequitur, æternam salutem & gloriam vanissimè promittunt, & hoc hamo atque escâ quàm plurimos, eheu! capiunt, morti æternæ loco vitæ tradendos; contra hos omnes, inquam, tendit illa S. Augustini sententia, â D. Georgio pag. 172. exemplo 24. allata. *Quis hominum*, scribit S. Doctor, *se in actione, profectúque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliquâ revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo, latentíque judicio, non omnes instruit, sed neminem fallit?* Ecce ut revelationem specialem super hac perseverantia, & consequente eam salute, Sanctus hîc Ecclesiæ Doctor requirat, & cum eo omnes Catholici. Nunc ad quædam â Vedrosio pag. 149. opposita, breviter, ne queri possit, respondeamus.

III. Impostura Vedrosij.

Primò opponit Card. Cajetanum, qui in commentario ad 1. 2. S. Thomæ, q. 112. a. 2. ita scripserit: *Certitudine fidei, quilibet scit certò, se habere donum infusum fidei, ídque absque formidine alterius partis.* Ita de Cajetano Vedrosius. quid autem de Vedrosio Apologista? Veni in rem præsentem, mi Lector (& oro, ut & ipse venias, si ad manum tibi est Cajetanus) quæsivi, legi, & perlegi avidè citatam quæstionis centesimæ duodecimæ, articulum secundum, in prima secundæ S. Thomæ, quem Vedrosius citavit. Sed neque verba illa reperi: *Certitudine fidei quilibet scit certò &c.* neque quicquam verbis illis affine. Nam ipsa quidem quæstio 112. Agit *de caussa gratiæ*; Articulus autem secundus quærit, *utrum requiratur aliqua præparatio, & dispositio ad gratiam ex parte hominis?* de fide, aut certitudine illa, ne vel minima quidem mentio. Quod ergo hîc in probrum suum & suorum adduxit, & nescio unde, forsitan malè fidens, exscripsit, non argumentum est, sed impostura; dum locum indicet Cajetani Vedrosius.

Post-

Posthæc exscripsit unam alterámve objectionem Vedrosius, ex Bellarmino Card. solutionem contrà Bellarmini callidè, ut mos talium est, dissimulavit. Objicit Bellarm. illam S. Pauli sententiam 1. Cor. 2. ℣. 12. *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis.* hanc Paulinam sententiam in persona adversariorum, non sua affert dictus Cardinalis l. 3. de Justif. c. 9. col. 851. & solvit ibidem, quòd scilicet S. Apostolus non loquatur hîc de notitia beneficiorum, quæ in particulari mihi, tibive collata & *donata* sunt, quale est beneficium justificationis &c. sed de notitia beneficiorum, quæ in genere DEUS *præparavit omnibus diligentibus se*, ut in eod. cap. S. Paulus loquitur: qualia beneficia sunt hæreditas & gloria regni cœlorum, quod ex toto capite colligitur. Noster itaque Vedrosius objectionem Bellarmini solam posuit, quasi de solutione nulla sciret; eâ scilicet Evangelicâ *prudentiâ*, quam in *villico iniquitatis* Evangelium laudat. Quid autem Paulus senserit de certitudine, vel potiùs incertitudine, & justificationis, & salutis propriæ in particulari, satis utique demonstravit, cùm scripsit 1 Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, hoc est, non propterea justus sum, sive de justitia mea certus sum, ut communiter Patres interpretantur. quia *qui judicat me, Dominus est.* (addit S. Paulus) ille nimirum Dominus, qui videt sæpe, quod homo in se non videt. Idem Paulus alibi: *Qui se putat stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. ℣. 12. quæ verba expendens S. August. in Ps. 41. fatetur, se terrore sancto ob hæc verba compleri. *Terret me*, inquit, *Apostolus dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat.* Reformatos contrà nihil hæc terrent. Illud autem ejusdem Apostoli etiam magis terreat, cùm sic loquitur: *Ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. ℣. ult. Timet saluti suæ Paulus, & nos duo, Vedrosi, nihil timeamus, sed securissimi, tanquam in cœlo jam considentes, vivamus? Imò jam *considemus cum Christo in cœlestibus*, ut idem Paulus loquitur; jam regnamus, si fideles sumus, & *sobriè, justè, ac pie vivimus*; sed in spe,

IV.

Bellarmini objectiones exscribit Vedrosius: Solutiones ejusdem dissimulat.

quâ id prudentiâ fiat?

Quid de certitudine salutis S. Paulus senserit.

Quid S. Augustinus?

non

non in securitate. *In spe, gloriamur filiorum DEI*, cum eod. Paulo ad Rom. 5. sed non nisi *in spe*, quam oramus non confundi.

V. Opponit secundò Vedrosius sententiam ex S. August. in Ps. 88. quam descripsit iterum ex Bellarm. l. 3. de Justif. c. 10. mihi col. 858. cujus tamen solutionem & explicationem rursus strenuè dissimulat. Si autem fide bonâ agere voluisset Vedrosius, primò ponenda fuisset sententia S. August. deinde subjungenda solutio Bellarmini, tertiò demum illa ipsa solutio impugnanda, & sic stabilienda propria sententia; quorum ille nihil facit, reus ob hoc illius criminis, ut sæpe etiam alibi, quod Jurisperiti *stellionatum* appellant, quæ est callida quædam & injusta earum rerum dissimulatio, ad quæ in judicio ritè responsum jam est.

Iterum dissimulat solutionem Bellarmini.

Quid de hac certitudine sentiat Vedrosius?

Nec evadit Vedrosius, dum sic Reformatorum sententiam declarat, & velut mitigat pag. 250. *Nostra certitudo*, inquit, *talis esse debet, ut potiundi quidem certi simus, agnoscentes tamen multa nobis esse cavenda, quia sumus in via. Non tamen sic perit certitudo* (subjungit) *quia etiam de cavendo certi sumus.* his autem dictis tuis, quid aliud, quàm summam rursus & perniciosissimam securitatem de novo statuis, quam prioribus lineis, damnare etiam vos, gloriabaris? Nam si potiundæ vitæ æternæ certi estis, ut tute loqueris; si certi insuper estis, de omni discrimine & cavendo & vitando, quo periclitari salus posset, ut iterum loqueris; quid tandem ad summam securitatem, ex qua supina negligentia salutis oritur, deest? Quibus non absimilia sunt, quæ Vedrosius pag. 250 per modum excusationis affert, his verbis: *Docemus*, inquit, *extra studium pietatis, & usum mediorum, non posse in actum exire talem fidei persuasionem, nec consequi talem certitudinis gradum, qui omnem contrarii metum perpetuò excludat &c.* Ad quæ ego hoc solum: Ergo apud vos nunquam potest in actum exire. Quæ enim pietas in ijs, qui omnia opera bona meritis suis privant? qui opera pietatis, omnisq; virtutis, fide exceptâ, necessaria ad salutem esse negant? quis usus mediorum, ad salutem consequendam facientium, apud

Admittit simul, & damnat.

Et sibi ipsi contradicit.

cos,

eos, qui primarium medium, quod est observatio mandatorum DEI, inter impossibilia reponunt? sunt nimirum dicta hæc non aliud, nisi, ut S. Paulus ea vocat, *Dulces Sermones, & benedictiones, seducentes corda innocentium.* ad Rom. 16. 18.

Quæ ex Antonio Marinario eâd. pag. 250. & Cornelio Musso, Catholicis scriptoribus, Vedrosius affert, velut errori Calvinistico faventia, ad ea id solùm respondemus: Defendant ipsi, quod scripserunt. Nos Ecclesiæ Catholicæ, non cujusvis privati Doctoris sententiam sequimur. Scripserunt ambo ante Concilium Tridentinum, post illud, & declarationes ipsius, aliter utique scripturi. VI.

Marinarius & Mussus nihil juvant Vedrosium.

Denique quæ pag. 151. affert D. Vedrosius ex epist. 107. Bernardi, quam scripsit ad Thomam Præpositum quendam, si tota studiosè legatur, nihil prorsus favet errori Calvinistico, imò illum validè confutat. Sic enim in ea loquitur, prope finem Bernardus. *Datur justificato præsentire aliquid NB. de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in prædestinante, plenius appariturum in beatificante; de qua tamen jam percepta fui met notitia interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.* Ita Sanctus. An poterat clariùs Catholicum sensum exprimere, & Calvinisticum reprimere? *Præsentire aliquid datur* subinde justificato de sua ipsius futura beatitudine; nosse autem certitudine aliquâ fidei, ut Reformati contendunt, non datur. Datur *notitia* quandoque, *de qua* justificatus *glorietur in spe, minimè autem in securitate*; quam securitatem, sive certitudinem indubitatam Reformati per nocentissimum errorem justificatis tribuunt. Quare obscurior ille locus S. Bernardi, quem Vedrosius citat, per hunc multò clarissimum explicandus est. cùm ergo dicit Bernardus: *Iustus quis est, nisi qui amanti se DEO vicem rependit amoris? quod non fit, nisi revelante spiritu, per fidem, homini æternum DEI propositum super salute sua futura*: non intelligit specialem aliquam revelationem Spiritûs Sancti, quò hæc verba Vedrosius detorquet, de futura sua salute; sed præsensionem aliquam, cum insigni spe conjunctam, ut in altera VII.

S. Bernardū contra se citat Vedrosius.

Nil novit Bernardus de certitudine salutis, sed de spe tantùm.

Explicatur obscurior ejusdem Patris locus.

tera ſententia loquitur, in qua *ſpe glorietur*, & exultet homo juſtus; ultra ſpem tamen non progrediatur, ut ſecuritate quâdam diffluat, quod apud Reformatos contingit. Denique iſthæc Reformatorum ſecuritas, & certificatio, contraria eſt toti Sacræ Scripturæ, Sanctæ antiquitati, & doctrinæ Sanctorum, & ipſi denique rationi. Nam Scriptura quidem nihil ita crebrò & ſtudiosè inculcat, ut *timorem Domini*, útque *ſalutem noſtram cum metu & tremore operemur.* ad Philipp. 2. ℣. 12. ut *ſerviamus Domino in timore & exultemus ei cum tremore* Pſ. 2. quem *timorem & tremorem* penitus excutit erronea doctrina Reformatorum, cùm ſola eis exultatio relinquatur; timor & tremor de occultis DEI judiciis, qualis in omnibus Sanctis ſemper maximus fuit, proſcribantur. Contraria quoque eſt toti Sanctæ antiquitati, quæ nunquam aliam, quàm conjecturalem certitudinem ſalutis agnovit, id eſt, talem, quæ meris ſolùm conjecturis ſive rationabilibus, & in Sacra Scriptura fundatis indiciis conſtaret. Talia indicia ac conjecturæ ſunt, odiſſe, & pro viribus cavere peccata mortalia, quin & venialia deliberata: quod indicium adducit pro ſpe ſalutis æternæ S. Baſilius in qq. breviùs diſputat. q. 12. & 296. afferens illud Davidicum: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* ex Pſ. 118. Tale quoque eſt, libenter & hilariter orationi vacare. eſt enim effectus probabiliter inhabitantis Spiritus S. *in quo clamamus: Abba, Pater.* ad Rom. 8. ℣. 15. de quo indicio S. Chryſoſt. in dictum locum S. Pauli &c. Crebrò quidem SS. PP. ut ſpem noſtram in cœlum, quàm maximè poſſunt, erigant, utuntur his loquendi formulis: *ſcit anima, cognoſcit, intelligit, videt &c.* ſe remiſſionem peccatorum, & juſtificationem, & DEI gratiam conſecutam. his, inquam, loquendi formulis aliud tamen non intelligunt, niſi firmiſſimam ſpem ac fiduciam de obtenta peccatorum venia, gratia, & obtinenda quoque olim gloria, ob conſolationes quaſdam internas, tale quid indicantes animæ, & ſuavitates in Spiritu Sancto; pacem animi, & quietem ſingularem; victoriam tentationum, à quibus antea victi ſunt; & ſimiles alias conjecturas. contrà à ſecu-

VIII. Securitas Calviniana manifeſtæ Scripturæ repugnat.

Toti quoque Sanctæ antiquitati.

Indicia ſola conſequendæ ſalutis norũt SS. Patres. & quæ illa?

1. Cavere ſedulò peccata.

à securitate illa, & omnimoda fidei certitudine, plurimùm & abfuerunt ipsi, & alios potenter abstraxerunt. hinc illud S. Augustini in lib. de perfectione justitiæ. *Quantâlibet*, inquit, *justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum* (à Deo scilicet, qui scrutatur profunda cordis,) Ejusdem jam morientis monitum erat, neminem, quantumvis nullius sibi peccati gravioris conscius sit, debere tamen ex hac vita sine pœnitentia exire; ut est in ejus vita. Unde omnes isti Sancti cum Jobo, *quasi tumentes super se fluctus ita DEVM timebant*, Job. 31. omnes cum eodem interrogabant se: *Quid faciam, cùm surrexerit ad judicandum Dominus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Denique & rationi penitus contraria est ista salutis non confidentia, sed planè præfidentia. Nam unde, obsecro, tu tam præfidenter tibi cœlum promittis? quia toties fidelibus suis, inquies, Deus ipse promisit. nitor ergo promissionibus Dei. Atqui omnes istæ promissiones conditionatæ sunt, id est, certis conditionibus affectæ. v.g. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. Ecce cœlum promittitur, sed non aliis, nisi servantibus mandata. Ecce observatio mandatorum promissioni huic veluti conditio adjuncta est. Ita alibi ex toto corde conversis ad Dominum serióque pœnitentibus & remissio peccatorum spondetur, & vita æterna. Ita Scripturæ passim affirmant nobis. Sed ubi ullâ Scripturâ didicimus nos seriò conversos ad Deum esse, & sic justificationem & gratiam adeptos, & posthac gloriam adepturos? quæ cùm ita se habeant, unde mihi in particulari divinâ fide, seu certitudine fidei, constare potest, me indubiè salvum fore? Error est, deceptio est, hæresis est, unáque ex nocentissimis hæresibus est. Vide præclarissimè hæc omnia pertractantem Bellarminum, toto l.° 4. de justificatione.

2. Addictum esse orationi. ex S. Chrysost.

Qui paulò liberiùs loquuntur SS. Patres, quomodo intelligendi.

IX. Omnes Magni Sancti metuebant de sua salute.

Promissiones DEI conditionatæ sunt, non absolutæ.

O Reformati! *ô seductæ columbæ Ephraim!* Timorem Domini revocate ab exilio, quò eum Calvinus vester fugavit; aut malè vobis erit in extremis. Nam non nisi *timenti Dominum bene erit in extremis*, Siracida teste c. 1. 13. *Qui autem sine timore est, non poterit justificari.* ibid. ℣. 25. nec igitur glorificari.

Qui sine timore est, non poterit justificari.

ARTICVLVS XIV.

De Antichristianismo, ex qua parte se teneat, Catholicorum, an potiùs Reformatorum?

I. OBjecit Reformatis in exemplo suo ultimo, quod ordine trigesimum est, pag. 181. noster D. Georgius, Antichristianam esse doctrinam illam Reformatorum, cùm docent, nihil nobis præsidii esse in Sanctis, idque non ex suo sensu, sed S. Ambrosii, aut certè vetusti alterius Doctoris, ita scribentis in illa verba Apocalyptica: *Aperuit Bestia os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & Tabernaculum ejus, & eos, qui in Cælo habitant &c.* In hæc verba sic Ambrosius. *Blasphemabit & eos* (Antichristus) *qui in cælo habitant, id est, Martyres & ceteros Sanctos, dicens, nihil prodesse eos posse cuiquam, falsúmque esse, quidquid de eis à fidelibus asseritur.* Ita Ambrosius, Antichristo tribuens ceu blasphemiam, si dicere præsumat, Sanctos Martyres & alios Sanctos, nihil prodesse posse cuiquam. Quia autem ipsissimum hoc docent Reformati, Antichristi ipsis notam, cum S. Ambrosio, inussit non immeritò D. Georgius, & Antichristianam doctrinam, hanc eorum doctrinam, magno hoc auctore fretus, appellavit, sicque exempla sua finivit.

Antichristianismi arguit D. Georgius Reformatos.

Ex S. Ambrosio.

Quid ad ista D. Vedrosius? quid defensionis pro se contra S. Ambrosium affert? Si legas, amice Lector, quæ à pag. 161. & deinceps affert Vedrosius, idem dicas palam, quod ego, lecto hoc responso Vedrosiano, tacitus apud me continuò dicebam:

Idcirco: quòd doceant nihil prodesse nobis posse Sanctos.

II. Alibi *febricitat* Vedrosius, inquiebam, & ab æstu illo immodico, utcumque pacatè tamen, delirat: *hic planè furit.* Hic non calamis & atramento, sed medico & pharmacis est opus. Nulla pars paginæ, nulla propè est linea, sine convitio & execratione. Romanus Pontifex ipsissimus ei Antichristus est, *Dux & Caput omnis Apostasiæ*, Diadema Illius triplex, triplex ordo est, capitalium triplicium errorum, scilicet Tyrannicorum, Idololatricorum, & Magicorum; quos exinde enumerat, sed nec

Ad hæc ita objecta furit planè Vedrosius.

nec unicum probat. Inde plerasque Antichristi notas Romano Episcopo affricat, ut quòd sit, *Homo ille peccati.* 2. Thessal. 2. *Filius perditionis,* 2. Thessal. 2. Christi adversarius juratus, qui se Christo opponat. Ibid. *Qui efferat se supra omne id, quod dicitur DEUS.* Ibid. *qui sedeat in templo DEI, tanquam DEUS.* Ibidem. *cujus adventus sit in signis & prodigiis mendacibus.* Ibid. *qui non confiteatur IESUM Christum in carne venisse.* Joan. 4. qui defendat *doctrinas dæmoniorum.* 1. Tim. 4 qui propriam Antichristi sedem obtineat, septicollem Romam. Apoc. 17. Simul nos Catholicos omnes idololatriæ, & magicarum superstitionum ac artium, tantæ insuper stultitiæ reos facit, ut Papam pro Numine habeamus & adoremus &c. An non autem ista dicta furentis alicujus Herculis Oetæi sunt, de quo novam Tragœdiam Senecæ pangant. Examinemus parumper, & sic Parti huic secundæ finem imponamus.

Retorquet hanc Antichristi notam in Romanum Pontificem cum enormibus conviciis in Pontifices.

III. Primùm an non advertit Vedrosius, Catholicos omnia hæc, quæcumque in Romanos Pontifices evomuit, retorquere posse, multò majori jure, in Calvinum, ostenderéque, quod ipse sit potiùs verissimæ, & manifestissimæ *Dux Apostasiæ, homo peccati* (ut verè erat) & *filius perditionis*, qui se Christo verissimè opposuerit, omnia Christianorum sancta instituta, ut suprà vidimus, convellerit, & aut omnino abrogarit, aut velut si alter Christus, & è cœlo missus Legislator esset, pro libidine immutarit, atque inverterit, ita ut nihil omnino Sanctæ illius & antiquæ Ecclesiæ inter Reformatos reliquũ sit: quorum nihil de Summis Pontificibus, antiquorum institutorum retinentissimis, dici queat. Ex his tamen omnibus characteribus Antichristianis, si ex Calvino vellemus Antichristum facere, illum, inquam, propriè dictum Antichristum, venturum in fine seculorum, tam imprudentes & stolidi nos Catholici essemus, quàm imprudens Vedrosius est, & similes ipsius, qui tortissimis, millies auditis, millies refutatis argumentis, conantur ex Pontificibus Romanis non Antichristum, qui unicus erit, juxta omnes SS. PP. sed quod maximè ridiculum est, ducentos propè, à tem-

Respondetur ad cœca convitia Vedrosiana.

à tempore S. Gregorii Magni, Antichristos exsculpere; quod ita hucusque, per centum hos annos, non præstiterunt, ut neque unicam Antichristi notam propriam, omnibus licet fallaciis usi, de Romano ullo Pontifice demonstrare potuerint. Itero, nec unicam; cùm tamen omnes omnino probandæ fuissent, nec unicâ quidem exceptâ. Nam etsi quispiam eorum luxuriæ v.g. deditus erat, (& paucissimi tales erant) an propterea statim est, *Homo ille peccati*, de quo Apostolus 2. Thessal. 2? Tum enimverò totus mundus plenus Antichristis foret, & Calvinus ac Beza in primo agmine Antichristorum starent. Et tamen hæc argumentatio, & præclara scilicet demonstratio, ex luxuria paucorum Romanorum Pontificum desumpta, est Vedrosij nostri, pag. 166. in fin. Notam ergo propriam Antichristi à te exigo, Vedrosi, vel unicam quam de Romano Pontifice, sive hodie Ecclesiam gubernante, sive alio quovis demonstres. Si id præstas, in numero bonorum Virorum censeberis. Sin autem, stigmate dignus es, utpote in re gravissima omnes non Pontifices solùm, sed & Cæsares, & Reges ac Principes, denique Catholicos omnes in unico Pontifice calumniatus. aut deniq; probandũ tibi erit, & ex Scriptura demonstrandum, (nam alias probationes ipsimet non admittitis) vobis Calvinianis & Lutheranis Ministris solis fas esse, & licere, quoscumq;, summos, infimos, medios, impunè, quin & laudabiliter, calumniari, cùm id Ratio status vestri exigere vobis videtur.

Toto hoc seculo nec unicam notam Antichristi de Papa probare potuerunt Adversarij.

IV. Denique calumniam hanc de Antichristo Romano, de qua nos fusiùs infra Sect. VII. Art. IX. toto. cum Luthero & Calvino, qui specula scilicet omnis sanctitatis fuerunt, primùm natam, & ab iisdem, ac sequacibus eorum per mille mendacia, & imposturas propagatam, jam tot ac tanti è Catholicorum numero, viri doctissimi, & integerrimi tam potenter, tam clarè ac perspicuè confutarunt, contuderunt, falsitatis pudendæ convicerunt, enervarunt, & risui omnium, qui aliquid sapiunt, & *sub peccato* nondum *venundati sunt*, exposuerunt, ut verbum addere sit aquam in mare portare. Talis ex Italis fuit Card. Bellarminus, libro integro, bene longo, qui est tertius

Recensentur ij, qui calumniam hanc de Antichristo Romano jam olim potentissimè confutaverint. Ex Italis.

liber

liber de Summo Pontifice; ex Gallis, Florimundus Remondus, integro volumine; ex Germanis nostris, hæreticorum malleus ille, Gretserus Jesuita, libro item integro, qui est Liber tertius Defensionis Bellarminianæ Tomo secundo: apud quos confutatissima reperies omnia, quæ Vedrosius ab alijs descripta, ad finem Sectionis suæ sextæ recoquit. His respondendum priùs est, Vedrosi; & tum primùm nova bella suscitanda. Et quia, his jam scriptis, incidi in Censuram, meæ superiori simillimam, quam ultimus ex dictis, Jacobus Gretserus, initio libri illius, quem dicebam, tertij, affert contra hos Papa-mastyges, placuit hîc pro coronide opponere. Ita autem habet. Gallis. Germanis.

Censura R. P. Iacobi Gretseri meritissima contra hæreticos Papa-mastyges.


TAmetsi Novatores, inquit, *in omnibus controversiis, quæ nobis cum ipsis intercedunt, petulantiâ, mendaciis, convitiis, & contumeliis insigniter instructi in aciem prodeunt, in hac tamen de Antichristo disceptatione, seipsos longissimo intervallo superant: & ut, quod volunt, obtineant, nempe Romanum Pontificem esse Antichristum, nullius eos pseudologiæ, sive mendacij, nullius lædoriæ, sive maledicti; nullius probri, nullius antilogiæ, sive contradictionis; nulliúsque depravationis, & corruptelæ pudet, ita ut, cùm alibi Scribas, hic furiosas Mænadas agere videantur.* Ita verissimè Gretserus; qui, quod dicit hoc loco, deinceps integro libro probat. Et hoc viri honesti est; non dicere solùm hæc talia, sed dictis fidem argumentis adstruere, probare, evincere. V. Alibi Scribas & Pharisæos agũt Sectarii; cùm verò ad Romanum Pontificem ventum fuerit, metas furias. Ita Gretserus.

CONCLUSIO PARTIS II.

FIniam nunc, cum Bono DEO, secundam hanc Partem Apologiæ meæ, quæ erat de *Deformi Conformitate* Ecclesiæ Reformatæ cum Veterum Sectariorum *malignantibus Ecclesiis*; quæ re ordine octava Ratio fuit Conversionis suæ D. Georgio, re tamen ipsa aut prima, aut primæ proxima. Et utinam pluribus sit! eritque indubiè, si ritè, & sine obstinationis pertinacia perpendatur. Quis enim non horreat tali Ecclesiæ accenseri? Addo hîc autem coronidis loco, *idque coram DEO, & Christo IESV* cum Apostolo. VI.

Si omnes illos perlegam, qui de Veterum hæresiarcharum, atque hæreticorum, aut potiùs perversis his Magistris Credentium, uti S. Augustinus molliter appellat, erroribus scripserunt, uti sunt ex vetustissimis S. Irenæus, S. Philastrius & S. Epiphanius cum S. Augustino & Theodoreto, ex posterioribus autem S. Joannes Damascenus &c. si hos, inquam, omnes perlegam, non invenio Sectam ullam, quæ plures simul errores habuerit ac defenderit, uti postremæ duæ, Patrum & nostrâ memoriâ exortæ ac propagatæ, Lutheranorum scilicet & Calvinianorum, quibus utrisque plerique omnes Veterum errores communes sunt. Collegit eos utcumque Jacobus Gualterius, doctus inter Gallos Jesuita, in seculo decimo sexto Chronographiæ suæ Ecclesiasticę. Et quidem in cap. 1. quod sequitur annos expansos seculi 16. & agit de Lutheri erroneis opinionibus, mihi pag. 750. recenset hæreses diversas Lutheri septuaginta octo; quarum singulas ex ipsis Lutheri, vel aliorum fide dignis scriptis recenset: capite autem 15. quod de Calvini tractat erroribus, Centuriam integram errorum ejus in fide enumerat, omnes ex ipsiusmet Calvini, vel Bezæ, Armigeri ejus, scriptis excerptos; professus tamen, eam minimam partem esse errorum Calvini. Hunc lege, si placet, si tibi ad manum est, amice Lector, & quid tibi posthæc consilij capiendum sit, si Calvinum hucusque secutus es, coram DEO, oro, expende, sed in trutina ÆTERNITATIS, quam non alia pondera, quàm gravissima degravant. Quodsi aut Gualterius hîc, aut similis alius præsto tibi non est, sufficere tibi poterit secunda hæc Pars scripti mei, cui hîc finem impono, & Tertiam auspicor.

Ex omnib' Sectis præteritorum seculoru nulla, errorum multitudine, Calvinianæ ac Lutheranæ æquiparari potest.



PARS

PARS III.

Complectens reliqua MOTIVA Conversionis Georgianæ, quæ sunt potissimum ista.

I. Abusus Scripturæ perpetuus in scriptis Reformatorum, aliorúmque Evangelicorum.

II. Omnium Symbolorum Fidei, Apostolici, Nicæni, Athanasiani neglectio, non-curantia, rejectio.

III. Dissensio aperta Reformatorum in ipsis quoque fundamentalibus Articulis Fidei, & speciatim in nominatione Romani Antichristi, ut Papam Catholicum appellant.

IV. Novitas Sectæ Calvinianæ: circa quam quæritur: ubi Calvini Fides fuerit & latuerit ante Calvinum?

V. Crimina falsi, totis amphoris affusi, præsertim in materia Transubstantiationis Eucharisticæ.

VI. Spiritus Calumniæ Evangelicis familiaris.

VII. Spiritus blasphemiæ eisdem domesticus.

SECTIO VII.

Complectens reliquas Conversionis Georgianæ Rationes, Motiva, & occasiones.

PROLOQUIUM.

DUas maximè præcipuas, & omnium non insipientium, aut studiosè non pertinacium judicio gravissimas, ponderosissimásque, quas habuit Conversionis suæ caussas D. Georgius, prioribus duabus Partibus, cum eodem D. Georgio, ceu Duce nostro, executi jam sumus, quæ DEI est gratia.

Quia verò aliquot, momenti non exigui, Rationes Conversionis ejus etiamnum restant, eas in hanc Partem conjecimus; non quòd illæ tales nobis sint visæ, ut binis illis necessariò adjungerentur, quæ sapienti cuivis sufficientissimæ ad hoc erunt, ut lucem à tenebris distinguere valeat, & veritatem ab errore; sed solùm ad melius esse, ut loquimur, & ex abundanti, útque nihil in Georgiana hac Apologia prætermissum à nobis quisquam conqueri queat.

Quales autem illæ Rationes sint, Frons Partis hujus tertiæ jam prænotavit. In rem ergo ipsam mox veniamus.

ARTICULUS I.

Quæ callidè dissimulaverit D. Vedrosius, & sine responso præterierit.

I. Ratio XXII D. Georgij, quæ est de Symbolorũ neglectu, momenti est longè maximi.

ANtequam ad prænotatas caussas veniamus, unico articulo dissimulationes Vedrosianas indicemus. Ratio XXII. D. Georgii, per paginas omnino quindecim diducta, à pag. scilicet 234. usque ad pag. 266. talis est, & tam dilucidè, & irrefragabiliter ostendit difformitatem doctrinæ Reformatæ cum doctrina illa totius sanctæ antiquitatis, quæ nobis per Symbola potissimùm, Apostolicum, Nicænum, & S. Athanasii innotescit, ut clariùs & palpabiliùs non posset ostendi; in quo D. Georgius sum-

summam & diligentiæ, & exquisiti zeli laudem est meritus. de hac Georgiana Ratione XXII. dico brevissimè. Si omnes alias Rationes seponeremus, ista unica sufficeret ad agnoscendos, & verò etiam palpandos errores doctrinæ Reformatæ, & Veritatem Catholicæ. Lege, oro, & relege, quisquis es, & sentire incipies mecum. Ego certè satiari legendo non potui. Hanc autem totam vigesimam secundam Rationem penitus prætcrivit in Examine suo D. Vedrosius. Sapienter sanè in rem suam, eâ nimirum *prudentiâ*, quæ *Carnis* Apostolo dicitur ad Rom. 8. Nos verò non donamus responsum exigimus: aut desperatione factum existimabimus, ut omnino sileret ad ea, ad quæ responsum rationabile nullum occurreret.

Eam tamen penitus præterivit D. Vedrosius.

II. Simili sapientiâ usus est circa Rationem D. Georgij XXIV. quæ est de sinistra Sacræ Scripturæ applicatione, quâ utitur Reformata Ecclesia, ad Erronea sua dogmata stabilienda, imò non utitur, sed abutitur; quæ rursus gravissima meritò caussa esse potest cuilibet cordato Viro, (& fuit D. Georgio) ut deserat talem cœtum, in quo talis abusus viget. Hujus Rationis vigesimæ quartæ refutationem promittit quidem in Titulo Sectionis 7. Vedrosius his verbis pag. 170. *Sectio VII. exhibens Examen Rationum XXIII. XXIV. XXV. XXVI.* In progressu autem Sectionis cùm absolvisset Examen Rationis XXIII. quæ est de contradictionibus Reformatorum, ita illud concludit pag. 177. *Verùm ne diutius immorer, cùm totum hoc scriptum perpetuus index sit dissensionum Ecclesiæ Romanæ Doctorum, gradum promovebo.* Cùm verò gradus promovendus esset ad Rationem vigesimam quartam, uti titulus Sectionis spondebat, ipse his verbis gradum promovet, præproperum nimis, ad Rationem XXV. *Ratione vigesima quinta*, inquit, *quod huc commodè refertur, exagitat D. Georgius dissensum nostrorum, in aperienda errorum Ecclesiæ Romanæ origine prima &c.* quâ ratione ejusque examine absoluto, statim progreditur pag. 180. ad Rationem Trigesimam quintam & sextam. Ad Rationem autem XXIV. ad sinistras scil. & ridiculas scripturæ applicationes,

Eodem modo Rationẽ 24. quæ est de abusu S. Scripturæ.

Etsi contrarium in titulo Sectionis 7. promiserit.

Horum ergo confutationem adhuc debet D. Vedrosius.

 quid

quid ais, quid responsi das, Vedrosi? Debitor itaque hîc quoque remanes, aut mancam D. Georgii Refutationem diceris edidisse.

Hæc autem ignorari à cupido Lectore non patiar, sed brevi compendio, in sequentium articulorum uno alteróve, utramque illam Rationem tibi exhibebo, Lector, ne laude suâ eximiâ, quam duabus his rationibus promeritus D. Georgius est, fraudetur, alii verò fructu eximio.

ARTICULUS II.

Abusus perpetuus S. Scripturæ per sinistras Reformatorum applicationes & interpretationes.

I. 24. Ratio D. Georgij regustatur, Hæretici semper adulterarunt Verbum DEI.

OBjecit hoc Reformatis, olim suis, D. Georgius, eámque vigesimam quartam Conversionis suæ rationem statuit pag. 180. & seqq. Id autem ante mille sexcentos annos omnibus & præsentibus illius temporis, & omnibus sequentibus hæreticis objecerat jam S. Paulus Apostolus, 2. Cor. 2. ℣. 17. *Non sumus, sicut plurimi*, inquit, *adulterantes verbum DEI, sed ex sinceritate, sed sicut ex DEO, coram DEO, in Christo loquimur.* Dictum hoc est contra hæreticos. Adulterarunt enim illi omni tempore verbum DEI, & omnia sua dogmata, in speciem, ex Scriptura Sacra, ne improbitas pateret, comprobare studuerunt. Lege vel unicam illam longissimam Collectionem, sive disputationem, quæ inter S. Augustinum, & Maximinum, hæreticum Arrianorum, Episcopum, intercessit, & operibus S. Augustini Tomo 6. inserta est, mihi pag 247. lectu longè dignissima. In ea Maximinum, hunc audies, quod & suprà insinuavi, meras propè scripturas loquentem, iisque hæreticum suum dogma stabilire laborantem. In hoc verò planè patrissant sectarij hodierni, dum & ipsi sanctissimis è Sacra Scriptura sententiis doctrinas suas colorare student. Hoc ostendit D. Vedrosius Ratione sua 24. & decem id exemplis demonstrat, ex quibus non nisi primum hic inseremus, exempli gratiâ, quod est de Traditionibus non scriptis, sive de verbo Dei

Hodiéque adulterant.

non

non scripto, sed tantùm per manus tradito. Rejiciunt id ex toto Reformati; sed Scripturâ ad hoc est opus, ut aures ineruditæ plebis, scripturarum conglobatis sententiis stupefaciant.

II. Exemplum ponitur in dogmate de Traditionibus à D. Georgio.

Adducunt scripturas tres, & hodiéque adducunt, etsi millies jam perceperint ex scriptis Catholicorum, quis eorum locorum, nihil ad propositum illorum faciens, sensus sit.

Primus locus contra Traditiones adulteratus à Reformatis ex Deuter.

Primus locus est ex cap. 4. Deut. ℣. 2. *Non addetis*, inquit Moses, *ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini DEI vestri, quæ ego præcipio vobis.* Ita S. Moses. Ex his Mosaicis verbis inferunt imperitissimè Reformati, cum Calvino suo, nullas traditiones scriptas præter Verbum DEI admittendas esse. Quæso autem vos, de quo Verbo DEI est hîc sermo? an non de Verbo DEI per Moysen voce primùm, deinde & scriptis tradito? Ergo pessimè fecit Josue, David, Isaias, Jeremias &c. qui aliquid ad quinque libros Mosis addiderunt, scilicet suos Canonicos libros. Ita rectissimè argumentatur contra hos Novatores Cornelius à Lapide in hunc locum Mosis, & D. Georgius pag. 284. qui insuper rectè quærit, cur addant Reformati, contra verbum Mosaicum, Dominicam diem, quâ feriantur, cùm DEUS per Mosen diem Sabbathi præscripserit? Sensus ergo Legis hujus Mosaicæ iste solùm est, nihil addetis repugnans, aut contrarium, nihil etiam detrahetis, aut immutabitis, quàm diu lex hæc Mosaica durat. illâ enim exspirante, post mortem scilicet Salvatoris, & addita sunt multa, scilicet omnia præcepta Evangelica, & detracta plurima, omnes scil. leges Ceremoniales.

III. Alter locus ex Apocal. adulteratus.

Multò absurdior est applicatio alterius Scripturæ ex c. 22. Apoc. ℣. 22. Ait ibi S. Evangelista: *Si quis ad verba Prophetiæ hujus adjecerit, imponet ei DEUS plagas scriptas in libro isto: Et si quis abstulerit ex verbis prophetiæ hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vitæ.* Quis autem vel puer, si modò legat verba ista, non statim intelligit, loqui S. Joannem de solo hoc suo libro Apocalypseos? aliàs nihil admittendùm esset, credendum nihil, nisi quod in Apocalypsi contineretur, ut rectissimè D. Georgius ar-

gumentatur. quis autem hoc dicat, nisi insanus? Nihil ergo prorsus huc facit hæc sententia S. Joannis, nisi ad confusionem Novatorum nostrorum.

IV.

3. Locus ex c. 15. Matthæi adulteratus.

Tertia Scriptura desumitur ex illis verbis Salvatoris, Matt. 15. ℣. 9. *Sine caussa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*: quæ millies repetunt, & millies simul ineptiunt. Nam iterum imperitissimè hic locus contra traditiones adducitur. Ut enim ex consequenti contextu patet, locutus est Dominus de iis solùm doctrinis & mandatis Pharisæorum & Scribarum, quæ erant contraria Legi DEI. Unde statim addidit: *Et irritum fecistis mandatum DEI propter Traditionem vestram.* Atqui traditiones non scriptæ, quas ab Apostolis acceptas Ecclesia Catholica non aliter custodit & servandas proponit, quàm scriptas, non sunt ejusmodi, ut *irritum faciant mandatum DEI.* Quod in hoc exemplo unico demonstravit D. Georgius, scilicet fœdum S. Scripturæ abusum, hoc idem præstat in reliquis omnibus.

Restant autem depravationis ejusmodi Scripturariæ exempla insuper novem apud D. Georgium, lectu dignissima, quomodo scil. ex depravatis Sacræ Scripturæ locis probent Reformati

Novem alia exempla depravationis scripturariæ.

1. Claritatem Sacræ Scripturæ. pag. 284.
2. Justificationem hominis ex sola fide. pag. 285.
3. Liberum, vel non liberum arbitrium hominis. pag. 300.
4. Missæ sacrosanctæ abdicationem. pag. 302.
5. Invocationis & intercessionis Sanctorum abrogationem. pag. 306.
6. Cultûs Imaginum Sanctarum damnationem. pag. 308.
7. Articuli de descensu Christi ad inferos eversionem. pag. 311.
8. Quadragesimæ abrogationem. pag. 312.
9. Purgatorij evacuationem, pag. 315.

Ad has autem omnes depravationes Scripturæ Sanctæ, Reformatis objectas, ut ostensum est priori articulo, nihil respondit benè cautus in hoc, & catus Vedrosius; quasi scilicet res momenti tanti non foret, cùm sit momenti vel maximi; aut quacumque demum

demum alia ex caussa ipsi cognita, nobis autem nimis quàm suspecta; quod monere iterum hoc articulo necessarium duxi.

Ceterùm si supervivere D. Georgio licuisset, & hoc Vedrosianum scriptum inspicere, opus non habuerat exemplis veteribus scripturarum depravatarum, cùm ei materia sufficiens ex solo hoc scripto Vedrosiano suppeteret, cujus rei specimina non omnia, sed paucula solùm hoc loco Lectori meo objicere obiter placuit ex solis epistolis Paulinis.

Illud itaq; D. Pauli dictum de Antichristi adventu 2. Thessal. 2. ℣. 3. *Nisi discessio venerit &c.* turpissimè depravavit, uti ostensum à me est P. 3. Sect. 7. art. 9. Item illud Paulinum 1 Timoth. 3. ℣. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, uti demonstratum est à me P. 1. Sect. 4. c. 5. pag. 145. Item illud ejusdem ad Roman. XI ℣. 19. *Dices ergo: fracti sunt rami &c.* his plura invenies in notis marginalibus tum Sancti Pauli, (quem adeò maritum facere audet, contra expressissima & clarissima Pauli ipsius verba) depravata loca, tum Sancti Joannis, Coapostoli ipsius, præsertim illa capitis 3. ℣. 5 *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA *& Spiritu Sancto, non introibit in regnum* DEI; quæ verba negat contra omnes Sanctos ad baptismum aqueum pertinere, uti commonstravi suprà P. 2. Sect. art. 8. §. 1. qui est de erroribus Reformatorum circa baptismum. Denique totus artic. 9. ejusd. Sectionis ponit ob oculos perpetuos Scripturæ abusus, & sinistras ejusd. interpretationes, quoties scriptura aliquid vel præcipit, vel consulit carni & ventri contrarium, & inimicum. Vel solo itaque hoc Vedrosiano scripto est opus ad ostendendam hanc labem non unius Vedrosii, sed omnium prorsus Reformatorum, aliorúmque Evangelicorum, quibus impossibile est erroneas suas opiniones vel in speciem tueri, sine infinitis scripturæ abusibus, hoc est, totidem sacrilegiis. Sed *aliter festa hæc non constant.* Aliter hæ nundinæ non frequentantur, neque merx alia exponitur venalis in hoc foro. Expende, Lector Reformate, & saluti tuæ cum D. Georgio maturè consule. Hæc expendentem Georgium, Catholi-

Depravationes Vedrosianæ specialiter adnotatæ.

tholicum meritissimò effecêre. Nunc ad Symbola solis verbis apud Reformatos laudata, re verò ipsa penitus rejecta veniamus; nec more Vedrosii dissimulemus, suspectissimâ utique dissimulatione; quâ Reformatorum caussæ in toto opere Vedrosiano nulla magis officiat, uti prudens Lector, articulis tertio, quarto, & quinto, qui mox sequuntur, studiosè perlectis & expensis ipse poterit judicare.

ARTICULUS III.

Quomodo Symbola omnia Reformati rejiciant, & inprimis APOSTOLICUM.

INter fidei Symbola, sive publicas Confessiones, primo loco Symbolum pono Apostolorum, *Credo* dictum vulgò. Deinde Symbolum Nicænum, ab illis 318. Patribus Nicææ in Bithynia congregatis, tempore Constantini Magni editum, & ab ipsis etiã Reformatis, verbo tenus, sed non nisi verbo tenus, receptum. Tertiò Symbolum S. Athanasii, quod & ipsum non verbo rejiciunt, sed facto, ut mox videbimus.

I. De Symbolo Apostolorum. Primò mirari subit, cur Symbolum Apostolorum recipere ausint Reformati, cum solâ traditione constet, & Scriptura divina non sit. An non hac ratione suummet illud Principium evertunt, nihil præter scripturam recipiendum pro norma fidei? Atqui Symbolum hoc, quod scriptura non est, recipiunt pro fidei norma; quomodo itaque sibi constant? Sed hoc video me quærere frustra. nullibi sibi constat error.

Ex 12. Articulis hujus Symboli nullum omnino, fide integrâ credit Calvinus. Videamus nunc, quanto in honore apud eos sit hoc Apostolicum Symbolum, & qualis regula fidei ipsorum, ubique gloriantium, se non nisi Apostolicis & propheticis doctrinis in omnibus niti? Accipe, quomodo nitantur.

Ex Duodecim illis articulis, Symbolo Apostolorum comprehensis, nullus est, nullus omnino, quem sincerâ & integrâ fide credant. Ita cum Jacobo Gualterio in sua Chronographia, & Lau-

Laurentio Forero, in suo Symbolo Calviniano, aliisque, securus, etsi non sine horrore & commiseratione pronuntio. Heu quò hæresis deducit, ut totum denique Christianismum, qui Symbolo illo potissimùm continetur, è medio denique tollat! Hoc mihi jam aut probandum est, aut illud Pauli judicium subeundum: *Maledici regnum DEI non possidebunt.*

I. Fidei Articulus non creditur Reformatis, maximéque Calvino.

Credo in DEVM Patrem Omnipotentem.

Primus fidei Articulus ita habet: CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, &c. Hanc DEI omnipotentiam non credit Calvinus, quia non credit Potentiam DEI absolutam; imò detestatur, & blasphemiæ arguit eos, qui credunt. Ita is loquitur in comment. in Isa. c. 23. ℣. 9. *Commentum illud de absoluta potentia DEI, execranda blasphemia est.* Imò, ô Calvine, hæc sententia tua, Christianorum auribus hucusq; inaudita, blasphemia est execranda. In suis verò Institutionibus l. 3. c. 23. §. 2. hanc blasphemiam suam ita confirmat. *Neq; tamen commentum ingerimus absolutæ Potentiæ* (DEI) *quod sicut profanum est, ita meritò detestabile nobis esse debet.* Ita Calvinus. In specie autem negat omnipotentiæ DEI non uno in loco, separationem proprietatum naturalium à substantia rei. Negat penetrationem corporum. negat corpus unum pluribus in locis simul, etiam ab omnipotentia DEI, collocari posse. & ob has rationes præsentiam Christi in Eucharistia, sub speciebus panis & vini, contra omnes alios Christianos præfractè negat. II.

In Articulo primo omnipotentia DEI absoluta non creditur à Calvino.

II. Fidei Articulus, qui est de Christo, sincerâ & integrâ fide non creditur Calvino.

Et in JESVM Christum Filium ejus &c.

Etsi plures inveniam hæreses Calvini, quæ Christo D. injuriæ sint, tamen unam modò, alterámve hîc adducam, cùm alias jam suprà adduxerim. Non credit Calvinus in Filium DEI, III.

In 2. Articulo æqualitas Filij DEI cum Patre non creditur à Calvino.

quemadmodum credi ab omnibus vere fidelibus par est. Omnes enim orthodoxi ita credunt *in IESUM Christum, Filium DEI unicum, Dominum nostrum*; ut simul credant, cum æterno Patri, quoad naturam divinam, per omnia æqualem esse, & non nisi quoad naturam humanam Patre æterno Minorem. Calvinus autem, etiam secundùm naturam divinam, Filium DEI facit Patre minorem, qui ipsissimus Arrianismus est. Ita autem docet Calvinus in epistola ad Polonos, unde etiam Arrianismus per illas partes invectus. Vide S. 2. a. 2. suprà.

III. Fidei Articulus non creditur:

Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex MARIA VIRGINE.

IV. In 3. Articulo Virginitas Deiparæ non creditur à Beza & ejus sequacibus.

Neque hunc credit, ut par est, Calvinus. Nam si penetrationem corporum etiam divinæ potentiæ impossibilem asserit, virginitatem B. MARIÆ Virginis credere non potest, quæ absque penetratione corporum Christi, & benedictæ ejus Matris, non potest aut fieri, aut explicari. Et verò apertè virginitatem B. MARIÆ in partu, quo Salvatorem edidit, negavit Beza, primarius Calvini discipulus, in Thesi 9. ex 25. Thesibus ab eo editis, quæ extant Tom. 3. operum Bezæ, ubi scribere ausus est in summam Christi, & benedictæ ejus Matris injuriam, Christum ex MARIA communi hominum more, ac modo cruento natum esse; quod nemo ante eum, quàm damnati hæretici docuerunt, Helvidiani, Jovinianistæ & his vetustiores Cerinthiani, & Ebionitæ, ut apud SS. Epiphan. & Augustinum invenies. In quo Reformati, quotquot hoc cum Beza, & Vermilio suo, aliàs Petro Martyre dicto, sentiunt, ipsos Turcas quoad hoc superant. Nam Mahometus in suo Alcorano c. 29. expresse fatetur, *Beatam MARIAM & in partu & post partum Virginem permansisse, divinâ virtute.*

Creditur tamen ab ipso Mahometo.

IV. Articulus Fidei non creditur:

Descendit ad Inferos.

Articu-

Articulum hunc, scilicet Christum secundùm animam à corpore solutam, descendisse ad *inferiores partes terræ, & inde captivam duxisse captivitatem, & eduxisse de lacu vinctos suos,* (ut prophetæ loquuntur) non credunt Reformati; ne tertium debeant locum concedere præter Cœlum & Infernum. Atque ita Articulum istum aut totum velut expungunt ex Symbolo, aut ineptissimè explicant, Calvinus quidem de pœnis damnatorum à Christo in Cruce toleratis, l. 2. Instit. c. 16. n. 10. Beza autem de sepulcro. ineptissimè. hic enim prodiret sensus planè tautologus, ut suprà etiam insinuavimus: *Mortuus, & sepultus, iterúmque sepultus*, ut quilibet advertere ipse potest. Ita autem docuit Beza in c. 2. Actor.

V.

In 4. Artic. non creditur Christi descensus ad inferos.

V. & VI. Articulus Fidei non creduntur.

Tertiâ die resurrexit à mortuis, Ascendit ad cælos &c.

Resurrectionem Christi, qualem Catholici semper crediderunt, non credunt Reformati. Semper enim à Catholicis creditum est, Christum D. ex clauso & reserato sepulcro, redivivum prodiisse, per dotem subtilitatis, gloriosis corporibus inditam à DEO. Unde hanc è sepulchro Resurrectionem, Nativitati Dominicæ compararunt SS. Patres, in qua clauso Matris integerrimæ utero in lucem est editus. Negat hoc Calvinus l. 4. Instit. c. 17. n. 29. ne cogatur fateri duo se corpora penetrare posse, & per hoc, præjudicium errori suo conciliet, quo absolutam DEI omnipotentiam negat. Rursum & illud negat, (quod itidem ad resurrectionem Dominicam pertinet) per clausum ostium die Paschatis Christi corpus gloriosum ad discipulos penetrasse, de quo nulla unquam apud orthodoxos dubitatio fuit. Idem error tenet Reformatos Ministros circa ascensionem Christi, quem negant contra expressa S Pauli verba ad Hebr. 4. *cælos penetrasse* in Ascensione sua, sed ijs non nisi disruptis, & perforatis ascendere potuisse. Ita Calviniani Mini-

VI.

Neque resurrectio Christi, neque Ascensio fide integrâ creduntur.

ſtri unanimiter decreverunt in diſputatione publica Pariſiis anno 1566. habita, in qua ſcripto hanc ſuam ſententiam tradiderunt, unde Catholici exſcripſerunt, & orbi prodiderunt.

VII. Articulus Fidei non creditur:

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

VII. Quid de hoc Articulo ſenſerit Calvinus, ex ipſiusmet verbis collige. *Neque enim timendum eſt*, ait, *ut in DEI judicium ampliùs veniant peccata noſtra, à quibus tam pretioſâ mercede nos abſolvit DEI filius.* Ita docet in ſua Harmonia ſuper c. 26. Matth. ℣. 26. An non hoc eſt judicium Chriſti penitus tollere? An non hoc eſt Chriſtum ipſum Dominum veluti mendacem facere, dum is è contrario ita pronuntiat, Matth. 16. ℣. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet VNICVIQVE ſecundùm opera ejus.* Dupliciter erraſſet Chriſtus ſecundùm Calvinum, dum dixit, *ſe redditurum unicuique*, ſive prœmium ſcilicet, ſive ſupplicium æternum, & quidem *ſecundùm opera ejus.* Erras Calvino, Chriſte Judex. non *ſecundùm opera*, ſed ſecundùm *fidem aut infidelitatem* cujusque Calvinus ait, Correctoꝛ tuus. Erras & in altero, dum ais, *Vnicuique ſecundùm opera ejus reddendum*, ſi ita intelligis: aut cœlum reddendum eſſe, aut Infernum. Nam omnibus omnino cœlum, juxta Calvinum, obveniet, etſi peccatis ſint cooperti. Quia *peccata*, juxta illum, *non venient ampliùs in judicium, utpote à quibus tam pretioſâ morte DEI filius nos abſolvit.* Abſolvit autem omnes, quantùm eſt à ſe, quia pro omnibus eſt mortuus. Aut ſi Calvinus fortè dicat: atqui non omnes, per ſacramentum baptiſmi, *pretioſam hanc mercedem* Filij DEI ſibi applicarunt, ſed ij ſolùm, qui perceperunt baptiſmum; illud ſaltem ſequetur, pro baptizatis fidelibus, nullum inſtituendum judicium eſſe, ſed pro ſolis infidelibus non baptizatis. Ecce quò proruant, qui ſemel viam veritatis deſeruerunt!

In 7. Artic. non creditur extremum judicium, ſicut par eſt credi.

Articu-

VIII. Articulus Fidei non creditur:

Credo in Spiritum S. Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Conjungit hic octavus Articulus Sponsum & Sponsam, Spiritum S. & Ecclesiam. Neutrum verò integrâ fide creditur à Calvino. Qui enim fide sincerâ & integrâ credit in Spiritum Sanctum, credit etiam, vera esse omnia, quæ nobis â DEO revelata sunt, de Spiritu S. Revelatum verò nobis est de Spiritu S. quòd mansurus sit cum Ecclesia in æternum, & illam in omnem veritatem inducturus. Ita enim Christus loquitur Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Et c. 16. ℣. 11. *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atqui secundùm Calvinum non *mansit nobiscum* & cum Ecclesia DEI (quam nos facimus) *in æternum*, si Ecclesia universa erravit; sed potiùs deseruit, & desertus est. Errasse autem & longissimo quidem tempore, totam visibilem Ecclesiam, Calvini esse dogma, notissimum est, de quo & suprà. Ergo & adultera facta est Sponsa, idque dissimulante & non prohibente Sponso, contra fidem ab eo datam. De divinitate quoq; Spiritûs S. & omnimodâ æqualitate ejus cum Patre & Filio, an integrâ fidem Calvinus habuerit, ex sequentibus ejus doctrinis tute judica. In epistola sua 310. agens de Spiritu S. facit eum, & vocat *Ministrum Sacramentorum.* Qui autem minister est DEI, non est DEUS. Aliud est de Christo, qui in S. Scriptura servi & ministri nomine appellatur, sed secundùm humanitatem; quæ distinctio in Spiritu S. locum non habet. Alibi autem docet, scilicet l. 4. Instit. c. 8. §. 8. *Spiritui Sancto officium suum* (Directoris scilicet & Rectoris Ecclesiæ) *esse restrictum.* An autem talis restrictio & limitatio, DEO per omnia Patri & Filio æquali, convenit? Maximè autem illa verba Calvini nimis quàm suspecta sunt, quæ habet in principio Catechismi sui Gallici. *Oportet adorare solum Patrem in nomine Filij.* Unde rectè inferas: Ergo adorandus non est Spiritus Sanctus juxta Calvinum. Si autem adorandus non

VIII.

Spiritus S. juxta Calvinum deseruit Ecclesiam & ab eâdem desertus est.

IX.

Spiritui S. talia tribuit Calvinus, quæ divinitatem ejus evertunt.

Idem Sp. S. juxta Calvinum non est adorandus.

non est, DEUS non est, & falsum erit, quod docet de Spiritu S. Concilium Nicænum: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.* Veniamus nunc ad Sponsam quoque, Ecclesiam, de qua Symbolum Apostolorum sic habet:

Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.

X. Ecclesia, quam credit Calvinus, Catholica non est.

Et hoc non credit Calvinus. Quam enim credit unicè veram esse Ecclesiam, scilicet Ecclesiam suam Reformatam, ea Catholica non est, hoc est, toto orbe diffusa non est, quod tamen ad Ecclesiam, quæ Catholica sit, unicè requiritur, uti sæpissime hanc vocem *Catholica* S. Augustinus & rectissimè interpretatur. Catholica, & quotidie magis Catholica, toto scilicet orbe magis diffusa, est sola Romana fides & Ecclesia. Reformata contrà non nisi angularis Ecclesia est, ut quæ in angulo solum orbis terrarum, in minima scilicet Europæ parte delitescit, & quotidie magis, magisque deficit quin imò tam non est Catholica, ut nec audeat se Catholicam appellare, aut, si appellet, excipiatur cum risu. quare alia ipsi nomina quæruntur, ut vocetur *Ecclesia Reformata, Evangelica, Calviniana, Hugonotica &c.* ulterior probatio hujus otiosa foret.

IX. Articulus Fidei non creditur:

Credo Sanctorum Communionem.

XI. Comunio Sanctorum apud Reformatos nulla reperitur.

Apud Reformatos nulla est Sanctorum Communio. Nam orthodoxis Sanctorum communio omni tempore aliud non fuit, quàm triplicis Ecclesiæ in omnibus bonis communio, seu communicatio, qualis inter conjunctissimos, imò omnes veros amicos esse solet. Est autem triplex Ecclesia, primò Triumphans illa cum Christo in cœlesti gloria supra terram. Altera verò, militans Ecclesia, in terris adhuc existens, pro cœlo pugnans, & vim faciens regno cœlorum, ut Salvator loquitur. Tertia est subtus terram, in Purgatorio, anhelans adhuc gloriam illam;

lam; potitura, cùm satis passa fuerit pro nondum expiatis delictis. Hæ Ecclesiæ ex sensu Catholico communicant invicem in omnibus bonis, dum Triumphans orat pro militante, Militans invocat & honorat triumphantem, & adjuvat, quà potest, Patientem. Hæc Sanctorum sanctissima Communio est, quæ nullibi tamen nisi in Ecclesia Catholica reperitur, aut creditur. In cœtu enim Reformatorum neque Triumphans invocatur aut colitur à Militante, neque militans adjuvatur ullo modò à Triumphante. Patiens autem nec creditur.

X. Articulus Fidei non creditur:

Credo Remissionem peccatorum.

Qui credit omnia peccata, etiam post baptismum, remanere in nobis, non credit veram peccatorum remissionem. Hoc autem credit cum Calvino Ecclesia Reformata, uti suprà vidimus, & notissimum est. Non itaq; credit, quod habet decimus fidei articulus, scilicet *remissionem peccatorum.* Quod enim dicunt Reformati, remitti peccata, dum non imputantur, antiquæ nugæ sunt, & non nisi Pharisaica hæc justitia est. essent enim tales animæ, quibus hoc solùm modo remitterentur peccata, non aliud, quàm *sepulcra* mortuorum *dealbata, quæ aforis parerent hominibus speciosa, intus verò plena essent ossibus mortuorum* (& omni spurcitiâ) ut Servator loquitur Matt. 23. Alienâ scil. justitiâ justi sunt Reformati, hoc est, justitiâ Christi, quæ facit ut ipsis non imputentur peccata, etsi numero maximo in animis ipsorum stabulentur: quod tam verum, & sapiens dictum est, ac si ego perpetuò infirmus, gloriarer tamen me fratris mei sanitate sanum esse, quod nemo dicet, nisi insanus. aut me sapientiâ ipsius sapientem esse, quod nemo dicet, nisi insipiens.

XII. Remissio peccatorũ nulla est apud Reformatos, sed tantùm non imputatio.

Alienâ justitia justi sunt.

XI. Articulus Fidei non creditur, ut oportet.

Credo Carnis Resurrectionem.

De

gumentatur. quis autem hoc dicat, nisi insanus? Nihil ergo prorsus huc facit hæc sententia S. Joannis, nisi ad confusionem Novatorum nostrorum.

IV. 3. Locus ex c. 15. Matthæi adulteratus.

Tertia Scriptura desumitur ex illis verbis Salvatoris, Matt. 15. ℣. 9. *Sine caussa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*: quæ millies repetunt, & millies simul ineptiunt. Nam iterum imperitissimè hic locus contra traditiones adducitur. Ut enim ex consequenti contextu patet, locutus est Dominus de iis solùm doctrinis & mandatis Pharisæorum & Scribarum, quæ erant contraria Legi DEI. Unde statim addidit: *Et irritum fecistis mandatum DEI propter Traditionem vestram.* Atqui traditiones non scriptæ, quas ab Apostolis acceptas Ecclesia Catholica non aliter custodit & servandas proponit, quàm scriptas, non sunt ejusmodi, ut *irritum faciant mandatum DEI.* Quod in hoc exemplo unico demonstravit D. Georgius, scilicet fœdum S. Scripturæ abusum, hoc idem præstat in reliquis omnibus.

Restant autem depravationis ejusmodi Scripturariæ exempla insuper novem apud D. Georgium, lectu dignissima, quomodo scil. ex depravatis Sacræ Scripturæ locis probent Reformati

Novem alia exempla depravationis scripturariæ.

1. Claritatem Sacræ Scripturæ. pag. 284.
2. Justificationem hominis ex sola fide. pag. 285.
3. Liberum, vel non liberum arbitrium hominis. pag. 300.
4. Missæ sacrosanctæ abdicationem. pag. 302.
5. Invocationis & intercessionis Sanctorum abrogationem. pag. 306.
6. Cultûs Imaginum Sanctarum damnationem. pag. 308.
7. Articuli de descensu Christi ad inferos eversionem. pag. 311.
8. Quadragesimæ abrogationem. pag. 312.
9. Purgatorij evacuationem, pag. 315.

Ad has autem omnes depravationes Scripturæ Sanctæ, Reformatis objectas, ut ostensum est priori articulo, nihil respondit bene cautus in hoc, & catus Vedrosius; quasi scilicet res momenti tanti non foret, cùm sit momenti vel maximi; aut quacumque demum

demum alia ex caussa ipsi cognita, nobis autem nimis quàm suspecta; quod monere iterum hoc articulo necessarium duxi.

Ceterùm si supervivere D. Georgio licuisset, & hoc Vedrosianum scriptum inspicere, opus non habuerat exemplis veteribus scripturarum depravatarum, cùm ei materia sufficiens ex solo hoc scripto Vedrosiano suppeteret, cujus rei specimina non omnia, sed paucula solùm hoc loco Lectori meo objicere obiter placuit ex solis epistolis Paulinis.

Illud itaq; D. Pauli dictum de Antichristi adventu 2. Thessal. 2. ℣. 3. *Nisi discessio venerit &c.* turpissimè depravavit, uti ostensum à me est P. 3. Sect. 7. art. 9. Item illud Paulinum 1 Timoth. 3. ℣. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, uti demonstratum est à me P. 1. Sect. 4. c. 5. pag. 145. Item illud ejusdem ad Roman. XI ℣. 19. *Dices ergo: fracti sunt rami &c.* his plura invenies in notis marginalibus tum Sancti Pauli, (quem adeò maritum facere audet, contra expressissima & clarissima Pauli ipsius verba) depravata loca, tum Sancti Joannis, Coapostoli ipsius, præsertim illa capitis 3. ℣. 5 *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA *& Spiritu Sancto, non introibit in regnum* DEI; quæ verba negat contra omnes Sanctos ad baptismum aqueum pertinere, uti commonstravi suprà P. 2. Sect. art. 8. §. 1. qui est de erroribus Reformatorum circa baptismum. Denique totus artic. 9. ejusd. Sectionis ponit ob oculos perpetuos Scripturæ abusus, & sinistras ejusd. interpretationes, quoties scriptura aliquid vel præcipit, vel consulit carni & ventri contrarium, & inimicum. Vel solo itaque hoc Vedrosiano scripto est opus ad ostendendam hanc labem non unius Vedrosii, sed omnium prorsus Reformatorum, aliorúmque Evangelicorum, quibus impossibile est erroneas suas opiniones vel in speciem tueri, sine infinitis scripturæ abusibus, hoc est, totidem sacrilegiis. Sed *aliter festa hæc non constant.* Aliter hæ nundinæ non frequentantur, neque merx alia exponitur venalis in hoc foro. Expende, Lector Reformate, & saluti tuæ cum D. Georgio maturè consule. Hæc expendentem Georgium, Catholi-

Depravationes Vedrosianæ specialiter adnotatæ.

tholicum meritissimò effecêre. Nunc ad Symbola solis verbis apud Reformatos laudata, re verò ipsa penitus rejecta veniamus; nec more Vedrosii dissimulemus, suspectissimâ utique dissimulatione; quâ Reformatorum caussæ in toto opere Vedrosiano nulla magis officiat, uti prudens Lector, articulis tertio, quarto, & quinto, qui mox sequuntur, studiosè perlectis & expensis ipse poterit judicare.

ARTICULUS III.

Quomodo Symbola omnia Reformati rejiciant, & inprimis APOSTOLICUM.

INter fidei Symbola, sive publicas Confessiones, primo loco Symbolum pono Apostolorum, *Credo* dictum vulgò. Deinde Symbolum Nicænum, ab illis 318. Patribus Nicææ in Bithynia congregatis, tempore Constantini Magni editum, & ab ipsis etiã Reformatis, verbo tenus, sed non nisi verbo tenus, receptum. Tertiò Symbolum S. Athanasii, quod & ipsum non verbo rejiciunt, sed facto, ut mox videbimus.

I. De Symbolo Apostolorum.

Primò mirari subit, cur Symbolum Apostolorum recipere ausint Reformati, cum solâ traditione constet, & Scriptura divina non sit. An non hac ratione suummet illud Principium evertunt, nihil præter scripturam recipiendum pro norma fidei? Atqui Symbolum hoc, quod scriptura non est, recipiunt pro fidei norma; quomodo itaque sibi constant? Sed hoc video me quærere frustra. nullibi sibi constat error.

Ex 12. Articulis hujus Symboli nullum omnino, fide integrâ credit Calvinus.

Videamus nunc, quanto in honore apud eos sit hoc Apostolicum Symbolum, & qualis regula fidei ipsorum, ubique gloriantium, se non nisi Apostolicis & propheticis doctrinis in omnibus niti? Accipe, quomodo nitantur.

Ex Duodecim illis articulis, Symbolo Apostolorum comprehensis, nullus est, nullus omnino, quem sincerâ & integrâ fide credant. Ita cum Jacobo Gualterio in sua Chronographia, & Lau-

Laurentio Forero, in suo Symbolo Calviniano, aliisque, securus, etsi non sine horrore & commiseratione pronuntio. Heu quò hæresis deducit, ut totum denique Christianismum, qui Symbolo illo potissimùm continetur, è medio denique tollat! Hoc mihi jam aut probandum est, aut illud Pauli judicium subeundum: *Maledici regnum DEI non possidebunt.*

I. Fidei Articulus non creditur Reformatis, maximéque Calvino.

Credo in DEUM Patrem Omnipotentem.

Primus fidei Articulus ita habet: CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, &c. Hanc DEI omnipotentiam non credit Calvinus, quia non credit Potentiam DEI absolutam; imò detestatur, & blasphemiæ arguit eos, qui credunt. Ita is loquitur in comment. in Isa. c. 23. ℣. 9. *Commentum illud de absoluta potentia DEI, execranda blasphemia est.* Imò, ô Calvine, hæc sententia tua, Christianorum auribus hucusq; inaudita, blasphemia est execranda. In suis verò Institutionibus l. 3. c. 23. §. 2. hanc blasphemiam suam ita confirmat. *Neq; tamen commentum ingerimus absolutæ Potentiæ* (DEI) *quod sicut profanum est, ita meritò detestabile nobis esse debet.* Ita Calvinus. In specie autem negat omnipotentiæ DEI non uno in loco, separationem proprietatum naturalium à substantia rei. Negat penetrationem corporum. negat corpus unum pluribus in locis simul, etiam ab omnipotentia DEI, collocari posse. & ob has rationes præsentiam Christi in Eucharistia, sub speciebus panis & vini, contra omnes alios Christianos præfractè negat. II.

In Articulo primo omnipotentia DEI absoluta non creditur à Calvino.

II. Fidei Articulus, qui est de Christo, sincerâ & integrâ fide non creditur Calvino.

Et in JESUM Christum Filium ejus &c.

Etsi plures inveniam hæreses Calvini, quæ Christo D. injuriæ sint, tamen unam modò, alterámve hîc adducam, cùm alias jam suprà adduxerim. Non credit Calvinus in Filium DEI, III.

In 2. Articulo æqualitas Filij DEI cum Patre non creditur à Calvino.

quemadmodum credi ab omnibus verè fidelibus par est. Omnes enim orthodoxi ita credunt *in IESUM Christum, Filium DEI unicum, Dominum nostrum*; ut simul credant, eum æterno Patri, quoad naturam divinam, per omnia æqualem esse, & non nisi quoad naturam humanam Patre æterno Minorem. Calvinus autem, etiam secundùm naturam divinam, Filium DEI facit Patre minorem, qui ipsissimus Arrianismus est. Ita autem docet Calvinus in epistola ad Polonos, unde etiam Arrianismus per illas partes invectus. Vide S. 2. a. 2. suprà.

III. Fidei Articulus non creditur:

Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex MARIA VIRGINE.

IV.

In 3. Articulo Virginitas Deiparæ non creditur à Beza & ejus sequacibus.

Neque hunc credit, ut par est, Calvinus. Nam si penetrationem corporum etiam divinæ potentiæ impossibilem asserit, virginitatem B. MARIÆ Virginis credere non potest, quæ absque penetratione corporum Christi, & benedictæ ejus Matris, non potest aut fieri, aut explicari. Et verò apertè virginitatem B. MARIÆ in partu, quo Salvatorem edidit, negavit Beza, primarius Calvini discipulus, in Thesi 9. ex 25. Thesibus ab eo editis, quæ extant Tom. 3. operum Bezæ, ubi scribere ausus est in summam Christi, & benedictæ ejus Matris injuriam, Christum ex MARIA communi hominum more, ac modo cruento natum esse; quod nemo ante eum, quàm damnati hæretici docuerunt, Helvidiani, Jovinianistæ & his vetustiores Cerinthiani, & Ebionitæ, ut apud SS. Epiphan. & Augustinum invenies. In quo Reformati, quotquot hoc cum Beza, & Vermilio suo, aliàs Petro Martyre dicto, sentiunt, ipsos Turcas quoad hoc superant. Nam Mahometus in suo Alcorano c. 29. expressè fatetur, *Beatam MARIAM & in partu & post partum Virginem permansisse, divinâ virtute.*

Creditur tamen ab ipso Mahometo.

IV. Articulus Fidei non creditur:

Descendit ad Inferos.

Articu-

Articulum hunc, scilicet Christum secundùm animam à corpore solutam, descendisse ad *inferiores partes terræ, & inde captivam duxisse captivitatem, & eduxisse de lacu vinctos suos,* (ut prophetæ loquuntur) non credunt Reformati; ne tertium debeant locum concedere præter Cœlum & Infernum. Atque ita Articulum istum aut totum velut expungunt ex Symbolo, aut ineptissimè explicant, Calvinus quidem de pœnis damnatorum à Christo in Cruce toleratis, l. 2. Instit. c. 16. n. 10. Beza autem de sepulcro. ineptissimè. hic enim prodiret sensus planè tautologus, ut suprà etiam insinuavimus: *Mortuus, & sepultus, iterúmque sepultus*, ut quilibet advertere ipse potest. Ita autem docuit Beza in c. 2. Actor. V.

In 4. Artic. non creditur Christi descensus ad inferos.

V. & VI. Articulus Fidei non creduntur.

Tertiâ die resurrexit à mortuis, Ascendit ad cœlos &c.

Resurrectionem Christi, qualem Catholici semper crediderunt, non credunt Reformati. Semper enim â Catholicis creditum est, Christum D. ex clauso & reserato sepulcro, redivivum prodiisse, per dotem subtilitatis, gloriosis corporibus inditam â Deo. Unde hanc è sepulchro Resurrectionem, Nativitati Dominicæ compararunt SS. Patres, in qua clauso Matris integerrimæ utero in lucem est editus. Negat hoc Calvinus l. 4. Instit. c. 17. n. 29. ne cogatur fateri duo se corpora penetrare posse, & per hoc, præjudicium errori suo conciliet, quo absolutam DEI omnipotentiam negat. Rursum & illud negat, (quod itidem ad resurrectionem Dominicam pertinet) per clausum ostium die Paschatis Christi corpus gloriosum ad discipulos penetrasse, de quo nulla unquam apud orthodoxos dubitatio fuit. Idem error tenet Reformatos Ministros circa ascensionem Christi, quem negant contra expressa S Pauli verba ad Hebr. 4. *cælos penetrasse* in Ascensione sua, sed ijs non nisi disruptis, & perforatis ascendere potuisse. Ita Calviniani Mini- VI.

Neque resurrectio Christi, neque Ascensio fide integrâ creduntur.

ſtri unanimiter decreverunt in diſputatione publica Pariſiis anno 1566. habita, in qua ſcripto hanc ſuam ſententiam tradiderunt, unde Catholici exſcripſerunt, & orbi prodiderunt.

VII. Articulus Fidei non creditur:

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

VII.

In 7. Artic. non creditur extremum judicium, ſicut par eſt credi.

Quid de hoc Articulo ſenſerit Calvinus, ex ipſiusmet verbis collige. *Neque enim timendum eſt*, ait, *ut in DEI judicium amplius veniant peccata noſtra, à quibus tam pretioſâ mercede nos abſolvit DEI filius.* Ita docet in ſua Harmonia ſuper c. 26. Matth. ℣. 26. An non hoc eſt judicium Chriſti penitus tollere? An non hoc eſt Chriſtum ipſum Dominum veluti mendacem facere, dum is è contrario ita pronuntiat, Matth. 16. ℣. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet VNICVIQVE ſecundùm opera ejus.* Dupliciter erraſſet Chriſtus ſecundùm Calvinum, dum dixit, *ſe redditurum unicuique*, ſive prœmium ſcilicet, ſive ſupplicium æternum, & quidem *ſecundùm opera ejus.* Erras Calvino, Chriſte Judex. non *ſecundùm opera*, ſed ſecundùm *fidem aut infidelitatem* cujusque Calvinus ait, Correctortuus. Erras & in altero, dum ais, *Vnicuique ſecundùm opera ejus reddendum*, ſi ita intelligis: aut cœlum reddendum eſſe, aut Infernum. Nam omnibus omnino cœlum, juxta Calvinum, obveniet, etſi peccatis ſint cooperti. Quia *peccata*, juxta illum, *non venient ampliùs in judicium, utpote à quibus tam pretioſâ morte DEI filius nos abſolvit.* Abſolvit autem omnes, quantùm eſt à ſe, quia pro omnibus eſt mortuus. Aut ſi Calvinus fortè dicat: atqui non omnes, per ſacramentum baptiſmi, *pretioſam hanc mercedem* Filij DEI ſibi applicarunt, ſed ij ſolùm, qui perceperunt baptiſmum; illud ſaltem ſequetur, pro baptizatis fidelibus, nullum inſtituendum judicium eſſe, ſed pro ſolis infidelibus non baptizatis. Ecce quò proruant, qui ſemel viam veritatis deſeruerunt!

Articu-

VIII. Articulus Fidei non creditur.:

Credo in Spiritum S. Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Conjungit hic octavus Articulus Sponsum & Sponsam, Spiritum S. & Ecclesiam. Neutrum verò integrâ fide creditur à Calvino. Qui enim fide sincerâ & integrâ credit in Spiritum Sanctum, credit etiam, vera esse omnia, quæ nobis â DEO revelata sunt, de Spiritu S. Revelatum verò nobis est de Spiritu S. quòd mansurus sit cum Ecclesia in æternum, & illam in omnem veritatem inducturus. Ita enim Christus loquitur Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Et c. 16. ℣. 11. *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atqui secundùm Calvinum non *mansit nobiscum* & cum Ecclesia DEI (quam nos facimus) *in æternum*, si Ecclesia universa erravit; sed potiùs deseruit, & desertus est. Errasse autem & longissimo quidem tempore, totam visibilem Ecclesiam, Calvini esse dogma, notissimum est, de quo & suprà. Ergo & adultera facta est Sponsa, idque dissimulante & non prohibente Sponso, contra fidem ab eo datam. De divinitate quoq; Spiritûs S. & omnimodâ æqualitate ejus cum Patre & Filio, an integrâ fidem Calvinus habuerit, ex sequentibus ejus doctrinis tute judica. In epistola sua 310. agens de Spiritu S. facit eum, & vocat *Ministrum Sacramentorum.* Qui autem minister est DEI, non est DEUS. Aliud est de Christo, qui in S. Scriptura servi & ministri nomine appellatur, sed secundùm humanitatem; quæ distinctio in Spiritu S. locum non habet. Alibi autem docet, scilicet l. 4. Instit. c. 8. §. 8. *Spiritui Sancto officium suum* (Directoris scilicet & Rectoris Ecclesiæ) *esse restrictum.* An autem talis restrictio & limitatio, DEO per omnia Patri & Filio æquali, convenit? Maximè autem illa verba Calvini nimis quàm suspecta sunt, quæ habet in principio Catechismi sui Gallici. *Oportet adorare solum Patrem in nomine Filij.* Unde rectè inferas: Ergo adorandus non est Spiritus Sanctus juxta Calvinum. Si autem adorandus non

VIII.

Spiritus S. juxta Calvinum deseruit Ecclesiam & ab eâdem desertus est.

IX.

Spiritui S. talia tribuit Calvinus, quæ divinitatem ejus evertant.

Idem Sp. S. juxta Calvinum non est adorandus.

lam; potitura, cùm satis passa fuerit pro nondum expiatis delictis. Hæ Ecclesiæ ex sensu Catholico communicant invicem in omnibus bonis, dum Triumphans orat pro militante, Militans invocat & honorat triumphantem, & adjuvat, quâ potest, Patientem. Hæc Sanctorum sanctissima Communio est, quæ nullibi tamen nisi in Ecclesia Catholica reperitur, aut creditur. In cœtu enim Reformatorum neque Triumphans invocatur aut colitur â Militante, neque militans adjuvatur ullo modò â Triumphante. Patiens autem nec creditur.

X. Articulus Fidei non creditur:

Credo Remißionem peccatorum.

Qui credit omnia peccata, etiam post baptismum, remanere in nobis, non credit veram peccatorum remissionem. Hoc autem credit cum Calvino Ecclesia Reformata, uti suprà vidimus, & notissimum est. Non itaq; credit, quod habet decimus fidei articulus, scilicet *remißionem peccatorum.* Quod enim dicunt Reformati, remitti peccata, dum non imputantur, antiquæ nugæ sunt, & non nisi Pharisaica hæc justitia est. essent enim tales animæ, quibus hoc solùm modo remitterentur peccata, non aliud, quàm *sepulcra* mortuorum *dealbata, quæ aforis parerent hominibus speciosa, intus verò plena essent oßibus mortuorum* (& omni spurcitiâ) ut Servator loquitur Matt. 23. Alienâ scil. justitiâ justi sunt Reformati, hoc est, justitiâ Christi, quæ facit, ut ipsis non imputentur peccata, etsi numero maximo in animis ipsorum stabulentur: quod tam verum, & sapiens dictum est, ac si ego perpetuò infirmus, gloriarer tamen me fratris mei sanitate sanum esse, quod nemo dicet, nisi insanus. aut me sapientiâ ipsius sapientem esse, quod nemo dicet, nisi insipiens.

XII. Remissio peccatorũ nulla est apud Reformatos, sed tantùm non imputatio.

Alienâ justitia justi sunt.

XI. Articulus Fidei non creditur, ut oportet.

Credo Carnis Resurrectionem.

De

XIII. De carnis in novissimo die Resurrectione, Catholica & verè orthodoxa sententia omni tempore fuit, nos non in aliis à DEO de novo creatis, sed in his nostris iisdem, quæ modò circumferimus, corporibus resurrecturos. De hoc autem articulo non dubitasse tantùm Calvinum, sed etiam incredibilem ei visum fuisse, fatetur discipulus Calvini Guilielmus Farellus, in ea epistola, quam ad Calvinum ipsum scripsit, anno 1549. eo fine, ut Calvinum ab hac opinione deduceret; éstque inter epistolas Calvinianas 78. in qua Farellus Calvinum ita alloquitur, & hortatur. *Quòd res incredibilis tibi videatur*, inquit, *hujus carnis resurrectio, nihil mirum. Quòd autem hac ratione permotus sufficere statuis, si credas, novis corporibus aliquando nos esse induendos, hoc à doctrina scripturæ alienum est &c.* Contrà, carnis resurrectionem in iisdem corporibus, negavit alius discipulus Calvini apertè, Lælius Socinus, Senensis, qui palam docuit, hæc nostra corpora in communi resurrectione non surrectura, sed DEUM de novo alia creaturum, contra expressissimam scripturam Job. 9. *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM, quem visurus sum ego Ipse, & non alius.* Alius autem utique foret Jobus, si alio prorsus & novo corpore à DEO creato indueretur. Et verò omnino salvis suis principiis, Reformati admittere non possunt Resurrectionem mortuorum, qualis hucusque ab omnibus fidelibus credita est. si enim verum est, quod docet Calvinus, non posse à substantia separari proprietates ipsius naturales, impossibilis continuò, etiam DEO, erit Resurrectio ista, qualis Catholicè creditur, ut rectè P. Laurentius Forerus adnotavit; quia multæ proprietates tollendæ erunt à substantiâ corporum sive ad vitam, sive ad mortem æternam resurgentium. tollenda enim erit v. g. gravitas à corpore beatorum, quæ in dotem agilitatis mutabitur; & crassities, quæ à dote subtilitatis quasi absorbebitur; & omnis corruptibilitas ac mortalitas &c. quæ sunt proprietates maximè connaturales corporibus humanis: Addit etiam rectissimè Forerus; multò majores difficultates occurrere circa hunc articu-

Incredibilis visa est Calvino resurrectio mortuorum in corporibus iisdem.

Socinus autem ejus discipulus eam audacter negavit.

Contra Scripturam expressissimam.

Salvis principiis suis nō possunt admittere resurrectionem Reformari, prout hucusque ab Ecclesia credita fuit.

articulum resurrectionis, quàm circa articulum de Eucharistia, Uti neque
& in ea Sacramentalem Christi præsentiam, si rationes natura- præsentiam
les spectentur: cur ergo Resurrectionem corporum credunt Christi in
Reformati, (si tamen credunt) realem autem Christi præsen- Eucharistia
tiam non credunt? quia ita ipsis lubet.

XII. Articulus Fidei;

Credo vitam æternam.

non creditur fide integrâ à Reformatis.

Qui fide integrâ credit hunc articulum de vita æterna, XIV.
quâ Beati post hanc vitam potituri sint, credit jam jam eos, qui sanctâ morte obierint, illâ beatitudine frui, neque differendam esse hanc eorum felicitatem usque ad, & post diem Judicij. Id certè de Apostolis, ex Fide nobis certissimum est, ex illis Domini multò dulcissimis verbis, Joan. 16. ℣. 3. *Vado parare vobis locum* (ait Apostolis) *& si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Atqui Christus D. est in supremo cœlo, & cœlesti gloria; ergo & Apostoli ibi erunt. nec enim extra cœlum ipsis locum præparasse credendus est. de aliis verò omnibus, usque ad mortem fidelibus servis suis, apud eundem Joan. c. 12. 26. eodem modo loquitur: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* unde iterum inferas: sed in cœlesti gloria jam jam est Christus, ergo in eadem & fideles hi servi ejus erunt. Hoc autem non credit Calvinus, dum temere negare audet, mortuorum animas ante universalem resurrectionem cœlesti gloriâ fruituras, aitq;, illas interea *eminus, in* nescio quo cœli *atrio*, fruitionem promissæ gloriæ exspectare, *atque suspensas residere, donec Christus appareat Redemptor.* Ita docet Calvinus l. 3. Instit. c. 25. n. 6. Lutheri scilicet in hoc simia, qui eandem sententiam tenuit. Quæ Calvini verba legens & expendens, fateor, non continui risum, quòd viderem, sui prorsus immemorem bonum virum, his verbis admittere tertium

Vitã æternam, & cœlestem gloriam manco modo credit Calvinus.

Quia juxtà ipsum non nisi in atrio quodam cœli animæ Sanctorum usq; ad judicii diem attinentur.

tium locum præter Cœlum & Infernum, scilicet atrium hoc Cœli, in quo animæ usque ad finem mundi detineantur. Utique enim in Inferno non attinentur. esset enim mirabile cœli atriũ Infernus. Sed neque in Cœlo. igitur in loco tertio, quem alibi omnibus modis aversatur. Sed nimirum talis est, fuitque semper mendacij spiritus, varius, inconstans, vertiginosus, immemor sui, quod & hoc loco vides. Imò quid aliud est locus iste tertius Calvini, quàm acerbum Purgatorium aliquod, in quo non quidem Igne, sed desiderij tamen dilatione crucientur animæ & affligantur? *Spes enim quæ differtur, affligit animam*, Sapiente teste. Prov. 13. Denique ergo & Purgatorium bonus Calvinus admittit, quod Purgatorium desiderij possumus appellare, aut potiùs novum Purgatorium Calvini.

Sic autem Purgatoriũ admittit Calvinus.

Cùm autem hæc, certè partem horum, Ratione suâ 22. D. Georgius noster, pag. 156. 157. 158. & 159. Reformatis objecisset, responsum utique ceu in gravissima objectione exspectandum erat à D. Vedrosio. Ipse autem totam hanc Rationem 22. ut jam dictum, dissimulando præterijt, non sine gravi præjudicio caussæ suæ. Habes, amice Lector, quàm Apostolica sit doctrina Reformatorum, quam jactant perpetuò. Et potest etiamnum reperiri vel unus, cui salus sua non omnino in postremis curis sit, qui doctrinam, fidem, & Ecclesiam Reformatam Catholicæ præferat? O te felicem æternùm, Georgi, qui hos laqueos rumpere ausus es, & in libertatem antiquæ & sanctæ fidei te vindicare! Vident plures, quæ tu vidisti, sentiunt plures, quod tu scripsisti. utinam & audeant plures, imò omnes seducti, quod tu, confortante te Numine, ausus fuisti! Vident, sentiunt, deliberant, dolent, suspirant; sed non audent. Audebunt posthac, volente DEO. Ausus sanctos juvabit DEUS, & quæ hinc pendet vel felicis, vel infelicis æternitatis, consideratio seria. Ita speremus, & oremus.

Ad hæc omnia silet piscis instar Vedrosius.

Talem Ecclesiã quis nõ deserat?

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Quatuor prima Concilia, corúmque Symbola, & laudant magnopere, & contemnunt simul Reformati.

HOc objecit Reformatis olim suis D. Georgius Ratione sua XXII. à pag. 236. & seqq. quod ut oculis magis subjiciatur, duos paragraphos subjungo.

§. I.

Laudant, & sequi se, gloriantur:

Calvinus ita de ijs scribit l. 4. Instit. c. 9. Sect. 8. *Sic priscas illas Synodos*, ait, *Nicænam, Constantinopolitanam &c. quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reveremúrque, ut sacrosanctas, quantùm ad fidei dogmata. Nihil enim continent, quàm puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres spirituali prudentiâ, ad frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodarunt &c.*

I. Laudat verbotenus ampliter Synodum Nicænam Calvinus.

Œcolampadius autem apud Sculterum in annal. ad annum 1529. in epistola ad Bertholdum Haller ad hunc modum scribit. *Sunt enim illa prima quatuor Oecumenica Concilia, quantùm ad fidei dogmata attinet, verè Sacrosancta, & in Verbo DEI fundata, à nullóque fideli unquam rejecta.*

Uti & Oecolampadius.

Similia & alij habent, quos vide apud D. Georgium pag. 238. & seq. Per *dogmata* verò *fidei* horum Conciliorum, intelligunt præcipuè Symbola fidei ab ijs edita, sive Confessiones Fidei horum Conciliorum; quale Symbolum præsertim est Nicænum, *à nullo unquam fideli*, ut rectè Oecolampadius loquitur, *rejectum*. An autem Reformati, contra protestationem suam, ea non rejiciant, mox videbitur.

reipsâ tamē rejiciunt.

§. II.

Contemnunt reipsâ, dum contraria ipsis plurima docent.

II. Nicænum agnoscit

I. Nicænum Symbolum, statim initio, tribuit DEO Patri omnipotentiā omnimodam & absolutam: *Credo*, inquit, *in unum*

absolutam DEI omnipotentiam: Calvinus negat.

DEVM, Patrem omnipotentem. Hanc absolutam omnipotentiam negat DEO Calvinus, ut in priori articulo audivimus, & exhorruimus.

II. Nicænum Symbolum suam de Filio DEI fidem ita instruit: *Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium DEI unigenitum; & ex Patre natum ante omnia secula, DEUM de DEO &c.* subintellige, *Credo.* His verbis asserit sacrosanctum hoc Concilium, Filium DEI esse *DEVM de DEO*, de Patre scilicet DEO, à quo ipsam essentiam divinam, sive ipsam divinitatem accipiat. Negat hoc apertè Calvinus lib. 1. Instit. c. 13. n. 23. *Deitatem,* inquit, *absolutè ex seipsa esse dicimus. Vnde & Filium, quatenus DEVS est, fatemur ex seipso esse, sublato Personæ respectu: quatenus verò Filius est, dicimus ex Patre esse.* quam Calvini hæresin approbant & sequuntur etiam Wittackerus, & alii Calvinistæ in Respons. ad 8. Rationem Campiani; idque contra expressam Christi doctrinam Joan. 5. *Pater dedit Filio vitam habere in semetipso.* utique non aliam, quàm divinam. Si autem vitam divinam dedit Pater Filio, etiam essentiam dedit, ut rectè Catholici nostri Theologi argumentantur. Contra expressam quoq; Synodi Nicænæ doctrinã, & ista ipsius verba: *DEVM de DEO, lumen de lumine, DEVM verum de DEO vero &c.* tendit hæc doctrina Calvini. Nam si superior ejus doctrina vera esset, non esset Filius DEI *DEVS verus de DEO vero*, sed esset DEUS verus ex seipso. Vide ut revereatur doctrinam Symboli Nicæni Calvinus cum suis. Unde ulteriùs ex ipsismet Reformatæ Ecclesiæ verbis sic licet ratiocinari: Si *sacrosancta est* Synodus Nicæna *quantùm ad dogmata attinet, & puram ac nativam Scripturæ interpretationem continet*, ut Calvinus prædicat, ergo sacrosancta etiam doctrina erit, & nativæ scripturæ interpretationem continens, quam tradit de Filio DEI. Atqui contrariam tradit Ecclesia Reformata, igitur illa non sacrosancta, sed hæretica, & nativæ interpretationi scripturæ repugnans doctrina erit. Et verò ita reipsâ contraria est Nicæno Concilio, doctrina Calvini, ut scribere non sit veritus ipse

III. Nicænum Filium DEI credit Deũ de Deo: Calvinus negat:

Calvi-

Calvinus, in admonitione ad fratres Polonos, duram esse loquendi formulam Concilii Nicæni, quâ Filium DEI appellat, *DEUM de DEO.* quod ulteriùs confirmatur ex eo, quod Petrus Carolus scribit in epist. ad Card. Lotharingum, Calvinum adduci nunquam potuisse in Synodo Lausanensi, cui ipse Petrus Carolus interfuit, ut confiteretur, Filium esse *Deum de Deo.* Ecce ut hypocriticè laudat Nicænam Synodum quoad dogmata Calvinus, reipsa autem temnit & refutat. Scio quidem esse unum alterúmve ex Catholicis, qui ex parte Calvinum excusent, quasi non tam impiè senserit, quàm verba ejus sonent. scio autem & illud, alios esse, qui hac eum excusatione indignum putent. omnes tamen, excepto nullo, insignis eum temeritatis arguunt, quod Nicænam Synodum carpere sit ausus in illo ipsius dogmate: *Deum de Deo, lumen de lumine &c.* quod hoc loco ad propositum meum est satis, ut intelligatur, quàm contemptim reipsa Concilia habuerit, quæ verbotenus tantopere laudavit.

Petri Caroli testimonium de Calvino.

V.

IV.

III. Nicænum Symbolum fidem suam de Spiritu S. ita declarat. *Credo in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur &c.* Contra autem Calvinus tendit, & ait loco suprà citato, scil. Sect. 7. a. 3. n. 9. *Oportet adorare solum Patrem in nomine Filij.* quæ directè Concilij doctrinæ opposita sunt.

Rursus Nicænum Symbolum de Processione Spiritûs S. à Patre & Filio ita confitetur: *Credo in Spiritum S. qui ex Patre Filióque procedit.* non procedit autem aliter à Patre, nisi essentiam divinam ab ipso accipiendo, uti omnes orthodoxi semper docuerunt. Hoc autem negat Calvinus Instit. l. 1. c. 13. §. 26. in Gallica Editione. ait enim. *Pater Deitatis est principium, non tribuendo Essentiam suo Filio, ac suo Spiritui Sancto, ut fanatici nugantur, sed ratione ordinis à nobis declarati.* quæ verba ipsam negant processionem à Patre, & productionem Spiritûs Sancti. Nam quid est producere, ut rectè quærit Gualterius, nisi essentiam alicui tribuere? & quid est ab aliquo procedere, nisi essentiam ab aliquo accipere?

Spiritus S. à Patre non procedit juxta Calvinum.

Spiritus S. non est Creator juxta Calvinum.

Horrendum quoque dictum illud est Calvini, quod legitur in Refut. 10. contra Gentilem, ubi ait: *Nomen DEI per excellentiam ad solum Patrem pertinet, hic solus ac propriè Cœli ac terræ Creator est.* An non autem his verbis divinitas & Filio & Spiritui S. abrogatur? Ergo nec Filius, nec Spiritus Sanctus propriè est DEUS? Ergo falsum est, quod tota canit Ecclesia: *Veni Creator Spiritus?* certè ad dictum hoc Calvini omnis religiosus animus expavescit. Nunc à personis divinis, in quibus omnibus à Nicæno Symbolo dissentit Calvinus, ad alia brevissimè transeamus.

V.

Calvinus credit Ecclesiã, quæ nec una est, nec sancta, nec Catholica, nec Apostolica, contrà ac Nicænum credit.

IV. Nicænum Symbolum suam de Ecclesia vera fidem ita exponit:

Credo unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Calvinus contrà cum suis Reformatis Ecclesiam illam credunt unicè esse veram Ecclesiam, quæ *nec una est, nec Sancta, nec Catholica, nec Apostolica*, scilicet suam Ecclesiam Reformatam. Illa enim primùm non est *una* in fide, sed in plurimas sectas scissa, maximè in Anglia & Hollandia. Sunt enim alij Rigidi Calvinistæ, alij molles; alij Arminiani, alij Gomarani, alij Vorstiani, alij Remonstrantes, alij ContraRemonstrantes; alij Puritani, & quæ alia sunt nominum monstra: hæque Sectæ in essentialibus dissident, ut videre est apud Mart. Becanum de dissidio Anglorum, & Maximil. Sandæum in Demonstratione de fide Hollandorum. Una ergo Ecclesia quomodo dici potest? Sed nec *Sancta* est vel quoad doctrinam, vel quoad personas. quos enim Sanctos hoc Seculo Reformata Religio produxit? quibus Cœlum auxit? nec *Catholica* est, ut jam suprà probavimus, & nec audet sibi Catholicæ nomen arrogare. quàm autem *Apostolica* sit, præcedente articulo satis perspeximus. Quomodo ergo dicere audet, se Nicænum Concilium sequi in omnibus, quod ad dogmata fidei pertinet? Dogmata fidei sunt, quæcumque Symbolo Nicæno continentur; à quibus quantum abeat Reformatus Cœtus, modò est demonstratum. Nunc de alijs Constitutionibus Nicæni Concilij videamus.

§. III. Ni-

§. III.

Nicæni Concilij Canones omnes,& diatyposes, sive Constitutiones pro libitu rejicit & conculcat Reformata Ecclesia.

Id demonstravit abunde D. Georgius Ratione suâ XXII. à pag. 140.& deinceps. pauca specimina in exemplum hîc afferamus. VI.

I. Concilium Nicænum interdixit omnibus Episcopis, presbyteris & Diaconis mulieres extraneas in domos eorum subintroduci, & solas matres, aut avias, aut sorores, aut amitas, aut materteras ipsis permisit. Ita habet Canon tertius. Reformata contrà Ecclesia quasvis permittit suis Ministris, etiam in uxores; & cœlibatum hunc Episcoporum, & Presbyterorum, & scripturæ, & omni æquitati esse contrarium vociferatur. En ut quatuor prima Concilia reverenter acceptet!

Nicænum Sacerdotibus interdicit uxores, Calvinus concedit.

II. Totum Concilium Nicænum crebram facit mentionem, ut etiam in primùm dicto Canone tertio, de *Episcopis, Presbyteris, Diaconis*, aliisque *Clericis*. Contrà ordinum istorum ratio nulla prorsus est apud Reformatos, sed Sacerdotes quidem omnes sunt, viri, feminæ: Ministri autem Ecclesiæ, illi, quos civilis Magistratus pro libitu creat, mutat, deponit, reponit. pro pudor! & ordinis loco horror!

III. Episcopum quemlibet ordinari vult Concilium Nic. vel ab omnibus Provinciæ illius Episcopis simul congregatis, vel certè à tribus ad hoc delectis. Ita Canon. 4. Episcopi contrà ordinatio apud Reformatos nulla est, nec potest.

IV. De Metropolitano Episcopo, cui plures alij, ut ejus Suffraganei subsint, qui mos Catholicæ Ecclesiæ & ordo pulcherrimus est, agit Canon. 6. Apud Reformatos nec Metropolis, nec Metropolitanus ullus, sed nec Sacerdos ullus, sed solùm Ministri, ut vocant, à plebe nihil omnino differentes, & merissimi Laici, quod in vera DEI Ecclesia inauditum.

Hierarchia apud Reformatos nulla, in Nicæno pulcherrima.

V. Quadragesimalis jejunij expressam facit mentionem Canon quintus, cùm de Synodis agit provincialibus, bis singulis annis VII.

Quadragesimam laudat Nicænum, Calvinus temnit.

annis celebrandis. *Habeatur*, inquit, *semel Concilium ante dies Quadragesimæ; secundum verò circa tempus autumni.* Contrà autem Calvino & ejus Reformatis Quadragesima Catholica mera superstitio est, quia ventri inimica & ingrata. Quidquid autem ventri ingratum, carnalibus istis hominibus superstitio est, ut Jejunium quadragesimale; abstinentia à carnibus stato tempore; ciliciorum ad nudam carnem gestatio, tantopere in veteri quoque testamento sanctis hominibus usurpata; cœlibatus Clericorum; continentiæ votum; denique & tantopere exemplis Sanctorum confirmata crebrior, & longior atque sæpe iterata oratio. Audi de iteratione precum Calvinum ipsum l. 3. Instit. c. 20. §. 29. in Gallica Edit. *Nihil hoc juvat*, inquit, *ad tuendam superstitiosam prorogationem, iterationemque precum, quâ interdictum nobis Christus voluit.* Ita Calvinus. quid ais, impie? Ubi Christus Servator *prorogationem, iterationémque precum, ceu superstitiosam* interdixit? An non prorogavit ipse totas noctes, dum *pernoctans erat in oratione DEI?* Luc. 6. Non prorogavit, *dum factus* in agonia prolixius oravit? Luc. 22. An non iteravit orationem, dum *oravit tertiò, eundem sermonem dicens*, ut S. Matth. loquitur Matth. 26. ℣. 44. Quid enim est iterare, nisi eundem sermonem sæpius dicere, quod hîc fecit Christus? An David quoque superstitiosus fuit Calvino, cùm in psalmo suo 135 qui incipit: *Confitemini Domino &c.* eandem orationem vigesies septies iteravit, scilicet illud suum: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Ergo & Calvinistæ toties superstitiosi sunt, quoties hunc psalmum; *Confitemini*: vel orant, vel cantant. Superstitiosi Seraphini ipsi, qui suum *Sanctus, Sanctus, Sanctus* infinities iterant. Ut autem impietatem hominis magis etiam cognoscas, audi, quid de tali precum iteratione ulteriùs sentiat. Agens enim loco jam citato de recitatione Horarum Canonicarum, quæ ab Apostolorum temporibus in usu omnium ecclesiarum fuerunt, vocare audet, *garrulitatem DEO pueriliter illudentem.* An non audis hominem non pueriliter

Precum reiteratio an superstitiosa?

apertè Scriptura contradicit.

liter solùm, sed & impiè DEO simul illudentem & Ecclesiæ ejus? Nimirum omnium bonorum operum hostis capitalis est Calvinus, Jejunii, orationis prolixioris &c. eleemosynæ quoq;, dum & ipsi omne meritum subtrahit, & mercedem. Talis hostis & diabolus est. Videant ergo seducti, quales magistros sequantur. Satis de Canonibus Concilii Nicæni, qui præcipua hujus Concilii pars sunt, etsi plura dicenda superessent.

VIII. Venio ad Diatyposes, sive Constitutiones & decreta hujus antiquissimi & sacrosancti ipsis quoque Reformatis Concilii, ut idem etiám de his demonstrem, nihili hæc omnia fieri à Reformatis: cùm tamen altera ex parte fateantur, ut suprà vidimus, esse quatuor prima Concilia, inter quos Nicænum hoc primum est, Sacrosancta, in verbo DEI fundata, & à nullo fideli aut rejecta, aut rejicienda.

Etiam Diatypóses Concilii Nicæni rejiciunt Reformati.

I. Clarissimis verbis Concilium Nicænum confitetur realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia & per modum quidem Sacrificii. Ita enim loquitur in sua Diatyp. de divina mensa &c. l. 3. *Ne*, inquit, *in divina mensa humiliter* (id est, vili modo) *intenti simus ad propositum panem & poculum; sed attollentes mentem, fide intelligamus, situm in sacra illa mensa Agnum illum DEI, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum*, NB. *& pretiosum ipsius* CORPUS *&* SANGUINEM *nos* VERE NB *sumentes, credere, hæc esse nostræ resurrectionis Symbola.* Alibi autem, scilicet, can. 14. in Edit. Lat. in Græca autem Canone 18. ita loquitur Concilium, ut ipsum etiam vocabulum Sacrificij usurpet. Ait enim: *Pervenit ad Sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificij non habent potestatem* (scilicet Diaconi) *his qui offerunt*, (scilicet Sacerdotibus) *Corpus Christi porrigant*. Ita Nicænum. Quæso te, Lector, edic, an Concilium ipsum Tridentinum, novissimum scilicet omnium Generalium Conciliorum, tempore ipsius Calvini habitum, contra Calvini doctrinam poterat

Præsentiã Christi in Eucharistia agnoscit Nicænum.

Ipsam Eucharistiam pro Sacrificio habet.

rat mentem suam de SS. Eucharistia, exponere clariùs & dilucidiùs, quid de Reali & corporali præsentia Christi, & SS. Sacrificio Missæ sentiret? an non vocat disertis verbis *Sacrificium*, quod Soli Presbyteri, non autem Diaconi possint OFFERRE, quod proprium omnino vocabulum est, adhiberi solitum, cùm de Sacrificio loquimur? An non ait, *agnum illum, tollentem peccata mundi, immolari incruentè à Sacerdotibus, in mensa illa divina*, Eucharisticam intelligens? Quid est autem *immolari*, quàm sacrificari? Realem verò ac corporalem Christi in Eucharistia præsentiam an non clarissimè verba illa exprimunt: *Pretiosum Ipsius* (Christi) *Corpus, & Sanguinem* VERE *sumentes credimus, hæc esse nostræ resurrectionis Symbola*? per Symbola hîc non aliud, quàm pignora nostræ resurrectionis intelligens, juxta illud Christi D. Joan. 6. ℣. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hujus ergo resuscitationis & Symbolum, & Pignus, & caussa est manducatio digna Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. Ubi sunt jam simulatoria illa verba tua, Calvine, cùm dixisti l. 4. Inst. c. 9. Sect. 8. *Priscas illas Synodos, Nicænam &c. libenter amplectimur, reveremúrque ut Sacrosanctas, quantùm ad fidei dogmata?* Ecce fidei dogma est, & quidem, ut vestri Reformati ipsi loquuntur, *præcipuus fidei articulus sacra Cæna.* Ita loquitur apud D. Georgium pag. 375. Caprezius vester. Hæc autem *sacra Cæna, & mensa* simul est *divina, & Sacrificium à solis Sacerdotibus offerri dignum*, Concilio Nicæno & Patribus ejus. Nisi ergo falsum locutus es, Calvine, cur non *amplecteris* hanc doctrinam, cur non *revereris*, ut te facere perhibes? nihil autem minùs facis, sed in utroque dogmate contrarium doces, & aliud sentientes execraris, & pro hæreticis habes, pro *errore* scil. *pestilentissimo* l. 4. c. 18. Nicæni ergo Patres *hæretici*, & quidem *pestilentissimi* fuerunt: orthodoxus contrà est solus cum suis Calvinus, & plùs his omnibus sapit. Ita est, plùs his omnibus sapit, sed Carnem & fastum. Plurima superessent, quorum multa vide apud D. Georgium, in quibus

Christi carnem in Eucharistia docet esse pignus resurrectionis nostræ.

Alia omnia docent Reformati.

Refor-

Reformati diversum prorsus à Sacrosancta hac Synodo sentiunt, non responsuri aliud, si caussam tantæ temeritatis interrogentur, nisi Synodos has sacræ Scripturæ in his dogmatibus non consonare, cui parendum sit potiùs. At Calvinus vester, loco jam citato, *quantùm, ait, ad dogmata fidei attinet, Quatuor prima Concilia,* & primo loco Nicænum, *puram & nativam scripturæ interpretationem continere. Si puram & nativam scripturæ interpretationem;* ergo & fidem ac doctrinam puram continent, quia Scripturæ conformem. cur ergo *à pura scripturæ interpretatione*, & sic doctrina, vos Reformati disceditis? Sed vertiginis hujus, quæ verbis laudat, quod spernit facto, caussa in promptu est, ô Reformati. Pudet ex parte una totam Veterem Ecclesiam cum Conciliis suis spernere; quia hoc nimis apertam hæresin & intolerandam superbiam, sapit. Piget autem ex parte altera doctrinam à sacrosanctis illis Conciliis traditam sequi, quia vestræ penitus contraria est, & Ecclesiæ Romanæ favet, quam quibuscumque modis, etiam per infamiam vestram perditam vultis. Laudanda sunt itaque vetera Concilia, sed Consilia Calvini sequenda.

Quod de Nicæni Concilij contemptu vidimus, idem etiam ostendi potest de reliquis tribus, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi. Et laudant scilicet illa, ut Sacrosancta, ut tegant fraudes suas; & deserunt reipsâ, ceu impia, & sacris Scripturis contraria, ut propagent errores suos. exemplis supersedeo, quæ in promptu forent. hæc paulò, quàm institueram, fusiùs, ut scilicet insignis illa hypocrisis Reformatorum Ministrorum patescat, quam planè nudam, & jam tegi ampliùs nesciam exponit D. Georgius orbi, in Ratione sua XXII. illam, inquam, hypocrisin, quâ contestantur, se propediem Catholicis accessuros, si alterutrum demonstrari possit, scilicet, aut se à doctrina quatuor primorum Conciliorum ulla in re discessisse, aut nos Catholicos in nostris doctrinis ad horum Conciliorum doctrinas accedere. audiamus unum ex iis, vel alterum. Bernensis Minister, qui sibi nomen assumpsit: AMATOR *Veteris fidei Catholicæ*: ita totius

Ingens simulatio Bernensis Ministri, Amatoris.

Bernensis Ecclesiæ nomine loquitur apud D. Georgium pag. 263. & linguâ quidem vernaculâ, ut sequitur: Sie (die Berner Kirch vnd dero Prediger) bekennen noch ferners/ wann die Papistischen Doctores, wer sie je seyn/ Italiäner / Frantzosen / Spannier vnd Teutschen/ beweisen können/ daß vnsere Kirch anders lehre / als das Wort Gottes / vnnd die ersten vier allgemeine Concilia gelehrt haben/ sie ihre Lehr / ohne ferners Bedencken wollen fallen lassen. quæ Latinè sic vertas. *Profitentur quoque* (Reformata scilicet Ecclesia Bernensis, & ejus Concionatores) *ulteriùs, quòd, si Papistici Doctores, quicumque demum sint, Itali, Galli, Hispani, an Germani, probare queant, nostram Ecclesiam aliter docere, quàm Verbum DEI, aut prima quatuor Generalia Concilia docuerint, Ipsi* (Reformati scilicet Bernenses) *absque ulteriore deliberatione libenter doctrinæ suæ renuntiare velint.* Hæc Amator, sed erroris sui. Nam si ex animo, & sicut linguâ Germanicâ, ita & candore Germanico, hæc dicta essent, dudum AMATOR ipse, dudum Bernensis Ecclesia, & urbs, mihi quidem (de Urbe dico) ex peculiari ratione charissima, Catholici essetis. Dudum enim utrumque vobis demonstratum fidelissimè, & pro salute vestra zelosissimè à variis fuit, & vestram doctrinam, in omnibus, in quibus à nobis dissentitis, dogmatibus, quatuor primis sacrosanctis, ut ipsimet loquimini, Conciliis penitus contrariam esse; Catholicorum contrà doctrinas in nullo penitus articulo fidei ab iisdem discrepare. Idipsum ostendit, & oculis ipsis ingessit D. Georgius, olim vester, in Ratione sua XXII. Idipsum hoc loco præstitit Apologista, olim Municeps Bernensis, qui fausta Bernæ suæ omnia precatur, & præstare reipsâ, hoc quoque opusculo suo, æternas præsertim faustitates (quæ nulli tamen, nisi in fide integro obveniunt) conatur.

Municeps Bernensis fausta omnia precatur suæ Bernæ.

NB. Ad hæc omnia piscis instar silet Vedrosius.

Ad ista omnia, quæ pleraque ex D. Georgii Ratione XXII. sumpta sunt, & ad totam hanc vigesimam secundam Rationem, lectu, & multò magis consideratione dignissimam, quid respondet D. Vedrosius? Nec verbum. Nimirum ars magna est bene

dicere

dicere & eloqui: Sed non minor, si, quod loquaris, non suppetat, tacere.

ARTICULUS V.

S. Athanasij Symbolum, verbo tenus, recipiunt quoque summa cum reverentia Reformati, re ipsâ verò in pluribus absq; reverentia rejiciunt.

I.

Symbolum S. Athanasij in speciem recipiunt Reformati.

S. Athanasij Symbolum tantæ semper apud omnes Orthodoxos auctoritatis fuit, ut Catholicus non crederetur, & nec Christianus, qui hoc Symbolum non reciperet. Hac unicâ ratione, & respectu non nisi humano permoti Ministri Reformati, rejicere hucusque & ipsi non sunt ausi, etsi nullum sit ex omnibus Symbolis, quod tantopere ipsis sicut & Lutheranis contrarium sit, de quo statim. Statuerunt ergo, verbo tenus recipere; quæ autem minùs in eo arriderent, ipso facto negligere ac rejicere. quod sic ostendo, & oculis ipsis subjicio. Symbolum Athanasianum ita incipit:

à quo tamē apertissimè damnantur

I. *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem:*

Quam nisi quisque integram, inviolatámque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Quia integram non servant Fidem Catholicam.

An non, fulmen hoc est contra omnes Reformatos, Lutheranos, & reliquos omnes Sectarios! & utinam fulmen foret illi simile, quo Saulus in campo Damasceno dejectus est, ut resurgeret Paulus! Comminatur æternum interitum iis omnibus Athanasius, sine ulla quidem dubitatione incurrendum, qui fidem Catholicam non ex omni parte integram teneant, id est, qui vel in uno articulo fidei, cum Catholica Ecclesia non sentiant. Atqui Reformati ita non tenent integram Catholicam, ut non in uno solùm, sed in articulis plurimis, ut vidimus, dissideant. Ergo, nisi resipiscant, ex sententia Symboli Athanasiani, quod recipere se dicunt, *absque dubio in æternum peribunt.*

II. Athanasius dicit: *In Trinitate nihil prius, aut posterius: nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Calvinus contrà dicit. Filius etiam quoad divinitatem Minor est Patre. In epistola sua ad Polonos jam suprà citata.

II. Dissentiunt ab eodem in articulo de Christi descensu ad Inferos.

III. Athanasius dicit de Christo: *Qui passus est pro Salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.* Calvinus contrà, Christum nunquam reipsâ descendisse post mortem ad inferos; sed vivum adhuc in Cruce pœnas damnatorum pertulisse, & hoc esse ad inferos eum descendisse. Ita Calvinus l. 2. Instit. c. 16. n. 10. ut jam suprà vidimus in artic. 3. hujus Sectionis, cùm ageremus de quarto articulo Symboli Apostolorum. Bezæ non placet tam impia hujus articuli explicatio; ait ergo ipse, per Inferos sepulcrum intelligi, in quod Christus descenderit; quam explicationem itidem, dicto paulò ante articulo 3. hujus Sect. ut nugatoriam explosimus. En concordiam inter Reformatorum Antesignanos!

Item in articulo de Iudicio extremo.

IV. Athanasius dicit: *Christus venturus est judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* Calvinus contrà judicat, non reddituros eos, qui semel à Christo tam *pretiosâ mercede* redempti sint, de factis propriis, scilicet de peccatis suis, ulteriorem rationem, eò quòd peccata in judicium non sint ampliùs ventura. Vide artic. 7.

Item in articulo de Igne æterno.

V. Athanasius dicit: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.* Calvinus contradicit dupliciter. Non ibunt, ait, in ignem æternum. nullus enim in Inferno erit ignis, quo torqueantur damnati; sed solùm æterno conscientiæ horrore torquebuntur. Ita autem docet Calvinus l. 3. Instit. c. 25. n. 12. Deinde, non qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam (nec enim bonæ actiones promerentur vitam æternam) sed qui rectâ in DEUM fide usque in finem perstiterunt. fide enim solâ & justificamur, & glorificamur.

VI. Athanasius dicit, itáque concludit suum Symbolum:

Hæc

Hac est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, salvus esse non poterit. Calvinus dicit: Qui fidem Catholicam, (quæ Romana est) utpote plurimis erroribus refertam, firmiter crediderit, salvus esse non poterit. Si autem desertâ fide Catholicâ, ad angularem nostram fidem transiverit, salvus sine ullo dubio erit. En reverentiam Symboli Athanasiani! En verba inania! en fucos & fallacias! Et de Catholica Fide.

ARTICULUS VI.

Maxima Ministrorum Reformatorum, in ipsis essentialibus Fidei dogmatibus, & manifestissima dissensio.

HAnc dissensionem objecit D. Georgius Reformatis suis in Ratione XXIII. Conversionis suæ pag. 266. & seqq. ídque demonstravit ipsis quadraginta omnino exemplis, quibus contradictionis Spiritum, certum hæreseos indicium, ob ipsos oculos ponit. Et ne reponere possit aut Vedrosius, aut quilibet alius, dissensiones istas non esse in substantialibus articulis, sive fundamentalibus, ut ipsi loquuntur, quæro ante omnia, an articuli illi, qui in Symbolo Apostolorum continentur, substantiales sint, an non? Utique eos esse vel maximè substantiales & essentiales concedent nobis. Quæro rursus, an articulus de Cœna Dominica essentialis sit, an non? Vtique est, ut quem ipsi fatentur ex articulis controversis esse præcipuum. Ita Caprezius apud D. Georgium pag. 375. Quæro insuper, an articuli, qui sunt de sacramentis, substantiales sint, an secus? Vtique substantiales. Quia nec Ecclesia esset, quæ sacramentis destituta esset. His suppositis, & à parte adversariorum concessis (nec enim possunt aliter.) ostendo cum meo D. Georgio, in his ipsis Reformatos dissidere.

I. Reformati in substantialibus articulis fidei dissentiunt à seipsis.

§. I.

Dissidium Reformatorum circa Descensum Christi ad Inferos.

Descen-

II. Dissident in descensu Christi ad inferos.

Descensus Christi ad Inferos unus est ex articulis, quos Symbolo suo SS. Apostoli sunt complexi, quod probatione nullâ indiget, atque ita fundamentalis. De hoc tamen ipso articulo sentiunt alii Reformatorum, inter articulos fidei omnino numerandum; alij hoc negant & judicant eliminandum. Articulum esse, sentiunt plerique omnes Reformati Ministri: Et Wollebius quidem disertè scribit l. 1. Compendii Theol. c. 8. Can. 17. *Descensus Christi ad inferos est quartus in Symbolo Apostolico articulus fidei*: idque rectè. Contrà Oecolampadius apud Scultet. Annal. Dec. 2. ad annum 1528. in fine ita loquitur. *Descensus Christi ad inferos non est specialis articulus fidei.* Est etiam in explicatione hujus articuli substantialis discordia; dum Beza quidem docet, descensum hunc Christi ad inferos non fuisse aliud, nisi descensum Christi in sepulcrum, ut jam vidimus. An non turpissima hæc in essentialibus & fundamentalibus articulis dissensio est?

§. II.

De dissidio Reformatorum circa Cœnam Dominicam.

III. Dissident in articulo de Cœna Dominica.

Zvvinglius, Calvini Pater, dicit: *Edere corpus Christi nihil aliud est, quàm credere, corpus Christi pro nobis esse mortuum.* Apud Scultet. annal. Dec. 1. ad ann. 1524. & Dec. 2. ad ann. 1526.

Contrà Calvinus ait l. 4. Instit. c. 17. Sect. 5. *Manducare Christi carnem, & ejus sanguinem bibere, expreßius quiddam & sublimius videtur voluisse docere Christus, quàm in Christum credere.* quæ ex diametro sibi adversantur, ut sensui quoque patet.

Idem Calvinus l. 4. Instit. c. 17. affirmat, *Realem præsentiam Corporis Christi, non modo virtutis, sed etiam Corporis, miro quodam & incomprehensibili modò, Fidei ori adesse*; quem & Wittackerus, & quidam alii sequuntur. Hanc sententiam, tanquam Papisticæ sententiæ nimis proximam, damnant è contrario Petrus Vermilius, Aretius, Zegedinus & alij apud Hospin. in historia Sacramentaria P. 2. f. 344. Ludovicus Alemannus autem, alius Calvinista

vinista, in Positionibus suis, Lugduni anno 1566. editis, vocat hanc sententiam Calvini *imaginariam totam, quæ apertissimo verbo DEI repugnet.*

§. III.

De dissidio Reformatorum circa Sacramenta Ecclesiæ.

I. De Sacramento Ordinis concedit Calvinus Ordinem esse Sacramentum l. 4. Instit. c. 19. Sect. 32. his verbis: *Impositionem manuum in veris, legitimisque ordinationibus, Sacramentum esse concedo.* Directè contrarium Calvino suo, docet Helvetica Confessio c. 19. §. ET SUNT. *Ordinationem Ministrorum,* ait, *agnoscimus non esse Sacramentum.* IV. Dissident in Sacramento ordinis, & quidē contradictoriè.

II. De Sacramentorum virtute, ita docet Calvinus Instit. l. 4. c. 14. Sect. 17. *Sacramenta,* ait, *non conferunt Christi gratiam.* uti & circa virtutem Sacramentorum.

Contrà alii, ut Scharpius in Cursu suo Theol. de Sacram. in princip. *Sacramenta,* inquit, *conferunt, & in nobis obsignant beneficia Christi.* Ita Scharpius. Quæ autem sunt hæc beneficia Christi, nisi gratia Christi, omnium beneficiorum Christi maximum? Ex plurimis hæc pauca.

§. IV.

Ipsorummet Reformatorum confessiones propriæ de pudenda illorum discordia in rebus Fidei.

I. *Testimonium Bezæ* in Epistolis suis Theologicis (ubi refert epistolam Duditij, Reformati Theologi ad se datam) vocat Fidem Reformatorum Theologorum Menstruam, hoc est, quæ singulis mensibus immutetur. Verba ejus ista sunt. *Theologi* (Reformatos intelligit) *in dies à scriptis dissident: Menstruam fidem habent NB. & quod de Arrianis scripsit Hilarius, Fidem eos Annuam, & Menstruam habere, id de nostris Evangelicis &c.* Ita proprius ipsorum Propheta de suis. V. Menstrua est fides Reformatorū ex propria eorum confessione.

Sequitur *secundum Testimonium* Duditij, qui ita scribit ad Bezam de Theologis Reformatis: *Palantes circumferuntur omni do-*

ctrinæ vento agitati, & in altum sublati, modò ad hanc, modò ad illam partem deferantur. Horum quæ sit hodie de Religione sententia, scire fortasse possis, sed quæ Cras de eadem futura sit opinio, neque tu certo affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite (NB. Vedrosi) *congruunt Ecclesiæ inter se, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter non statim impium esse clamitet.* An satis clara hæc sunt, Lector? & hæc Duditius facilè doctissimus Reformatorum, infelix ille Quinqueecclesiensis olim Episcopus.

Quid credant hodie, norunt: nō item quid crastino sint credituri.

VI. *Tertium Testimonium Bullingeri*, qui Ecclesiæ Tigurinæ post Zvvinglium primarius Minister fuit. Is in Fundamento firmo 1. P. c. 1. ita queritur, *Commovet vehemens, & implacabilis hæc dissensio non paucos adeò, ut animum veluti despondentes dicant, se posthac nihil ampliùs, nisi quod ipsis libeat, credituros. Quin imò fidem abjicientes clamant; quid, oro, Fidei in tot factiones distractæ tribuas?*

Sic atheismo sternitur via ex ipsorum confessione.

Ecce quid proprij Reformatorum Prophetæ de suis Reformatis dolentes, & quasi ejulantes confiteantur! Nota est etiam illa nobilis Angli exclamatio, cùm confusiones hodiernas in Anglia cerneret: *Si res ita habet*, inquiebat, *sit anima mea cum Philosophis*. dicere volebat. Si ita res habet, malo ego Socratis, aut Aristotelis & Platonis fidem amplecti, nec aliud, quàm quod mihi videtur, ut illi fecerunt, credere; hoc est, malo totum Christianismum ejurare, quàm talem Christianismum sequi. quod dixit iste, faciunt alij apud Reformatos, & in ipsum denique Atheismum se præcipitant, satiùs ducentes, nullum omnino Deum credere, quàm talem, qualem Calvini doctrina tam variabilis proponit. Et verò, meo quidem judicio, nec solius, atheis remissius erit in die Judicij, qui nullum Deum credunt, quàm Calvino, qui talem credit, qualem sibi fabricat, non Deum, sed Idolum. Idem ne contingat aliis Calvini asseclis, caveant, atque provideant.

Qui plura cupit præclara specimina *implacabilis* hujus inter Reformatos *dissensionis*, ut Bullingerus ipse loquitur, adeat Jodocum Coccium in Thesauro l. 8. a. 7. n. 3. ubi 24. contradictiones

dictiones Calvini inveniet. adeat & Laurentium Forerum Jesuitam, in Quæstione vexata, P. 2. L. 2. Sect. 3. c. 7. & integrum catalogum reperiet dissidiorum apud Reformatos vigentium. ubi planè propheticum illud impletur, Isa. 19. *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum; civitas adversus civitatem, & regnum adversus regnum.* quæ omnia in Reformatorum regno, quamvis angusto, videmus impleta. Sed & illud ad eorum salutem speramus implendum: *Regnum in seipso divisum desolabitur*, uti præcedentibus omnibus sectis propter eandem caussam dissensionis accidit; ut Arrianis, quorum itidem *fides* non nisi *annua & menstrua erat*; qui itidem, quid Hodie crederent, sciebant, quid Cras, non item, uti Duditius de Reformatis suis pronuntiavit. Quid simile Catholicis aut antehac potuit unquam objici, aut hodie potest? quem articulum ex Symbolo Apostolorum, aut ejiciendum censuerunt, aut negaverunt & impugnarunt? Quando in Sacramentorum numero concordes non fuerunt? Quid contrarium Nicæno, aut Athanasiano Symbolo, vel etiam Canonibus Nicænis docuerunt unquam? aut in quo Fides Catholicorum à fide quatuor primorum Conciliorum, imò omnium reliquorum Oecumenicorum dissensit? quod dogma ab iis receptum repudiavit? Et novissimè quidem, quis Catholicorum Doctorum à Sacrosancto Concilio Tridentino, ante centum annos celebrato, & à canonibus, sive regulis fidei ibidem traditis hucusque recessit? quæ Catholica Academia, quæ Urbs, quæ natio in toto Christiano orbe dissensit? quæ sola ratio omnibus, qui sapiunt aliquid, sufficientissima esse & potest & debet (uti fuit D. Georgio) ut æternum vale dicant, tam non uni, tam scissæ, tam divisæ, tam multiplici, tam mutabili in annos, menses, & dies prope singulos (Duditio teste) Ecclesiæ Reformatæ.

Sic Ægyptii concurrunt adversus Ægyptios.

VII. Inimitabilis est contrà concordia Catholicorum.

II

ctrinæ vento agitati, & in altum sublati, modò ad hanc, modò ad illam partem deferuntur. Horum quæ sit hodie de Religione sententia, scire fortasse possis, sed quæ Cras de eadem futura sit opinio, neque tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite (NB. Vedrosi) *congruunt Ecclesiæ inter se, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter non statim impium esse clamitet.* An satis clara hæc sunt, Lector? & hæc Duditius facilè doctissimus Reformatorum, infelix ille Quinqueecclesiensis olim Episcopus.

Quid credant hodie, norunt: nō item quid crastino sint credituri.

VI. *Tertium Testimonium Bullingeri*, qui Ecclesiæ Tigurinæ post Zvvinglium primarius Minister fuit. Is in Fundamento firmo 1. P. c. 1. ita queritur, *Commovet vehemens, & implacabilis hæc dissensio non paucos adeò, ut animum veluti despondentes dicant, se posthac nihil ampliùs, nisi quod ipsis libeat, credituros. Quin imò fidem abjicientes clamant; quid, oro, Fidei in tot factiones distractæ tribuas?*

Sic atheismo sternitur via ex ipsorummet confessione.

Ecce quid proprij Reformatorum Prophetæ de suis Reformatis dolentes, & quasi ejulantes confiteantur! Nota est etiam illa nobilis Angli exclamatio, cùm confusiones hodiernas in Anglia cerneret: *Si res ita habet*, inquiebat, *sit anima mea cum Philosophis.* dicere volebat. Si ita res habet, malo ego Socratis, aut Aristotelis & Platonis fidem amplecti, nec aliud, quàm quod mihi videtur, ut illi fecerunt, credere; hoc est, malo totum Christianismum ejurare, quàm talem Christianismum sequi. quod dixit iste, faciunt alij apud Reformatos, & in ipsum denique Atheismum se præcipitant, satiùs ducentes, nullum omnino Deum credere, quàm talem, qualem Calvini doctrina tam variabilis proponit. Et verò, meo quidem judicio, nec solius atheis remissius erit in die Judicij, qui nullum DEUM credunt, quàm Calvino, qui talem credit, qualem sibi fabricat, non DEUM, sed Idolum. Idem ne contingat aliis Calvini asseclis, caveant, atque provideant.

Qui plura cupit præclara specimina *implacabilis* hujus inter Reformatos *dissensionis*, ut Bullingerus ipse loquitur, adeat Jodocum Coccium in Thesauro l. 8. a. 7. n. 3. ubi 24. contradictiones

dictiones Calvini inveniet. adeat & Laurentium Forerum Jesuitam, in Quæstione vexata, P. 2. L. 2. Sect. 3. c. 7. & integrum catalogum reperiet dissidiorum apud Reformatos vigentium. ubi planè propheticum illud impletur, Isa. 19. *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum; civitas adversus civitatem, & regnum adversus regnum.* quæ omnia in Reformatorum regno, quamvis angusto, videmus impleta. Sed & illud ad eorum salutem speramus implendum: *Regnum in seipso divisum desolabitur*, uti præcedentibus omnibus sectis propter eandem caussam dissensionis accidit; ut Arrianis, quorum itidem *fides* non nisi *annua & menstrua erat*; qui itidem, quid Hodie crederent, sciebant, quid Cras, non item, uti Duditius de Reformatis suis pronunciavit. Quid simile Catholicis aut antehac potuit unquam objici, aut hodie potest? quem articulum ex Symbolo Apostolorum, aut ejiciendum censuerunt, aut negaverunt & impugnarunt? Quando in Sacramentorum numero concordes non fuerunt? Quid contrarium Nicæno, aut Athanasiano Symbolo, vel etiam Canonibus Nicænis docuerunt unquam? aut in quo Fides Catholicorum à fide quatuor primorum Conciliorum, imò omnium reliquorum Oecumenicorum dissensit? quod dogma ab iis receptum repudiavit? Et novissimè quidem, quis Catholicorum Doctorum à Sacrosancto Concilio Tridentino, ante centum annos celebrato, & à canonibus, sive regulis fidei ibidem traditis hucusque recessit? quæ Catholica Academia, quæ Urbs, quæ natio in toto Christiano orbe dissensit? quæ sola ratio omnibus, qui sapiunt aliquid, sufficientissima esse & potest & debet (uti fuit D. Georgio) ut æternum vale dicant, tam non uni, tam scissæ, tam divisæ, tam multiplici, tam mutabili in annos, menses, & dies prope singulos (Duditiò teste) Ecclesiæ Reformatæ.

Sic Ægyptii concurrunt adversus Ægyptios.

VII. Inimitabilis est contrà concordia Catholicorum.

II

ARTICULUS VII.

D. Vedrosii Oppositiones, (& in persona ejus omnium Reformatorum, ad amoliendum, qui eis objicitur, dissensum,) & Apologistæ ad eas responsiones.

I. Delirii arguit D. Georgium Vedrosius.

QUid ad ista verò D. Vedrosius? Vir misericors est. Miseratur D. Georgium talia in aciem producentem, & tam *pueriliter delirantem*, uti loquitur Sect. 7. pag. 171. Statim autem post hæc dicta, Vedrosius ipse infantiliter delirat, dum clypeum contra hæc tela nostra, non ex Theologiæ, armamentario, sed ex Dialecticæ palæstra arripit in hunc modum. Omnia contradictionis specimina à D. Georgio producta, *si ad justa oppositionis leges* (Dialecticas scilicet) *exigantur, primo statim intuitu ait apparitura, vel non habere idem subjectum, vel non fieri secundùm idem & ad idem, seu eodem respectu, nec, quod imprimis factum opertuisset, diversa distingui tempora.* Ita Vedrosius in genere: quod facillimum cuique est, etiam tirunculo Dialecticæ, respondere, si ipsi objiciatur, eum contradictoria admisisse. Negabit enim continuò contradictoria esse, quæ *vel subjectum idem non habeant, vel non idem & ad idem dicantur &c.* Sed an propterea solutum est argumentum? In particulari ostendendum est tirunculo, quæ objecta ipsi sunt, eodem subjecto non constare &c. Idem tibi, Vedrosi, ostendendum erat, in particulari, saltem in uno, alterôve exemplo, quod D. Georgius attulit. quod cùm nec facias, nec queas facere, in possessione plena victoriæ D. Georgius persistit, & Vedrosius ei herbam porrigit.

Quomodo deliret Ipse.

II. Caussatur secundo loco Vedrosius; contradictiones, quas D. Georgius adducat, nullas esse, *quæ alicujus capitis, sive articuli principalis fundamentum tangant, ut sunt articuli de Scriptura, Christo, vel Gratia.* Effugium & miserabile prorsus, & falsum! Nam primò

primò, articulus ille de Ecclesia, an scilicet ea errare possit in Fide, an verò errare non possit, an non articulus est maximè principalis, à quo omnes reliqui articuli pendent? De hoc autem articulo prima Contradictio est, quam D. Georgius affert pag. 268. exempl. 1. Item secunda & tertia, ad quas omnes silet Vedrosius. Deinde articuli, qui sunt de Sacramentis fidei nostræ, quæ per excellentiam Mysteria fidei dicuntur, & præsertim Dominica Cœna, an non sunt articuli principales? De his autem Sacramentis agit Contradictio 5. 6. 7. & plures aliæ, quas D. Georgius adducit pag. 269. & seqq.

Et falsò neget non tangi articulos fidei principales a D. Georgii contradictionibus.

Rursus, an non articulus est principalis, fundamentum fidei tangens, articulus de Passione, crucifixione, sepultura, & descensu Christi ad inferos, & quidem an non est articulus de Christo; quod requirit Vedrosius? De hoc autem articulo habetur turpissima contradictio Reformatorum in exemplo Georgiano 28. pag. 275.

De Scriptura autem (qnod itidem requirit Vedrosius) agit contradictio 24. in exemplo Georgiano item 24. De Gratia autem, contradictio 7. Ergo & miserabile simul & falsum, ut dicebamus, est hoc secundum Effugium Vedrosij.

Tertium Effugium ejusdem est, ut dicat, in plerisque â D. Georgio objectis non esse ne quidem apparentem contradictionem, ne dum veram. hoc, mi Vedrosi, non dicendum tibi, sed probandum est, nam contrarium nimis est manifestum.

Effugium Vedrosij miserabilissimũ. NB. NB.

Dic enim, Vedrosi, contradictio illa, quam D. Georgius affert in exemplo suo 22. pag. 274. an nec apparens, ne dum vera cotradictio est, quæ ita habet?

Calvinus dicit.	Confessio Helv. contradicit.
Impositio manuum, in veris legitimisque ordinationibus, Sacramentum est.	*Ordinationem ministrorum agnoscimus non esse Sacramentum.*

An hæc *ne quidem apparens contradictio* est? quid etiam juxta omnium Dialecticorum regulas ad verissimam contradictionem duabus his propositionibus deest? an non hîc idem subjectum,

II. Athanasius dicit: *In Trinitate nihil prius, aut posterius: nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Calvinus contrà dicit. Filius etiam quoad divinitatem Minor est Patre. In epistola sua ad Polonos jam suprà citata.

II. Dissentiunt ab eodem in articulo de Christi descensu ad Inferos.

III. Athanasius dicit de Christo: *Qui passus est pro Salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.* Calvinus contrà, Christum nunquam reipsâ descendisse post mortem ad inferos; sed vivum adhuc in Cruce pœnas damnatorum pertulisse, & hoc esse ad inferos eum descendisse. Ita Calvinus l. 2. Instit. c. 16. n. 10. ut jam suprà vidimus in artic. 3. hujus Sectionis, cùm ageremus de quarto articulo Symboli Apostolorum. Bezæ non placet tam impia hujus articuli explicatio; ait ergo ipse, per Inferos sepulcrum intelligi, in quod Christus descenderit; quam explicationem itidem, dicto paulò ante articulo 3. hujus Sect. ut nugatoriam explosimus. En concordiam inter Reformatorum Antesignanos!

IV. Athanasius dicit: *Christus venturus est judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* Calvinus contrà judicat, non reddituros eos, qui semel à Christo tam *pretiosâ mercede* redempti sint, de factis propriis, scilicet de peccatis suis, ulteriorem rationem, eò quòd peccata in judicium non sint ampliùs ventura. Vide artic. 7.

Item in articulo de Iudicio extremo.

V. Athanasius dicit: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.* Calvinus contradicit dupliciter. Non ibunt, ait, in ignem æternum. nullus enim in Inferno erit ignis, quo torqueantur damnati; sed solùm æterno conscientiæ horrore torquebuntur. Ita autem docet Calvinus l. 3. Instit. c. 25. n. 12. Deinde, non qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam (nec enim bonæ actiones promerentur vitam æternam) sed qui rectâ in Deum fide usque in finem perstiterunt. fide enim solâ & justificamur, & glorificamur.

Item in articulo de Igne æterno.

VI. Athanasius dicit, itáque concludit suum Symbolum:

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, salvus esse non poterit. Calvinus dicit: Qui fidem Catholicam, (quæ Romana est) utpote plurimis erroribus refertam, firmiter crediderit, salvus esse non poterit. Si autem desertâ fide Catholicâ, ad angularem nostram fidem transiverit, salvus sine ullo dubio erit. En reverentiam Symboli Athanasiani! En verba inania! en fucos & fallacias! Et de Catholica Fide.

ARTICULUS VI.

Maxima Ministrorum Reformatorum, in ipsis essentialibus Fidei dogmatibus, & manifestissima dissensio.

HAnc dissensionem objecit D. Georgius Reformatis suis in Ratione XXIII. Conversionis suæ pag. 266. & seqq. idque demonstravit ipsis quadraginta omnino exemplis, quibus contradictionis Spiritum, certum hæreseos indicium, ob ipsos oculos ponit. Et ne reponere possit aut Vedrosius, aut quilibet alius, dissensiones istas non esse in substantialibus articulis, sive fundamentalibus, ut ipsi loquuntur, quæro ante omnia, an articuli illi, qui in Symbolo Apostolorum continentur, substantiales sint, an non? Utique eos esse vel maximè substantiales & essentiales concedent nobis. Quæro rursus, an articulus de Cœna Dominica essentialis sit, an non? Vtique est, ut quem ipsi fatentur ex articulis controversis esse præcipuum. Ita Caprezius apud D. Georgium pag. 375. Quæro insuper, an articuli, qui sunt de sacramentis, substantiales sint, an secus? Vtique substantiales. Quia nec Ecclesia esset, quæ sacramentis destituta esset. His suppositis, & à parte adversariorum concessis (nec enim possunt aliter.) ostendo cum meo D. Georgio, in his ipsis Reformatos dissidere.

I. Reformati in substantialibus articulis fidei dissentiunt à seipsis.

§. I.

Dissidium Reformatorum circa Descensum Christi ad Inferos.

Descen-

II. Dissident in descensu Christi ad inferos.

Descensus Christi ad Inferos unus est ex articulis, quos Symbolo suo SS. Apostoli sunt complexi, quod probatione nullâ indiget, atque ita fundamentalis. De hoc tamen ipso articulo sentiunt alii Reformatorum, inter articulos fidei omnino numerandum; alij hoc negant & judicant eliminandum. Articulum esse, sentiunt plerique omnes Reformati Ministri: Et Wollebius quidem disertè scribit l. 1. Compendii Theol. c. 8. Can. 17. *Descensus Christi ad inferos est quartus in Symbolo Apostolico articulus fidei*: idque rectè. Contrà Oecolampadius apud Scultet. Annal. Dec. 2. ad annum 1528. in fine ita loquitur. *Descensus Christi ad inferos non est specialis articulus fidei.* Est etiam in explicatione hujus articuli substantialis discordia; dum Beza quidem docet, descensum hunc Christi ad inferos non fuisse aliud, nisi descensum Christi in sepulcrum, ut jam vidimus. An non turpissima hæc in essentialibus & fundamentalibus articulis dissensio est?

§. II.
De dissidio Reformatorum circa Cœnam Dominicam.

III. Dissident in articulo de Cœna Dominica.

Zvvinglius, Calvini Pater, dicit: *Edere corpus Christi nihil aliud est, quàm credere, corpus Christi pro nobis esse mortuum.* Apud Scultet. annal. Dec. 1. ad ann. 1524. & Dec. 2. ad ann. 1526.

Contrà Calvinus ait l. 4. Instit. c. 17. Sect. 5. *Manducare Christi carnem, & ejus sanguinem bibere, expreßius quiddam & sublimius videtur voluisse docere Christus, quàm in Christum credere.* quæ ex diametro sibi adversantur, ut sensui quoque patet.

Idem Calvinus l. 4. Instit. c. 17. affirmat, *Realem præsentiam Corporis Christi, non modo virtutis, sed etiam Corporis, miro quodam & incomprehensibili modo, Fidei ori adesse*; quem & Wittackerus, & quidam alii sequuntur. Hanc sententiam, tanquam Papisticæ sententiæ nimis proximam, damnant è contrario Petrus Vermilius, Aretius, Zegedinus & alij apud Hospin. in historia Sacramentaria P. 2. f. 344. Ludovicus Alemannus autem, alius Calvinista

vinista, in Positionibus suis, Lugduni anno 1566. editis, vocat hanc sententiam Calvini *imaginariam totam, quæ apertissimo verbo DEI repugnet.*

§. III.
De dissidio Reformatorum circa Sacramenta Ecclesiæ.

I. De Sacramento Ordinis concedit Calvinus Ordinem esse Sacramentum l. 4. Instit. c. 19. Sect. 32. his verbis: *Impositionem manuum in veris, legitimisque ordinationibus, Sacramentum esse concedo.* Directè contrarium Calvino suo, docet Helvetica Confessio c. 19. §. ET SUNT. *Ordinationem Ministrorum,* ait, *agnoscimus non esse Sacramentum.* IV. Dissident in Sacramento ordinis, & quidē contradictoriè.

II. De Sacramentorum virtute, ita docet Calvinus Instit. l. 4. c. 14. Sect. 17. *Sacramenta,* ait, *non conferunt Christi gratiam.* uti & circa virtutem Sacramentorum.

Contrà alii, ut Scharpius in Cursu suo Theol. de Sacram. in princip. *Sacramenta,* inquit, *conferunt, & in nobis obsignant beneficia Christi.* Ita Scharpius. Quæ autem sunt hæc beneficia Christi, nisi gratia Christi, omnium beneficiorum Christi maximum? Ex plurimis hæc pauca.

§. IV.
Ipsorummet Reformatorum confessiones propriæ de pudenda illorum discordia in rebus Fidei.

I. *Testimonium Bezæ* in Epistolis suis Theologicis (ubi refert epistolam Duditij, Reformati Theologi ad se datam) vocat Fidem Reformatorum Theologorum Menstruam, hoc est, quæ singulis mensibus immutetur. Verba ejus ista sunt. *Theologi* (Reformatos intelligit) *in dies à scriptis dissident: Menstruam fidem habent NB. & quod de Arrianis scripsit Hilarius, Fidem eos Annuam, & Menstruam habere, id de nostris Evangelicis &c.* Ita proprius ipsorum Propheta de suis. V. Menstrua est fides Reformatorū ex propria eorum confessione.

Sequitur *secundum Testimonium* Duditij, qui ita scribit ad Bezam de Theologis Reformatis: *Palantes circumferuntur omni do-*

ctrinæ vento agitati, & in altum sublati, modò ad hanc, modò ad illam partem deferuntur. Horum quæ sit hodie de Religione sententia, scire fortasse possis, sed quæ Cras de eadem futura sit opinio, neque tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite (NB. Vedrosi) *congruunt Ecclesiæ inter se, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter non statim impium esse clamitet.* An satis clara hæc sunt, Lector? & hæc Duditius facilè doctissimus Reformatorum, infelix ille Quinqueeclesiensis olim Episcopus.

Quid credant hodie, norunt: nō item quid crastino sint credituri.

VI. *Tertium Testimonium Bullingeri*, qui Ecclesiæ Tigurinæ post Zvvinglium primarius Minister fuit. Is in Fundamento firmo 1. P. c. 1. ita queritur, *Commovet vehemens, & implacabilis hæc dissensio non paucos adeò, ut animum veluti despondentes dicant, se posthac nihil ampliùs, nisi quod ipsis libeat, credituros. Quin imò fidem abjicientes clamant; quid, oro, Fidei in tot factiones distractæ tribuas?*

Sic atheismo sternitur via ex ipsorummet confessione.

Ecce quid proprij Reformatorum Prophetæ de suis Reformatis dolentes, & quasi ejulantes confiteantur! Nota est etiam illa nobilis Angli exclamatio, cùm confusiones hodiernas in Anglia cerneret: *Si res ita habet*, inquiebat, *sit anima mea cum Philosophis.* dicere volebat. Si ita res habet, malo ego Socratis, aut Aristotelis & Platonis fidem amplecti, nec aliud, quàm quod mihi videtur, ut illi fecerunt, credere; hoc est, malo totum Christianismum ejurare, quàm talem Christianismum sequi. quod dixit iste, faciunt alij apud Reformatos, & in ipsum denique Atheismum se præcipitant, satiùs ducentes, nullum omnino Deum credere, quàm talem, qualem Calvini doctrina tam variabilis proponit. Et verò, meo quidem judicio, nec solius, atheis remissius erit in die Judicij, qui nullum DEUM credunt, quàm Calvino, qui talem credit, qualem sibi fabricat, non DEUM, sed Idolum. Idem ne contingat aliis Calvini asseclis, caveant, atque provideant.

Qui plura cupit præclara specimina *implacabilis* hujus inter Reformatos *dissensionis*, ut Bullingerus ipse loquitur, adeat Jodocum Coccium in Thesauro l. 8. a. 7. n. 3. ubi 24. contra-

dictiones

dictiones Calvini inveniet. adeat & Laurentium Forerum Jesuitam, in Quæstione vexata, P. 2. L. 2. Sect. 3. c. 7. & integrum catalogum reperiet dissidiorum apud Reformatos vigentium. ubi planè propheticum illud impletur, Isa. 19. *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum; civitas adversus civitatem, & regnum adversus regnum.* quæ omnia in Reformatorum regno, quamvis angusto, videmus impleta. Sed & illud ad eorum salutem speramus implendum: *Regnum in seipso divisum desolabitur*, uti præcedentibus omnibus sectis propter eandem caussam dissensionis accidit; ut Arrianis, quorum itidem *fides* non nisi *annua & menstrua erat*; qui itidem, quid Hodie crederent, sciebant, quid Cras, non item, uti Duditius de Reformatis suis pronuntiavit.

Sic Ægyptii concurrunt adversus Ægyptios.

VII. Inimitabilis est contrà concordia Catholicorum.

Quid simile Catholicis aut antehac potuit unquam objici, aut hodie potest? quem articulum ex Symbolo Apostolorum, aut ejiciendum censuerunt, aut negaverunt & impugnarunt? Quando in Sacramentorum numero concordes non fuerunt? Quid contrarium Nicæno, aut Athanasiano Symbolo, vel etiam Canonibus Nicænis docuerunt unquam? aut in quo Fides Catholicorum à fide quatuor primorum Conciliorum, imò omnium reliquorum Oecumenicorum dissensit? quod dogma ab iis receptum repudiavit? Et novissimè quidem, quis Catholicorum Doctorum à Sacrosancto Concilio Tridentino, ante centum annos celebrato, & à canonibus, sive regulis fidei ibidem traditis hucusque recessit? quæ Catholica Academia, quæ Urbs, quæ natio in toto Christiano orbe dissensit? quæ sola ratio omnibus, qui sapiunt aliquid, sufficientissima esse & potest & debet (uti fuit D. Georgio) ut æternum vale dicant, tam non uni, tam scissæ, tam divisæ, tam multiplici, tam mutabili in annos, menses, & dies prope singulos (Duditio teste) Ecclesiæ Reformatæ.

ARTICVLVS VII.

D. Vedrosii Oppositiones, (& in persona ejus omnium Reformatorum, ad amoliendum, qui eis objicitur, dissensum,) & Apologistæ ad eas responsiones.

Quid ad ista verò D. Vedrosius? Vir misericors est. Misera-
I. tur D. Georgium talia in aciem producentem, & tam
Delirii arguit D. Georgium Vedrosius. *pueriliter delirantem*, uti loquitur Sect. 7. pag. 171. Statim autem post hæc dicta, Vedrosius ipse infantiliter delirat, dum clypeum contra hæc tela nostra, non ex Theologiæ armamentario, sed ex Dialecticæ palæstra arripit in hunc modum. Omnia contradictionis specimina à D. Georgio producta, *si ad justæ*
Quomodo deliret Ipse. *oppositionis leges* (Dialecticas scilicet) *exigantur, primo statim intuitu ait apparitura, vel non habere idem subjectum, vel non fieri secundùm idem & ad idem, seu eodem respectu, nec, quod imprimis factum oportuisset, diversa distingui tempora*. Ita Vedrosius in genere: quod facillimum cuique est, etiam tirunculo Dialecticæ, respondere, si ipsi objiciatur, eum contradictoria admisisse. Negabit enim continuò contradictoria esse, quæ *vel subjectum idem non habeant, vel non idem & ad idem dicantur &c.* Sed an propterea solutum est argumentum? In particulari ostendendum est tirunculo, quæ objecta ipsi sunt, eodem subjecto non constare &c. Idem tibi, Vedrosi, ostendendum erat, in particulari, saltem in uno, alterόve exemplo, quod D. Georgius attulit. quod cùm nec facias, nec queas facere, in possessione plena victoriæ D. Georgius persistit, & Vedrosius ei herbam porrigit.

Caussatur secundo loco Vedrosius; contradictiones, quas D. Georgius adducat, nullas esse, *quæ alicujus capitis, sive articuli*
II. *principalis fundamentum tangant, ut sunt articuli de Scriptura, Christo, vel Gratia*. Effugium & miserabile prorsus, & falsum! Nam primò

primò, articulus ille de Ecclesia, an scilicet ea errare possit in Fide, an verò errare non possit, an non articulus est maximè principalis, à quo omnes reliqui articuli pendent? De hoc autem articulo prima Contradictio est, quam D. Georgius affert pag. 268. exempl. 1. Item secunda & tertia, ad quas omnes silet Vedrosius. Deinde articuli, qui sunt de Sacramentis fidei nostræ, quæ per excellentiam Mysteria fidei dicuntur, & præsertim Dominica Cœna, an non sunt articuli principales? De his autem Sacramentis agit Contradictio 5. 6. 7. & plures aliæ, quas D. Georgius adducit pag. 269. & seqq.

Et falsò neget non tangi articulos fidei principales a D. Georgii contradictionibus.

Rursus, an non articulus est principalis, fundamentum fidei tangens, articulus de Passione, crucifixione, sepultura, & descensu Christi ad inferos, & quidem an non est articulus de Christo; quod requirit Vedrosius? De hoc autem articulo habetur turpissima contradictio Reformatorum in exemplo Georgiano 28. pag. 275.

De Scriptura autem (qnod itidem requirit Vedrosius) agit contradictio 24. in exemplo Georgiano item 24. De Gratia autem, contradictio 7. Ergo & miserabile simul & falsum, ut dicebamus, est hoc secundum Effugium Vedrosij.

Tertium Effugium ejusdem est, ut dicat, in plerisque â D. Georgio objectis non esse ne quidem apparentem contradictionem, ne dum veram. hoc, mi Vedrosi, non dicendum tibi, sed probandum est, nam contrarium nimis est manifestum.

Effugium Vedrosij miserabilissimū. NB. NB.

Dic enim, Vedrosi, contradictio illa, quam D. Georgius affert in exemplo suo 22. pag. 274. an nec apparens, ne dum vera cotradictio est, quæ ita habet?

Calvinus dicit.	Confessio Helv. contradicit.
Impositio manuum, in veris legitimisque ordinationibus, Sacramentum est.	*Ordinationem ministrorum agnoscimus non esse Sacramentum.*

An hæc *ne quidem apparens contradictio* est? quid etiam juxta omnium Dialecticorum regulas ad verissimam contradictionem duabus his propositionibus deest? an non hîc idem subjectum,

jectum, idémque prædicatum est, & in eadem quidem suppositione? an non affirmat idem prorsus una propositio, quod altera negat?

Una ait: *Ordinatio ministrorum est Sacramentum.*

Altera verò: *Ordinatio Ministrorum non est Sacramentum.*

IV. Scindit denique nodũ Vedrosius, non solvit: sed ridiculè.

Itaque hoc quoque tertium Vedrosij & miserabile effugium est, & apertissimè falsum, ut oculi ipsi judicant.

Ultimum effugium ejus est, indignitas rei. Ita enim scribit posthæc Vedrosius. *Indigna omnia, quibus destruendis immoremur.* vix pergo scribere præ risu. Ita te subitò expedis, Vedrosi? expeditissimus profectò hic modus foret, si etiam sapientissimus. Nos Catholici contrà asserimus: Dignissima sunt hæc omnia, quibus discutiendis vel maximè immoremur.

Sed quid præterea Vedrosius? Cùm non haberet, quo contradictiones has tam apertas, tam fœdas, à suis amoliretur, aliam instat viam. Jubet ergo pag. 172. nos Catholicos nostram potiùs *manticam, quæ in tergo sit, excutere,* nostras scilicet *pugnas, & lanienas*; vult dicere, nostras in articulis fidei inter nos, & à capite nostro, Romano Pontifice, dissensiones. Si hoc probaveris vel in articulo fidei unico, vicisti, Vedrosi. Perge animosè. Aude aliquid. Pergit pag. 172. & primò quidem probare laborat Catholicos cum Capite suo non consentire: *Romanistæ,* inquit, *nec cum Capite suo, nec inter se conspirant.* Et quomodo probas, quod hîc ais? Audi miras ejus probationes.

V. Mornæus malè patrocinatur Vedrosio, scilicet Mendacio Tricubitali de Bonifacio VIII.

Prima ejus probatio, est Mendacium tricubitale, quod ex Mornæo Calvinista, vel ut aliis appellatur, Mornayo, nimis quàm incautè descripsit, ex libro ejus, cui titulum fecit: *Mysterium Iniquitatis.*

Archiepiscopi, inquit, *Episcopi, Prælati, Decretistæ, Theologi & Magistri* (Catholici) *Lutetiæ congregati in doctrina minimè consenserunt cum Bonifacio VIII. Pontifice, credente, quod anima hominis sit mortalis, & quod aliud gaudium non sit, nisi vitæ præsentis.* Ita Vedrosius. Unde hæc nobis, Vedrosi, affers? Ex Mornæo, inquis, ex pagina 424. Mysterii Iniquitatis. Unde autem Mornæus Calvini-

vinicola? Ex Kranzij, inquis, Scriptoris Catholici lib. 8. c. 37. En tricubitale, ut dixi, mendacium, mi Lector (neque enim aliter queo illud indigetare) dolo quidem commixtum. Primùm enim omittit Mornæus genus libri, in quo hæc Albertus Kranzius scripserit, an scilicet in Saxonia sua? an in Dania? an denique in Metropoli sua? ut scilicet fatiget Lectorem inquisiturum, aut effugium inveniat, si infidelitatis accusetur. Sed neque in libro 8. c. 37. Historiæ Danicæ, neque in Saxonia sua, neque in Metropoli tali libro & capite, hæc Kranzius de Bonifacio 8. ne dum de tanta impietate ipsius. At neque in aliis suis libris. In octavo autem libro Metropolis, cap. 48. mentionem de Bonifacio facit quidem, sed obiter, memorans eum successisse Cœlestino Pontifici, & cum Francorum Rege, ob captos suos Legatos, collisum fuisse; Jubilæum renovasse &c. libro autem 9. c. 1. præter jam dicta hæc solùm habet de Bonifacio VIII. (quem *Virum doctum & animosum* appellat) quòd gloriatus fuerit, duos se gladios habere (alterum scilicet spiritualis, alterum temporalis Jurisdictionis) quòd captus sit in paternis ædibus, in urbe Anagnia, ductus exin Romam, ibique ex mærore mortuus. Hæc sunt, quæ de Bonifacio Kranzius.

Prima ergo incauti, & quidvis ex quibusvis, dummodo Paparum hostibus, describentis Vedrosii probatio est, Mendacium apertissimum, quod palpavimus etiam; cujus primus auctor Mornæus, propagator Vedrosius est. Non nosti Mornæum, Vedrosi. Mystam Salmuriensem Jac. Gretseri debebas antè legisse, quem contra hunc Mornæum, & mysteriosum ejus librum jam anno 1614. Ingolstadij edidit, & orbi universo ostendit, Mornæum hunc totum ex mendaciis consutum & compaginatum esse. Apage ergo cum tuis Decretistis, Theologis, & Magistris, Lutetiæ contra hunc Bonifacium congregatis; & tantam ejus impietatem accusantibus. Mornæus solus est accusator ille mendax, cujus si plura probra nosse cupis, audi dictum Gretserum, & potissimum caput 56. percurre, ubi sigillatim de Bonifacio VIII. agitur, & mendacia quoque alia Mornæi, cum in- Quis Mornæus?

insignibus imperitiæ speciminibus, ita leges, ut Mornæi te pudeat, & tuos.

VI. 2. Probatio Vedrosij nec hilo melior.

Altera Vedrosij probatio nec hilo est melior. Ait enim pag. 172. *Scholam Parisiensem non semel Romanis Pontificibus restitisse, & in specie impudentissimam Bullam Clementis VI. super anno Iubilæo editam, palam corripuisse ac detestatam fuisse &c.* Quo au-ctore autem ista probat? nullo prorsus. Unde dignus non est Vedrosius, cui vel verbo ad hoc respondeatur. V. Gretſ. c. 57. & 59. contra Mornæum.

VII. Similiter tertia ex Hottingero.

Tertia probatio rursus à falsitate auspicium sumit. *Quæ unio*, inquit, *membrorum cum Capite, cùm illa* (membra scilicet Romanæ Ecclesiæ) *disertis scribant verbis, seculo decimo* (id est ab anno 900. usque ad annum 1000.) *Sedem Romanam occupasse Antichristos, fures, invasores, Magos prodigiosos, Simoniacos, Tyrannos &c. quorum impietate Ecclesia graviùs, quàm sanguinolentis Veterum Imperatorum Gentilium Decretis sit pressa. Verba sunt*, inquit, *Baronij, Platinæ, Fasciculi Temporum, Genebrardi, Onuphrij, Sigonij apud Cl Hottingerum histor. Eccles. Sec. X.* Ita Vedrosius, clarissimum, scilicet, veritatis testem Hottingerum citans, capitalissimum Romanæ Ecclesiæ hostem, & post editos contra ipsum, sub Hächelmanni nomine, à Laurentio Forero libellos non paucos, Mornæo associandum. An non pudet te talibus testibus niti; quos nosti apud omnes Catholicos intestabiles esse?

Baronio, Platinę &c. injuria fit.

Sed ex Baronio, inquies, & Platina, & Genebrardo &c. exscripsit Hottingerus. Hi Catholici hisce titulis suosmet Pontifices afficiunt. Audio, & nego. nam quis horum scripsit, seculo decimo, Romanam Sedem Antichristos occupasse? Quis tam stultus & insanus ex his omnibus fuit, ut sic scriberet & sentiret? Baronius? an Genebrardus? an Platina? Ubi? quo libro? hoc tamen tu cum Hottingero tuo asseveras; & primo quidem loco hanc calumniam de Antichristo ponis, eámque Summis viris per insignem injuriam affricas. Dum ergo ostendas, ubi hoc sive Baronius, sive Platina &c. scriptis suis prodiderint, calumniam facere censeberis. Vt autem intelligas, benevole-

nevole Lector, quid aut scripserint hi citati Catholici Histori-ci, aut non scripserint; & de quibus scripserint, ita ex vero habe. Decimo seculo, ab anno scilicet 900. usque ad 1000. legitimi Pontifices, qui Romanam Cathedram obtinuerunt, numero fuere 25. plerique omnes boni & probi, summóque hoc fastigio minimè indigni. Præter hos legitimos Pontifices, sive Papas, reperitur in hoc seculo unus etiam Antipapa, sive violentus invasor Sedis Apostolicæ, Benedictus nomine, cognomento autem *Franco* (familiæ Romanæ id nomen erat, non nationis, qui sibi nomen arrogavit Bonifacij VIII. homo sceleratissimus, qui tamen pro legitimo Pontifice nunquam agnitus est. Dixi, plerosque omnes fuisse probos, nec indignos hoc culmine. Nam aliquot, quod non diffitemur, malis fuêre moribus, sed pauciores multò ijs, qui boni fuerunt, & virtute suâ sedem ornarunt. Nimirum ex 25. hujus seculi Pontificibus, non nisi sex inter non probos, sed probrosos Pontifices, deputantur. ij fuere

VIII.

Quid ea ipsa scripserit Baronius &c.

I. Christophorus, Romanus, antea S. R. E. Primicerius.
II. Sergius III. Romanus.
III. Lando, sive Landus, Sabinus.
IV. Joannes X. Romanus, antea Archiepiscopus Ravenn.
V. Joannes XI. Romanus, Spurius.
VI. Joannes XII. Romanus, Albericius familiâ, ante Pontificatum dictus Octavianus.

Ex 25. Papis decimi seculi non nisi sex illaudati: qui recensentur.

Qui sex non nisi quartam conficiunt partem, eámque non totam seculi hujus Pontificum; ubi vides, multò plures eorum, nimirũ novendecim esse, qui bonitate & virtutibus suis Sedem Apostolicam honestarunt; paucos qui dehonestarunt; *Christophorus* quidem suâ ambitione; *Lando* autem, indignorum ad ecclesiasticas dignitates promotione; *Sergius* III. meretricijs amoribus (quod de nullo præcedentium castorum Pontificum leges, qui tamen centum ac viginti duo fuerunt) quibus etiam *Ioannes* X. & XII. infames erant. *Ioannes autem XI.* ob illegitimos natales, & intrusionem pudendam in Romanam Sedem.

NB. Omnes tamen Calvinis & Bezis innocentiores.

An ergo caussæ sat habent, & Reformati, & Lutherani nostri, ut tantopere paratragœdientur, & tantos contra Sedem Apostolicam, & Pontifices Decimi seculi clamores tollant, nobisque Catholicis Theodoras & Marozias, duorum Pontificum scorta, toties objiciant, non memores, præ cæcitate, ex odio nimirum in Romanos Pontifices, quàm nos Papis ipsorum, vel quasi Papis, multò tetriora objicere continuò possimus; & Bezæ quidem, Genevensi illi Papæ vestro, non tantùm *Candidas* loco Maroziarum; sed etiam *Audebertulos*; Calvino autem (ut non nemo loquitur) non Theodoras & Marozias, sed Theodoros & Morozios: quod mille partibus fœdius est, nec aliter, quàm igne piandum. Ut talia vobis reponamus, ô boni, intolerandis conviciis vestris nos planè cogitis. Abstinete vos, & nos quoque abstinebimus, & intra cancellos disceptationis amicæ, de controversiis inter nos agitari solitis, libentissimè permanebimus. Nunc ut ad Pontifices nostros, de quibus dicere cœpimus, sex nimirum illos malos revertamur, illisque etiam Antipapam Bonifacium, violentissimum & crudelissimum Sedis Apostolicæ invasorem accenseamus. Ecce contra hos solos, septenario numero conclusos, & maximè Bonifacium, non Papam, sed Antipapam, tendebant justissimæ illæ Cardinalis Baronij, Platinæ, Onuphrij & Sigonij querelæ, ac dicteria; quibus illos in scriptis suis affecerunt (de quibus Vedrosius pag. 173. mirificè, sed frustra triumphat) ut appellarent ipsos, non quidem Antichristos & Magos (in hoc enim mentitur Hottingerus) sed *fures*, in eo sensu, quo Christus eos, qui *per ostium legitimè non intrant in ovile ovium, fures & latrones* appellat, Joan. 10. qualis maximè fuit Bonifacius Antipapa: Item *perjuros, Simoniacos, tyrannos* (talis rursum fuit invasor Bonifacius) Item *facinorosissimos*, ἀσπόνδους (ut græcari libuit Vedrosio) hoc est, *irreconciliabiles, in mortuos Antecessores truculentos* (qualis Sergius fuit) *divinarum, humanarúmque legum violatores scelestissimos* (sed Calvinis & Bezis non scelestiores, addimus nos Catholici) quales duo Joannes erant. Illud quoque verè à Baronio dictum est, quod ab adver-

Antipapam Bonifaciũ maximè petunt dicta Baronij.

sario

sario allegatur. *Horum* paucorum malorum Pontificum *impietate Ecclesiam graviùs, quàm sanguinolentis veterum Imperatorum Gentilium decretis fuisse pressam.* Neque tamen ita dictum hoc est à Baronio, ut culpam omnem magnæ, & inauditæ illius in Ecclesia turbationis in solos hos paucos malos Pontifices conferret, sed in alios quoque æquè impios horum malorum Pontificum propinquos & asseclas, quos apud Baronium vide. Ergo parco familiis. Sed quid ex his omnibus conficis, Vedrosi? Illud scilicet, apud Catholicos quoque dissensiones maximas seculo hoc decimo viguisse, & à Capite Ecclesiæ, membra mirum in modum discrepasse. Nam *quæ unio*, inquit pag. 172. *membrorum cum Capite, cùm illa* (membra) *disertis verbis scribant, seculo decimo Sedem Romanam occupasse fures, invasores, Simoniacos, tyrannos &c.* Sed his omnibus, nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, nihilque penitus probas, Vedrosi. In re enim, utcumque turbatissima temporum illorum, semper tamen (quæ DEI admiranda in Romanam Ecclesiam providentia erat) & Caput, & membra, hoc est, & Pontifices illi, licet mali, & subditi eorum, unanimes in omnibus prorsus fidei articulis perstiterunt. Nomina enim vel unicum, si potes, in quo fideles illius seculi â Romanis Pontificibus dissenserint. Sibi mali & exitiosi illi Pontifices fuerunt, qui mali fuerunt; Ecclesiæ, ejúsque fidei antiquæ & orthodoxæ ne hilum quidem nocuerunt. Id quod sub sanctissimis antè Pontificibus creditum in Romana Ecclesia est, hoc idem sub malis his Pontificibus credebatur. Ergo nihil omnino cum Hottingero tuo, omnia licet convitia, quæ reperiri poterant, corradente, proficis ad propositum. Nulla cum capite dissensio membrorum in fide, his temporibus fuit, nulla. Quin etiam mali hi Pontifices, venerationi nihilominus summæ, religiosissimis nostris Cæsaribus, Ottonibus tunc regnantibus, & aliis Catholicis Principibus & Episcopis fuerunt; foris eos, ut par erat, omni honore prosequentibus, intus altissimè ingemiscentibus, & remedium à DEO Opt. Max. efflagitantibus: quod remedium etiam in Gregorio V. Pontifice, natione

X.

Uti & Adhærentes ipsius.

Sibi solis mali fuerunt hi Pontifices mali.

Fidei, ejúsque unitati nihil prorsus obfuerunt.

tione Germano, & Cæsarum sanguine, sub finem hujus seculi, consecutum est. Ita enim sapientissimi hi Cæsares, & Duces, & Episcopi, aliiq; Prælati Catholici rectissimè ratiocinabantur, quorum exemplo utinam vos quoque saperetis! Mali sunt, quos modò habemus Pontifices; sed numquid pejores & sceleratiores Caipha & Anna? Numquid Juda proditore improbiores? An verò Caiphas propterea Pontifex esse desiit, aut Judas Apostolus? aut Apostolicum sanctissimum Collegium propter carcinoma hoc, Judam, contemptui esse debuit? aut Caiphæ non debuit ecclesiasticis in rebus pareri? Ita sapientes & sancti viri decimo hoc Seculo rectissimè censuerunt. Aliud censent soli insipientes.

Omnes tamen, Annâ, Caiphâ, & Judâ proditore minùs nocentes.

XI. Nihil unquam Ecclesiæ præjudicarunt Præpositi mali, ex sententia S. Augustini.

Claudat articulum hunc prudentissimâ sententiâ suâ, quæ huc maximè facit, S. Augustinus Epist. 166. *De Præpositis malis* NB. *securam fecit cœlestis Magister plebem suam, ne propter illos doctrinæ salutaris Cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt, quæ dicunt, sed DEI; qui in Cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax, & ipsa veritas de Præpositis sua mala facientibus, & DEI bona dicentibus, ait* Matth. 23. *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt.* Hucusque Sanctus ad consolationem ingentem Catholicorum; confusionem verò Sectariorum, frustra apostasiam suam, & defectionem *à Cathedra unitatis, in qua DEUS posuit doctrinam veritatis,* prætextu malorum quorundam Pontificum, eorúmque paucissimorum, colorare nitentium. Idem S. Augustinus, speciatim loquens de Romana Cathedra, & Pontificibus ipsius, quibus Donatistæ crimen traditorum & sacrificantium Idolis objecerant, ita scribit in Epist. 165.

Vanissimè igitur talium commemoratione triumphant adversarij.

Etiamsi, inquit, *in illum ordinem Episcoporum* (Romanorum) *qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet* (nos dicamus usque ad Clementem X.) *quispiam traditor per illa tempora subrepsisset* (nos dicamus, quispiam invasor, aut Veneris mancipium) *nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens de malis Præpositis ait: Quæ dicunt,*

dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere. Ecce Evangelicam Domini sententiam iterum inculcat; quam mirum valde est, Evangelicos istos tam non attendere, etiam inculcantibus Augustinis; eos, qui Scripturâ, Evangelicâ præsertim, tantopere gloriantur, & ubique requirunt. Ecce habetis Evangelicam Scripturam: cur non sequimini? In promptu caussa est. Quia tam non facit ad propositum vestrum, quàm illa altera: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sequuntur cùm volunt & commodum est; secus si sit, explodunt.

Catalogus Pontificum XXV. decimi Seculi.

SEd oculis ipsis, ad calcem hujus articuli, subjicere placuit decimum hoc Seculum cum Pontificibus suis, ut quilibet Lectorum ferre judicium queat, quàm sit frivolum, vanum, & apertissimè falsum, quod tamen plenissimis buccis, vento scilicet plenissimis, efflant omnes propè Acatholici Scriptores, Sedem nimirum Apostolicam Romanam hoc toto Seculo decimo insessam & conspurcatam fuisse à meris Tyrannis, Lurconibus, Lenonibus, &c. cùm nos contrà ostensuri simus, plerósque fuisse viros, hoc fastigio dignos, inculpatos, castos, mansuetos, zelo divino ardentes, raris quoque DEI donis ornatos, verbo, quod ab Episcopis D. Paulus requirit, *irreprehensibiles*; quorum famæ & nomini officere minimè debeant pauculi mali, qui ceu umbræ reliquam picturam conspectiorem reddunt. Fuêre autem Seculi hujus decimi, ab anno Domini 900. usque ad 1000. Pontifices Romani, quos Ecclesia pro talibus agnovit, omnino viginti quinque, hoc ordine. Malos littera M. notabimus.

Primus, JOANNES IX. Italus Tudertinus, ex probo Monacho S. Benedicti, probus & laudatus Pontifex, anno 901.

Secundus, BENEDICTUS IV. Romanus, ex Canonico Regulari Lateranensi Pontifex, pauperum Pater & tutor, anno 905.

Tertius, LEO V. Italus, Ardeatinus, rursus ex Ordine S Benedicti, Monachus antè perquam religiosus; pòst & Papa talis, anno 907.

M. *Quartus*, CHRISTOPHORUS, Romanus, ambitiosus, Leonis V. expulsor violentus, talione castigatus, expulsus & ipse, & in carceribus mortuus, anno 908.

M. *Quintus*, SERGIUS III. Romanus, Comes Tusculanus familiâ, moribus ignobilis, intrusus Pontifex, eóque vix Pontifex, fœdis amoribus implicatus; primus, cui ex Pontificibus Summis probrum istud objici potuit, cùm tamen eum Pontifices centum & viginti duo casti præcessissent, quæ Sedis Romanæ ingens est gloria. moritur anno 910.

Sextus, ANASTASIUS III. Romanus, Pontifex inculpatus, cui nec hæreticorum calami reperiunt, quod objiciant. anno 910.

M. *Septimus*, LANDO, Italus, ex Samnitibus oriundus, non nisi sex mensium Pontifex, etiam breviori tempore dignus, quia bonorum Domini sui infidelis dispensator, Ecclesiasticas dignitates nonnullis indignis in gratiam aliorum conferens, & juxta Jacobi Gordoni effatum ad annum 912. itidem intrusus. anno 912.

M. *Octavus*, JOANNES X. Romanus, & probrum Romanorum, ex malè promoto Archiepiscopo Ravennate, pejus etiam promotus Pontifex Romanus, Dalilæ Romanæ, Theodoræ, infelix Samson, iisdem, quibus ascenderat, artibus throno suo dejectus, & in carceribus strangulatus, anno 912.

Nonus, LEO VI. Romanus, etiam Sectariorum calamo laudatus Pontifex, religiosus, pacísque studiosissimus; quam dum reducere parat, vitâ ipsemet ejicitur, & vitâ longiore, & temporibus melioribus dignus. Rexit Ecclesiam anno 928 sed non nisi spatio semestri.

Decimus, STEPHANUS VIII. Romanus nonnullis; de quo hæc Platina: *Stephani vita mansuetudinis, & religionis plena fuit,*

fuit, quod ad summam laudem sufficit. Sed neque Sectarij dissentiunt. Rexit anno 929.

Undecimus, JOANNES XI. Romanus, magnis, sed pudendis natalibus, infelicium Parentum, Maroziæ, & Sergij III. filius, anno 930. intrusus à suis, Pontifex quinque annorum, nullius præterea sceleris infamiâ à Scriptoribus notatus. M.

Duodecimus, LEO VII. Romanus, & decus tum Urbis, tum Sedis Romanæ, rursum legitimus Pontifex, *fidelis DEI famulus* Frodoardo vocatus, Sectariis quoque ob studia pacis laudatus. Sedit anno 936.

Decimus tertius, STEPHANUS IX. dictus aliis Octavus, primus ex Germanis Pontifex, anno quinto Othonis I. cognomento Magni, qui fuit annus 939. legitimè electus, an etiam potentiâ Imp. Othonis suffragante & promovente, nonnullis incertum. Certum illud, suffragante virtute, & eximiâ, quâ pollebat, doctrinâ electum. Fuit enim teste Papirio Massono, Gallo historico, vir omni scientiarum genere ornatus, qui etsi malè tractatus à Romanis, multa tamen præclara gessit, patriæ suæ gloria, & Sedis Romanæ.

Decimus quartus, MARINUS II. aliis MARTINUS, Romanus, eâ probitate Pontifex, ut etiam prophetiæ dono clarus esset, Baronio teste; cui R. P. Petrus Canisius in suo Germanico Martyrologio etiam Sancti nomen tribuit 18. Augusti: totus fuit in pauperibus omni ope sub evandis, & recomponendis Cleri moribus ad mortem usque, etiam Sectariorum calamis laudatus. Sedit anno 943.

Decimus quintus, AGAPETUS II. Romanus, sancti Pontificis titulo à Baronio ornatus; à quo humanissimè in Italiam evocatus Otho I. Imperator tyrannidi Berengarianæ finem imposuit; sedit anno 946.

Decimus sextus, JOANNES XII. Romanus, post mortem Alberici, Patris sui, Princeps Urbis, per vim etiam Ecclesiæ Principatum rapuit, propè puer, 18. scilicet annorum, & M.

sic

sic *aliunde*, quàm *per ostium*, ascendit, Principem, quem consuerat, etiam in Pontificatu agens potiùs, quàm Pontificem, venationibus continuis, & fœdioribus etiam voluptatibus deditus, quibus & miser immortuus est, divinâ eum vindictâ persequente, dum illis operaretur. Sedit anno 956.

Decimus septimus, BENEDICTUS V. Romanus, legitimè electus Pontifex, contra Leonem, quem Otho Cæsar præoptasset. Abit ergo sponte Pontificatu Benedictus, & propè captivi more in Germaniam ab Othone deducitur, & Hamburgi cum opinione sanctitatis, magnum patientiæ exemplum, moritur, unius solùm mensis Pontifex, anno 964.

Decimus octavus, LEO VIII. Romanus, contra Joannem XII. adhuc viventem, à Concilio, per Othonem Cæsarem convocato, electus Pontifex, sed non nisi post mortem Joannis legitimus anno unico, ex Card. Bellarmini sensu. Fuit autem annus ille unicus nongentesimus sexagesimus quintus. De hoc Leone VIII. nihil lego probrosi, nisi quod Benedictum V. exulem in Germania, pluribus modis, iisque satis indignis sit nonnunquam persecutus.

Decimus nonus, JOANNES XIII. Romanus, bonus Pontifex, & Apostolus Poloniæ meritus appellari, utpote cujus tempore, sed & operâ & studio amplissimum illud regnum fidem recepit. Fuit Ottoni Cæsari ob virtutem percharus, & in maximis suis calamitatibus ab eodem adjutus. Sedit anno 966.

Vigesimus, DONUS, aliis DOMNUS, Romanus. De hoc brevissimo, trium scil. mensium Pontifice, brevissimi quoque historici sunt, neque aliud, quàm diem electionis & mortis notarunt, nullius autem criminis insimularunt; unde in bonorum numero, merito suo, est collocandus. Sedit anno Domini 972.

Vigesimus primus, BENEDICTUS VI. Romanus, bonus Pontifex, sed brevis, sesqui anni scilicet, & infelix, à violentissimo prædone, Francone illo, qui Benedicti Octavi

sibi

ſibi nomen arrogavit, ſede ſuâ detractus, & in carcere, prô nefas! jugulatus. Sedit anno 973.

Vigeſimus ſecundus, BENEDICTUS VII. Principum Romanorum Albericiorum ſanguis, *optimus Pontifex* Platinæ appellatus, aliísque; & legitimè Benedicto VI. (pulso Francone) ſuccedens, cujus & nomen aſſumere voluit. Sedit anno 975.

Vigeſimus tertius, JOANNES XIV. ſive Romanus, ſive Papienſis patriâ, ut alij volunt, certè Epiſcopus antea Papienſis, Ottonis III. Cæſaris per Italiam Archi-Cancellarius, à Martyrum gloria non procul abeſt, utpote perſecutionem paſſus graviſſimam, juſtitiæ cauſsâ, ab antea memorato, damnatæ memoriæ Francone, & in Caſtello S. Angeli fame enectus. Sedit anno 984.

Vigeſimus quartus, JOANNES XV. Romanus, probus Pontifex, Ottoni III. Cæſari ob virtutem charus, à quo etiam Creſcentij Conſulis Romani inſidijs, aliíſque injuriis eſt ereptus. Sedit anno 985.

Vigeſimus quintus, GREGORIUS V. ſecundus ex Germanis Pontifex, Cæſarum ſanguis & propinquus, ortu autem Dux Sueviæ, Bruno antè vocatus, Othonis Ducis Sueviæ & Judithæ filius; quo non alius nobilior fortaſſe Cathedram Petri conſcendit. Is eâ virtutis & ſapientiæ famâ, etſi non niſi triennio, Pontificatum ſummum adminiſtravit; ut Romanis ipſis, parum aliâs Germanicæ Nationi eo tempore addictis, *Minor Gregorius Magnus*, ſive alter Gregorius Magnus meruerit appellari, Panvinio teſte. Quid ad laudem itaque ſummam ei defuit? addit Platina: *Bonis operibus plenus Romæ obijt*: quod accidit anno 999. cùm Pontifex eſſet factus anno 996.

Vides hic, Lector, & palpas adeò, quâ fraudulentiâ utantur Adverſarij, eósq; inter Vedroſius noſter, in deſcribendis, orbíque

ceu monstra hominum sceleratissimorũ ostentandis omnibus Decimi seculi Romanis Pontificibus; cùm malos & propudiosos ex iis non nisi sex ex vero numerare queant, (qui tamen omnes Calvino, atque Luthero multò fuerunt innocentiores, ut probatu facillimum erit) hoc est, ne quartam quidem partem, cùm contrà Novendecim ex ijs Viri fuerint gradu hoc suo digni, & excellentium nonnulli virtutum, donorúmque DEI. Sed ita crevit, nec aliter, Religio eorum, per mille scilicet calumnias Catholicis, præcipuè autem Romanis Pontificibus impositas, fronte nullâ, minoréque adhuc conscientiâ. Hoc itaque modo, nec alio, conservanda quoque erit, donèc benigniore eos oculo respiciat DEUS.

ARTICULUS VIII.

D. Vedrosii Oppositiones aliæ, de dissensu membrorum Catholicæ Ecclesiæ inter se, quem Catholicis falsò objicit.

I. *Nec à Capite suo Catholici dissentiunt, nec inter se.*

MAlè cesserunt Vedrosio suæ de dissensu membrorum Catholicorum cum Capite probationes, quas tum ex Antipapis, tum ex malis Pontificibus desumpsit. Videamus nunc, an feliciùs Vedrosio probationes illæ succedant, quibus demonstrare nobis nititur, æquè magnas in rebus fidei dissensiones apud Catholicos inter ipsa membra, sive Doctores Catholicos vigere, quàm vigeant apud Reformatos. Hoc age, & proba Vedrosi, & vicisti.

II. *Contrariũ quomodo probare conetur Vedrosius.*

Primo loco, pag. 173. etsi per figuram præteritionis, ut vocant Rhetores, producit Concertationem Catholicorum de Immaculata purissimæ virginis Conceptione, inter Patres Dominicanos & Franciscanos aliquot seculis agitatam. & quidem ex prioribus, quatuor memorat, Bernæ, anno 1507. publico supplicio affectos, quòd ut suam contra Patres Franciscanos sententiam tuerentur, nescio quibus præstigijs sint usi. Sed malè auspi-

I. Ex dissensione circa Immaculatā Conceptionem B. V. ridiculè.

auspicaris, mi Vedrosi, dum sic auspicaris. Nos de articulis fidei quærimus inter nos, & ostendi nobis volumus à Reformatis, in quo fidei articulo nos Catholici discordemus. Atqui Immaculata Virginis Conceptio articulus fidei non est; quod si nescis, ignarus es rerum nostrarum, ut omnino videris esse. De talibus autem ignorantibus jam dudum S. Thadæus in epistola sua conquestus est, *Quod ignorant*, inquiens, *blasphemant*, & carpunt. ℣. 10. Quòd si præstigiatores nonnulli supplicio sunt affecti, nihil ad nos: quod meruerunt, tulerunt. An verò vos Reformati omnibus præstigiis caretis? Quis ergo ille fuit, qui vestro ex numero, ut miraculo aliquo fidem novitatibus suis conciliaret, hominem egenum conduxit, qui se simularet mortuū, & verè mortuum ex vivo, ita vindicante Numine, effecit? An non præstigiator fuit, & propemodum homicida, ultima quoque per hoc supplicia, meritus? Vos verò eidem primas honoris defertis. Ecce ut iterum vestra nobis probra objicitis, famelici & jejuni disputatores! Prima ergo Vedrosij probatio nulla est, vana est, fumosa est, & retorsioni obnoxia.

2. Ex præstigiis quorundam Catholicorum.

Retorquetur.

III.

1. Ex variantibus Catholicorū sententiis circa potestatem Papæ.

Secunda ejus probatio rapitur eâd. pag. ex discordia Catholicorum circa quæstionem illam: *An Papa sit supra Concilium, an Concilium Generale sit supra Papam*, quod dissidium nondum esse sublatum inter Catholicos ex Bellarmino id fatente demonstrare se putat. Respondeo. Si accuratiùs legisset Bellarminum D. Vedrosius, invenisset eum, asserentem l. 2. de Concil. c. 17. §. *ad hunc locum &c.* ita certam esse communem illam Theologorum Catholicorum sententiam, idque ex decreto ultimi Lateranensis Concilij sub Leone X. celebrati, quòd Summus Pontifex sit supra Concilium Generale, ut, qui sentiunt contrarium, ab hæresi fortassis, non tamen à magna temeritate excusari possint: ubi probat doctissimè assertionem hanc suam toto, quod diximus, 17. capite, cujus titulus est hic: *Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium.* Quare & hæc secunda Vedrosii probatio vana est. Hoc probandum fuisset potiùs Vedrosio, quosdam Catholicos sentire Romanum Pontificem in de-

Re. controversiā hanc esse jam sublatam.

cretis suis, fidei vel morum, quæ ex Cathedra definit, sive solus, sive cum Concilio Generali definiat errare posse; alios autem Catholicos contrà sentire; quod quidem probabit nunquam. Meminerit etiam & curæ sibi habeat, ut veraciùs scribat alibi, quàm hoc loco fecit, dum scripsit pag. 173. *Non refricabo per vivacissima Catholicorum certamina de fundamentali in primis articulo, quæ nam suprema sit Fidei regula, Papa, an Concilium Generale?* Falleris, Vedrosi, & fallis. In hodierni temporis Theologia apud Catholicos, post Concilium Lateranense & Bellarminianas demonstrationes, vix audies hanc rem in controversiam trahi, certè in Germania nostra non audies; cùm affirmativa, quòd Papa sit supra Concilium, potentissimis rationibus nitatur; negativa è contrario debilibus, & passim explosis, notáque temeritatis non careat. Scribis ergo hîc non quod res est, sed quod tute fingis, & commodum tuis rationibus existimas. Articulum potiùs fidei quære, in quo dissentiamus.

Quid probandum fuisset Vedrosio.

IV.

Hominis proscripti scripta pro se citat Vedrosius.

Tertia Vedrosij Probatio attrahitur ex Historia Concilij Trident. personati illius P. Soave, scriptoris proscripti ab Ecclesia, & mille mendaciorum convicti tum à Card. Bellarm. olim, cùm novissimè à Card. Palavicino, totis tribus Tomis contra hunc Soave recentissimè editis. quæ ergo ex ipso attulisti de Concilio Tridentino, pag. 173. quasi *plurimi Congregatorum ibidem Patrum, Calvinisticarum Ecclesiarum sententiam, de Canone Scripturæ, Prædestinatione, peccato originali &c. summo cum fervore propugnarint, & numero solùm suffragiorum fuerint victi, assensu autem vinci non potuerint*, vana sunt. Mentitur Soave, si hoc scribit. Nam edite nobis vel tu, vel tuus Soave, vel unicum ex Patribus & Theologis ibi Congregatis, qui Calvinisticam illam de prædestinatione sententiam propugnârit, quòd benignissimus DEUS alios ad vitam æternam, alios contrà, & multò quidem plures, ad supplicia Inferni æterna prædestinârit. Edite rursum, & nominate vel unicum, qui sententiam Calvinisticam de peccato originali defenderit, quòd maneat irremissum in regeneratis, sive ritè baptizatis. Si edere non potestis, ergo men-

Et Patribus Concilii Tridentini ingentem injuriam irrogat.

mendacium obtrusistis. Et quàm incautè Vedrosius, ut falsitatem hanc exaggeret, addit, *Plurimos eorum fuisse, qui Calvinisticas sententias propugnarint?* Si plurimi fuerunt, cur non vicerunt suffragiorum numero? nam qui plurimos dicit, majorem vult partem dicere. Aliàs enim non tantùm plurimi non sunt, sed nec plures sunt. Alterutrum ergo necessariò falsum erit, vel quòd plurimi fuerint, vel quòd numero suffragiorum sint victi: & utrumque tamen dicit, immemor sui, Vedrosius. En tertiam Vedrosij probationem heu quàm malè fultam! Sibi tamen ipsi contradicit.

V.

Quarta probatio Vedrosij petitur, à Testimoniis, *incomparabilium & historicorum, & gravissimorum*, ut ipse loquitur, *Theologorum*; quorum alius sexaginta, alius ducentas triginta novem, rursus alius aliquot Centurias contradictionum, (cur non chiliades Erasmicas, mi Vedrosi?) ex Romanæ Ecclesiæ Doctoribus, maximéque Jesuitarum scriptis contexuerint. Et qui illi *gravissimi* testes, & *incomparabiles historici ac Theologi?* Audi, & ride.

I. Est Rudolphus Hospinianus, *incomparabilis ille Tigurinorum Polyhystor*, ut Vedrosius loquitur pag. 172. qui *plures quàm sexaginta solorum Jesuitarum contradictiones collegit* in sua Historia Jesuitica l. 4. c. 3. In testimonium inimicos advocat, Apostatas &c.

II. Est David Paræus, *gravissimus Theologus* Vedrosio; qui in *Irenico suo ducentas triginta novem contradictiones* Catholicorum, circa principales quidem fidei articulos, enumerat. Ibid.

III. Franciscus Geringius in suo *Gladio Goliath, qui aliquot centenis contradictionum exemplis probatum dedit*, ut scribit Vedrosius pag. 174. *non tantopere olim inter se confusos fuisse Turris Babylonicæ structores, quantopere Hierarchiæ Romanæ Conditores.*

Quartus Vedrosii nostri testis est, aliquis Alphonsus de Vargas, qui Jesuitas & Protestantibus Germaniæ, & Hugonotis Galliæ, & Angliæ Puritanis, ob contemptam auctoritatem Sedis Apostolicæ, simillimos faciat, multò autem his omnibus deteriores Franciscus aliquis Roales apud dictum Vargas.

VI.

Mi Vedrosi, si non melior Theologus, quàm Iurista es, pro-

Contra omnem Iuris processum.

fectò malè se habent res tuæ. Producis enim testes tum contra omnes Catholicos Doctores, tum contra Iesuitas potissimùm, quos omnia Iura, & fora, & dicasteria excipiendo rejiciunt. Nam professos hostes, pro testibus nulla Iura, nulla fora admittunt, l. 3. ff. de Testibus. ita quidem, ut ne quidē in criminibus exceptis, ut in crimine læsæ Majestatis, inimicus admittatur. Si hæc sciebas, & utique sciebas, cur capitales inimicos nostros ad testimonium adversùm nos dicendum evocas? Talis est primus testis tuus, Rudolphus Hospinianus, duplex Apostata, & à fide nimirum Catholica, & à Statu Religioso; qui non potest non malè loqui de ijs, quos cum perfidia deseruit. Valet hîc illud Tullii: *an fugitivus servus Dominum accuset?* fugitivus servus est Hospinianus. testimonium ejus contra Dominam, & matrem simul suam, Ecclesiam, non recipitur.

Probatur intestabilitas testium Vedrosianorum.

Hospiniani.

Deinde quare vis iterum flagellari bonum hunc Hospinianū? Annon satis illum, & Iesuiticam ejus historiam, flagellavit Gretserus, ille, Germanici nominis nostri gloria, & malleus vester?

Paræi.

Talis est & secundus testis tuus, David Paræus; quem tu *gravissimum Theologum* creas. Calvinista est, & sic hostis, cui jam dudum & Adamus Conzeni & alii ad Rhenum Doctores Catholici ita responderunt, ut superaddi nihil necesse sit.

Geringii.

Tertium testem tuum, Geringium non novi; & gladium ejus Goliathicum nec vidi, nec, si videam, extimescam. Calvini, ut apparet, assecla est, & sic apertus hostis.

VII. Hos ait integras centurias contradictionū inter Catholicos collegisse.

Ad hæc mirum mihi valde videbatur, te ex tot Centuriis contradictionum nostrarum, ne unam quidem ponere aut voluisse, vel ausum fuisse. Ecce non Centurias contradictionum, sed unicam desideramus, quæ fundamenta fidei nostræ tangat. An tam non eras otiosus, ut nec unicam posses, vel exempli gratiā, ex his *testibus tuis gravissimis* exscribere, ut examinari à Catholicis potuisset, & quidem ad Vedrosianum illum Lydium lapidem, quem ipsemet nobis offers, an scilicet contradictoriæ illæ Catholicorum Doctorum sententiæ, & propositiones, *iisdem subje-*

subjectis constarent, & ad idem & secundùm idem dicerentur &c. Quare dum unicam saltem ejusmodi contradictionem ex iis afferas, responsum nostrum, bonâ tua veniâ, vir optime, differemus. Nam quod affers pag. 175. de controversia illa inter Thomistas & Iesuitas agitari solita, quæ est de physica prædeterminatione, philosophica controversia est, & in philosophia tractari solita, uti noveris ipse, neque ulla harum partium alteram propterea hæreseos accusat (uti apud vestros consuetum est) aut si facit, malè facit. Hoc potiùs age, Vedrosi. Ostende nobis Catholicos Doctores, quorum pars alia doceat v. g. septem esse Sacramenta; alia vero non esse, nisi sex aut quinque; uti in vestris vobis Doctoribus ostensum est, aliis tria admittentibus, aliis duo, & tertium negantibus. Aut ostende Catholicam aliquam Academiam, quæ doceat Sacramenta nullam conferre gratiam, cùm alia è contrario doceat conferre; quemadmodum vobis itidem suprà ostensum est. Horum aliquid, & vel unicum nobis exhibe.

Nos unicâ postulamus nobis ostendi:

Sed hucusq; non impetravimus.

Dic, quibus in terris? & eris mihi magnus Apollo.

Tunc lauro te Apollineâ coronabimus, & id laudis Vedrosio tribuemus, quòd demonstraverit nobis aliquid, quod per centum annos omnes Calvinistæ & Lutherani, viribus omnibus, frustra sunt conati.

VIII. Vargas & Roales nihil juvant Vedrosium.

Veniamus ad Testem quartum, personatum illum Alphonsum Vargas, qui contestem secum adducit, Franciscum Roales; qui omniũ impetuosissimi sunt, in Iesuitas maximè; quos etiam Calvinianis ipsis, quin & Arrianis deteriores faciunt. Malè hos adducis, Vedrosi, & in tuum probrum. An ergo deterrimũ fateris esse, qui Calvinianis, sive Reformatis deterior est, quasi deterius nihil dari possit? his autem modò omissis, quid de Alphonso de Vargas, & conteste ipsius judicandum sit, dudum Laurentius Forerus, vir vobis notissimus, scriptis suis declaravit; hunc lege. Sed hem Quintum testem, omni exceptione verè majorem, adducit Vedrosius pag. 147. Bellarminum ipsum, quem ita citat:

Imò plurimum confundunt.

Quin imò, eousque (ait Vedrosius) *dissentientium in Papatu crevere*

Card. Bellarminus citatur sine Tomo, libro, capite.

crevere studia, ut suo jam tempore Bellarminus plùs quàm trecentas variantes Sociorum, fidei enarrarit sententias. Magnum, non diffiteor, testem producis Bellarminum. Sed dum nullum Bellarmini vel Tomum, vel librum, vel tractatum citas, suspectissimus mihi non immeritò redderis. Bellarmino multùm credo; Tibi verò Bellarminum non nisi in genere citanti (ne irascere Vedrosi) nihil. Ubi ergo intimaveris nobis, quo loco hoc doceat Bellarminus, responsum habebis, si Bellarminum ipsum inspexerimus, & quàm fideliter citetur, expenderimus. Videris eâ fide Card. Bellarm. citare, quâ suprà Cajetanum Card. citasti. Quot errores, sive ducentos, sive trecentos Catharinus Cajetano exhibuerit, de quibus tu pag. 174. rursum nihil ad nos. Nos de Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus hîc inter nos tractamus. famelicus autem Vedrosius, cùm non inveniret, quid toti Ecclesiæ objiceret, Catharinum & Cajetanum inter se digladiantes inducit, duos privatos Doctores; quorum lites ad Ecclesiam universam, de qua hîc loquimur, nihil pertinent.

IX. Cajetanus & Catharinus privati, caussæ publicæ nihil præjudicant.

Ultimo loco testes pro caussa sua adducit pag. 175. Vedrosius Iansenistas, & quasi in ultima acie fortissimos, Romano more, collocat; sed consilio prorsus infelici. Iansenistas enim, nisi resipiscant, nemo Catholicus in Catholicorum numero collocat. Sed reclamant, inquit Vedrosius, Iansenistæ, & injuriâ se damnatos à Sede Apostolica vociferantur. Et vos reclamastis, ô Calvinistæ, & Lutherani reclamant, & reclamarunt olim Arriani & Macedoniani &c. ac per injuriam se damnatos à Sede Apostolica vociferati sunt. Sed clamores eorum quis attendit? Omnes hos proprium eorum judicium, priùs quàm Pontifices & Concilia damnarunt, juxta illud Pauli ad Tit. 3. ℣. XI. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita; sciens, quia perversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.*

X. Iansenistæ, quos citat Vedrosius, ad Catholicos non pertinent.

Ecce probationes Vedrosianas, ab Hospinianis, Paræis, Geringiis, Vargis, (qui ultimi nulli unquam in orbe fuerunt) & Iansenistis; quas omnes non unius cassæ nucis pretio æstimamus.

Sed

Sed quid agas, si meliora non suppetunt, uti hîc non suppetunt? dicendum aliquid est, quodcumque illud demum sit. Igitur quodcumque etiam dicatur, etsi risu & probris excipiendum. Ubi valet illud S. Augustini de sui temporis Sectariis, ita scribentis, & in particulari Maximinum Arrianum sic l. 3. in fin. irridentis. *Non respondebis aliquid* (Maximine, ego dico, Vedrosi,) *sed ut homines non intelligentes quomodocumque decipias, non silebis.*

Vedrosius Maximini imitator, quem S. Augustinus irrisit.

ARTICVLVS VII.

Ad objectam à D. Georgio dissensionem Reformatorum, in aßignanda origine errorum Papisticæ, ut vocant, Ecclesiæ, sive Antichristianismi Papistici, quid respondeat Vedrosius, eique Apologista.

I. Ratione suâ xxv. exagitat sigillatim D. Georgius noster, dissensum Reformatorum in assignanda origine errorum, ut ipsi vocant, Papisticorum, de Pontificis Primatu, de Missa, de Purgatorio, oratione pro defunctis, Invocatione Sanctorum, & jejunio Quadragesimali; qui quidem ipsis Antichristiani errores sunt. Aliâ autem Ratione, quæ est numero & ordine xxxi. objicit idem D. Georgius suis olim Reformatis dissensum quoque nimis quàm fœdum in assignando non temporis puncto, ut nugatur Vedrosius, (neque enim hoc requirimus) sed seculo, loco, anno, &c. quibus Romana Ecclesia à puritate sua originali deficere, & in antichristianam Ecclesiam demutari cœperit. Hîc planè vincit, & in triumphum ducit non suum, sed Christi, adversarios noster Georgius, & Draconem necat. In his enim duabus quæstionibus, non à solo D. Georgio, sed ante eum, à plurimis Catholicorum eis propositis, hærent planè, vacillant, variant ac plurimùm dissident Reformati, uti & Lutherani, ut fieri necesse est in omnibus doctrinis nullâ veritate subnixis. Sed de hoc tute, bone Lector, ubi partem audieris utramque, pronuntia. Quærit ergo ex Adversariis suis D. Georgius

Triumphat planè in hâc quæstione D. Georgius adversarios.

 gius

quâ quæritur: quo tempore Romana Ecclesia primùm defecerit?

gius, & ego nunc cum illo; Quo tempore Ecclesia Romana, & cum illa, omnis visibilis Ecclesia Catholica, cœperit deficere in fide, & à puritate sanæ doctrinæ in Antichristianos errores declinare? ad hoc quæsitum nostrum adest primus, & sensum suum edicit Bullingerus (locum integrum citat D. Georgius pag. 362.) aitque, post sex primùm secula, & multò plura id accidisse.

II. In hoc tempore assignando cõveniunt Ministri Reformati, sicut Susannæi Senes.

Adest secundo loco AMATOR Bernensis, & assignat completa sex secula, non plura, sivè sex centos completos annos, post quos primùm defecerit & aberrarit; cui etiam Isaias Schucanus, eâdem paginâ Georgianâ subscribit.

Adest loco tertio D. Danzius, qui ampliùs decrescit, & quingentos circiter annos ponit. Sequitur hunc D. Breitingerus pag. 363. apud D. Georgium, & calculum suum reducit ad annos circiter quadringentos. Istum excipit Hottingerus pag. eâd. & retrocedit ampliùs, ad annos scilicet non nisi trecentos, quibus solis pura in Ecclesia doctrina viguerit; post istos autem in errores cœperit Antichristianos vergere. Magis adhuc retro fert pedem Molinæus pag. eâd. & ducentos solùm concedit annos, quibus pura in Ecclesia doctrina retenta fuerit; posthæc autem jam tum corrupta sit, præsertim in doctrina de Purgatorio. Denique Calvinus, Beza, & Scultetus evenisse id ajunt statim ab Apostolorum morte. *Inter ipsa Evangelij exordia*, ait Calvinus, *Stultâ quâdam Mundi credulitate receptas Satanæ imposturas, & crassa ludibria.* Calvini verba sunt l. 4. Instit. c. 15. Sect. 19. & c. 13. Sect. 17. Scultetus autem scribit, *Apostolis vix terræ mandatis puritatem doctrinæ corruptam*: quod idem docet Beza. Verba eorum exscripsit noster D. Georgius pag. 353. Ratione 29. an non ergo hi omnes ita consentiunt, uti olim Susannæi senes, quorum alius *sub prino* corruptam ajebat esse Susannam, alius *sub schino*. Ita hi *Seniores* Reformatorum, pari scilicet veritate, sed multò turpiore dissensione Ecclesiam, Susannâ longè sanctiorem & castiorem, alij corruptam asserunt seculo statim primo, alij secundo, alij tertio, quarto alij, alij quinto, sexto aut

septi-

septimo alij. Quibus omnibus, Susannæ justissimus defensor, Daniel suum illud ingerat: *Rectè mentiti estis in Caput vestrum.* quod vel ex hac tam pudenda variatione ac dissensione satis utiq; apparet. Par apud Reformatos dissensio est, si tempus illud & locum assignare à nobis Catholicis urgeantur, & compellantur (quæ cognata quæstio est) quando hæresis hæc Antichristiana, vel quod idem ipsis est, Papistica, orta sit? à quibus? ubi? & quomodo? & sic, quis primus fuerit Romanus ille Antichristus? ut de eo exorto seculum indicent, annum, locum, personam &c. de quo jam etiam suprà. Hæc, inquam, si edicere compellantur, iterum sicut Susannæi senes conveniunt. Audi mira. Mornæus, mysta ille Salmuriensis, *in suo mysterio iniquitatis*, primum Antichristum Romanum facit Victorem I. (ô impudentiam hominis!) qui Romanam Ecclesiam rexit anno Domini 194. & pro Christo martyrium subiit. Ideo autem hanc ei notam inurit quod potestate suâ abusus, Asiaticos Episcopos illos excommunicârit, qui parére decreto suo de celebrando Paschate noluerunt. Quis verò Daniel, quis Paulus, quis Joannes hanc annotavit Antichristi notam?

III. Idem eis accidit, cùm de primo Romano Antichristo quæritur. Mornæo Calvinistæ primus est S. Victor I. CHRISTI Martyr. Et cur?

Hæc de stolida planè Mornæi sententia. Isto nihilo sapientiores alij inter Antichristianos Pontifices ponere audent omnes illos, quotquot in historiis reperiunt aut Missas celebrasse, aut Ordini Missæ aliquid addidisse: quales ipsis sunt Alexander I. Telesphorus, Marcus, Gelasius, Damasus, Siricius, Leo I. & Innocentius I. quorum primi duo ipso S. Victore antiquiores sunt, ambóque Martyres Christi. In hac autem sententia est Pet. Cermenati apud D. Georg. Lei. Quæ hæc rursus dementia est? An enim Martyrium pro Christo subibit Antichristus? O bonum! ô pium! ô sanctum Antichristum!

IV. Aliis Antichristi sunt, quotquot missam celebrarunt Papæ, vel eam auxerunt.

Alii, paulò pudentiores, notam hanc Antichristianam verentur impingere Pontificibus primorum quinque, aut etiam sex seculorum, sed post S. Gregorij Magni tempora Antichristianismum Romanum fuisse exortum fabulantur, primúmque Antichristum fuisse Bonifacium III. qui à Phoca Imperatore

Alii Bonifacium III. statuunt primum Antichristũ 400. annis post S. Victorem.

 primus

primus extorserit universalis Episcopi nomen atque titulum; quæ quidem Antichristiana superbia sit. Sed de hoc commento jam suprà fusè est actum. P. 1. S. 4. c. 1. art. 2. num. 10. 11. 12. & seqq. idque explosum. hunc autem Bonifacium, & quotquot eum secuti fuerunt Pontifices, meros Antichristos fuisse, communior est Reformatorum sententia, uti & Lutheranorum.

V. Alstedij & Vedrosij sententia singularis, sed ridiculosissima.

Alij denique, inter quos & Vedrosius est, perfectum & suis omnibus numeris absolutum Antichristum usque ad tempora Caroli Magni prorogant, id est, ad annum usque octingentesimum & deinceps. Ita, inquam, Vedrosius pag. 178. Alstedium in hoc secutus, quem & citat in hunc modum. Cohibe risum, si potes, Lector.

Conceptio Antichristi (inquit Alstedius, & cum eo Vedrosius) *incidit in tempus Victoris* (primum intelligit) *temere & superbè excommunicantis Asiaticos: Nativitas & Infantia in tempus Silvestri, quo in aëre audita vox est: Hodie venenum infusum est Ecclesiæ, scilicet per luculenta illa dona, quibus Constantinus Magnus affecit Ecclesias: Adolescentia in tempus Bonifacij III. qui Primatum Imperij à Phoca impetravit: Iuventus & robur Tyrannicum, cum variis nundinationibus conjunctum, in tempus Caroli M. ad Lutherum usque.* Hucusque Alstedius. Atque ita Antichristus embryo, juxta Alstedium & Vedrosium, fuisset Victor I. Christi Martyr: Antichristus pusio, Magnus ille Sylvester I. Antichristus adolescentulus S. Bonifacius III. denique Antichristus Juvenis, isque roboris Tyrannici, sive Adrianus I. Caroli M. amicissimus, sive Leo III. Caroli Coronator. Quando verò, ô Alstedi, ô Vedrosi, prætextam exuit Antichristus vester, & togam sumpsit virilem? Edicite. Utique enim per octingentos annos, à tempore Caroli M. Juvenis non permansit, Juvenis scilicet octingentorum annorum, juvenis edentulus. An non paulatim in senium vergit, & silicernium, post Lutheri & Calvini tempora, esse incipit? an non effodi sibi sepulcrum paulatim imperat, & à Vedrosio Epitaphium, expectat? O apinas rursus! ô nugas! ô fatuitates! Quid hìc refutem eos, qui tam probrosè seipsos

Antichristus embryo quis iis sit.

Quis Pusio Antichristus.

Quis adolescentulus.

Quis Juvenis.

Quis Vir, & senicullus Antichristus.

ipsos refutant, & luculentam insaniæ notam sibi ipsis inurunt? Nam ex Martyribus Christi, qualis S. Victor fuit; ex alteris quasi Petris, qualis erat Silvester I. verè Petra Ecclesiæ; ex Ecclesiæ denique Doctoribus, quales post Silvestrum fuere Leo I. Magnus, S. Gregorius M. Antichristos facere, est solenniter insanire: id quod Alstedius, & Vedrosius faciunt. Refutatione itaque hîc nullâ est opus, sed aliquâ solùm, in uno, alteróve puncto declaratione. O rgas!

Ait Vedrosius, pag 178. cùm de Pusione Antichristo, Silvestro Magno ageret, ex Alstedio suo: *Nativitas & infantia Antichristi in tempus Silvestri incidit; quo tempore in aere audita vox est: Hodie venenum infusum est Ecclesiæ, scilicet per luculenta illa dona, quibus Constantinus M. affecit Ecclesias.* Ita Vedrosius; cui Apologista, declarationis caussâ, ob historiarum minùs peritos lectores, ideóque in similibus decipi faciles, hæc reponit.

VI.
An Silvestrũ I. magnæ opes fecerint Antichristum:

Et per hoc Venenum sit Ecclesiæ infusum; uti vox de cœlo monuit? Fabula.

Ista de voce hac cœlitus allabente, narratiuncula, non historia, ex virorum doctissimorum judicio, sed Milesia fabella est, ex Pauperum de Lugduno, sive Waldensium ollis profecta; à quibus eam pauperes de Genéva mutuantur; quæ non nisi pauperculos quoque, & planè inglorios Historicos, auctores habet; quales sunt Joannes aliquis Parisiensis, Albericus de Rosate, & Rhytmologus quidam Germanicus, Waltherus **von der Vogelweiden**/ mera ignota nomina. Aut produc aliquem ex veteribus & probatis historicis, si potes, Vedrosi. De hac autem fabellula triviali, ut eam rectè vocat Historicus ille, simúlq; Theologus eximius Gretserus, vide Eundem c. 10. contra Mystam Salmuriensem, sive Mornæum; qui rectè addit pag. 46. *Mirum est*, ait, *cùm divitiæ Ecclesiasticæ sint venenum, eas à Lutheranis & Calvinianis tam cupidè exsugi, & ob dulcedinem omni melli ac favo anteponi: nisi fortè opes ecclesiasticæ Catholicis solummodò* VENENUM *sint, hæreticis autem salutare pabulum, juxta illud Lucretij:*

Atqui opes magnæ Reformatis non sunt venenum, sed adeps salutaris.

Nimirum nobis verátrum, est acre venenum:
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Quæ autem de Bonifacio III. & de Phoca Imperatore iteratò hîc affert Vedrosius de eo, sufficientissimè suprà, ubi de Primatu Ecclesiæ Romanæ egimus, est dictum; quò benevolum Lectorem remittimus.

VII.

Manifesta Paulinæ sententiæ depravatio à Vedrosio facta,

Non est autem prætereunda Vedrosij Theologia stupenda, quam pag 178. prodit in explicando illo S. Pauli loco 2 Thessal 2. v. 7. qui talis est: *Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantùm ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat; & tunc revelabitur Ille iniquus (* Antichristum intelligit Apostolus) *quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui.* Circa hanc Paulinam sententiam, ut assequamur Apostoli mentem, quædam ex antecedentibus hujus capitis 2. delibanda nobis sunt. Ita autem incipit hoc caput: *Rogamus,* inquit, *vos Fratres, ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, quasi instet dies Domini* (id est, Judicij dies, cujus interminatione terruerant nonnulli Neophytos Thessalonicenses, contra quos hîc agit Paulus) sequitur: *Ne quis vos seducat ullo modo: Quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati* (Antichristus) *filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo DEI sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* (supple, non veniet judicij dies.) Hujus autem obscurissimi loci Paulini, & de industria obscurissimi explicatio Catholica hæc est.

Cum inscitia Grammaticali conjuncta.

Verus & Catholicus Paulinæ sententiæ sensus, de Mysterio iniquitatis.

Nolite terreri, & in errorem induci vos ne patiamini, mei Thessalonicenses, quasi proximè Judicium extremum immineat. Quoniam nisi venerit priùs Discessio (in Græco est, ἀποστασία, quod idem est quod *defectio & rebellio,* ut omnes Græci norunt) scilicet celebris illa rebellio & defectio, in qua plurimæ gentes, eousque fideles, ab Antichristo seductæ, tum ab Imperio Romano, tum ab Ecclesia deficient: nisi etiam post hæc Antichristus ipse, *homo* ille *peccati,* in mundo appareat (hoc enim est revelari Antichristum) qui omnem præ se Deum contemnet, & ipsemet Deus haberi volet, non adveniet extremi Judicij dies. Ita hunc locum Pauli exposuerunt S.Hieron. q. xi. ad Algasiam. Ita Cyrillus Hieros.

Iuxta expositionem SS. PP. Hieron. Cyrill. Ambrosij, &c.

rosſ. Cathechesi 15. Ita Lactantius l.7.c.15. Item S Ambroſ. Primas. Sedulius, & alij veteres. Ex horum enim ſententia, ſub initium Monarchiæ Antichriſti, rebellabunt pleræque omnes Nationes contra Romanum Imperium, & Eccleſiam Chriſti, & utrumque ſtirpitus eradicare conabuntur. Alteram verò partem Paulinæ ſententiæ ita explicant Patres: *Nam myſterium iniquitatis jam operatur.* hoc eſt: Myſterium, ſive Symbolum & figura illius Antichriſtianæ iniquitatis (nempe Simon Magus, omnium hæreticorum infeliciſſimus Avus ille, eiúsque aſſeclæ, Cerinthus &c. uti & Imperator Romanus Claudius; & Nero, qui Claudio ſuccedet, aliíque Chriſtianorum perſecutores his ſucceſſuri) figura, inquam, iſta jam hoc tempore operatur, & viam præſtruit Antichriſto, cùm hi dicti hæretici & infideles eodem prorſus ſpiritu agantur, quo agetur olim in exſcindendo Chriſtianiſmo Antichriſtus. Ita hæc verba Pauli exponunt S. Auguſt. l. 20. de Civ. Dei c.19. Item S.Hieron l. c. S. Ambroſius & S. Chryſoſtomus hîc, aliíque Veterum. Illa autem verba Pauli: *Quid nunc detineat, ſcitis*, ita interpretantur. Ex his meis dictis noſſe nunc poteſtis, quid detineat, ſive remoretur adventum Judicij extremi, & ipſum quoque Antichriſtum, ſcilicet quia diſceſſio, ſive generalis illa apoſtaſia nondum evénit. Illa denique dicta Pauli: *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*: ſic explicantur. Tantùm remoratur adventum judicij & Antichriſti id quod jam dixi de diſceſſione, ſive defectione illa omnimoda. Debet enim Imperium Romanum priùs everti. Reſtat igitur, ut qui tenet nunc Imperium illud, Claudius ſcil. & poſt eum Nero, Domitianus, Valerianus, Diocletianus, & qui iſtos in Imperio ſequentur, pergant illud tenere ſive obtinere, *donec de medio fiat*, id eſt, penitus tollatur Romanum ipſum Imperium, & evertatur. Et tunc primùm advenient & Antichriſtus, & Chriſtus Judex, everſor Antichriſti. Atque ad hunc modum non tantùm priſci Patres Paulinum hunc locum, ſed etiam Eraſmus, quin & Beza ipſe, & alij, etiam contrariæ partis, qui parum emunctioris ſunt naris, interpretantur.

Quinam S. Paulo intellecti ſint per Operatores Myſterij iniquitatis:

ſcil. Simon Magus, Cerinthus. &c.

Item Claudij, Nerones, Diocletiani.

Contrà

Imperitissima contra Vedrosij explicatio.

Contrà Vedrosius,(rem dico,& mox assentieris, Lector)planè imperitissimè, & nullâ prorsus auctoritate, n'xus, ita exponit, ut *discessio illa* à Paulo prædicta,sit Translatio Sedis Imperialis ex urbe Roma Constantinopolim à Constantino M. facta, discessio scilicet,quæ pedibus aut navigiis ab uno loco ad alium fit; cùm græco illo verbo *(ἀποστασία)* quo usus est Paulus, omnibus etiã Grammaticorum pueris notum sit,non discessionem de loco ad locum, sed universalem quandam defectionem & rebellionem intelligi, uti omnes Patres,& docti viri alii perpetuò intellexerunt. Quantam hîc labem & tibi, & omnibus Rhætis tuis, tam insulsâ & inauditâ interpretatione, imò manifestissimâ depravatione Paulinæ sententiæ contrahis,Vedrosi! quis enim ferat discessionem Constantini ex urbe Roma apostasiam appellari? Nec minorem ex eo, quòd,quæ alij de Neronibus & Domitianis, similibúsq; Tyrannis explicant, quòd in illis, ceu figuris Antichristi, *operari incepe-rit Mysterium iniquitatis*, tu de religiosissimo & Christianissimo Imperatore Constantino Magno exponas, & post eius abitum sive discessionem Româ Constantinopolim, statim ipsum Antichristum in Romanam Cathedram introducas, & sic ex Martyribus & Doctoribus Ecclesiæ Antichristos fabrices; cùm tamen post translationem illam Sedis Imperialis, trecentis illis, qui insecuti sunt, annis, sanctissimi quique Pontifices Sedem illam obtinuerint,Silvestri,Damasi,Innocentij,Symmachi, Silverij, Leones,& Gregorij Magni. Sed quod nemo ullus alius audet,Calvinianus, Lutheranúsve, & animus, & calamus, audent.

Ex Constantino Magno Vedrosius Neronem facit.

IX.

Reformati audacissimi in criminandis Pontificibus Romanis, ceu Antichristis.

Vidisti, Lector, spectaculum planè Saturnalitium & gladiatorium. Vidisti concurrere Ægyptios contra Ægyptios. Vidisti vacillantes in omnem partem ebrios, non vino, sed odio in Romanos Pontifices; quos ut audacissimè Antichristos meros proclamant, ita timidissimè primum ex his Antichristis, si eum edicere jubeantur, nominant, aut etiam omnino nominare se non posse confitentur; qualis etiam Confessor est ipse denique Vedrosius

drosius, negans punctum illud temporis ita facilè assignari posse, quo hoc regnum Antichristi cœperit, ineptissimâ ad hoc confirmandum similitudine usus pag 177. *De momento,* inquit, *quo lues pestilentialis Urbem aliquam invasit, dubitari potest: at de ipso contagionis malo, postquam hominum myriadas extinxit, dubitare, esset insanire.* Addit pag. seq 178. *Postquam toti Orbi, praeuntibus ipsis adversariis, errorum Ecclesiæ Romanæ stitimus abominationes, quis de origine eorum deinceps laboraret?* Ita Vedrosius. Ineptissima autem, ut dicebam, inprimis est similitudo à pestilenti lue ducta, quæ urbem aliquam exhauriat, ad Ecclesiam Romanam applicata. Nam si Romana Ecclesia ex Apostolica pietatis Cathedra facta est *Cathedra pestilentiæ*, cum pestifera lue, quæ urbem aliquam exhauriat, comparanda non est, sed cum ea, quæ per Orbem universum grassetur, & epidemicus morbus sit. Talis autem generalis, uti vocari solet, & universalis pestilentia ita est, fuitque semper constituta, ut constet omnibus historias perlegentibus, quo seculo, quo anno seculi cœperit: ubi cœperit: quales progressus habuerit. Talis pestilentia erat sub Gallo & Volusiano Imperatoribus de qua Orosius scripsit l. 7. c. 21. *Nullam fere Provinciam Romanam, nullam civitatem, nullam domum fuisse, quæ non illâ correpta atque vastata fuerit.* de hac autem lue & seculum, & annus, & provincia, ubi cœperit; & tempus, quo duraverit, accuratè consignata fuerunt. Accidit enim seculo tertio, anno ejus seculi 25. qui fuit Galli & Volusiani Cæsarum annus 2. cœpit autem in Africa, in regno Æthiopiæ, teste *Eutropio in Gall. & Volus.* indéque in universum orbem progressa, vix intra decennium, teste Pomponio Læto, conquievit & extincta est. Quodsi etiam totum orbem pervasit pestilentia hæc spiritualis Antichristianismi Romani, & non per annos decem, sed secula jam decem, vel etiam plura duravit, mirissimum est, neque seculum certum, neque annum & Consules illius anni, neque satorem primum & Veneficum ejus auctorem posse indicari; idque de solâ hac omnium pestilentissima lue, sive hæresi non posse indicari, cùm

In probando autem ineptissimi; Tempus assignare se non posse fatetur Vedrosius; quando Antichristianismus Romanus cœperit: id autem miserabili similitudine, de peste explicare conatur. Ridetur cū suo simili, quod planè contrarium probat.

id queat de omnibus aliis. exemplum ponamus de vestra secta Reformatorum, quam nos Catholici pro exitiali lue habemus. Si requiratis à me, ut indicem ergo originem novæ hujus doctrinæ, statim ad hoc promptissimus inveniar, & ipse contra me pronuntiabo, nisi & seculum, & annum, & locum, & personam, unde novitas ista fluxerit, indicare queam. Dicam ergo: Secta Reformatorum, quæ & Hugonotorum, & Calvinistarum dicitur, exorta est seculo decimo sexto, intra annum scilicet quingentesimum & sexcentesimum. Dicam ulteriùs: Qui primus hac lue infectus fuit (manebo in exemplo Vedrosiano) & deinceps alios infecit, atque ita ex sua velut domo in tot alias & domos & regiones propagavit, fuit quidam Joannes Calvinus, Gallus, Novioduni in Picardia anno 1509 die 15. Junij ex Gerardo Calvino, natus; Beneficiatus primùm in Ecclesia Cathedrali Noviodunensi, post etiam Curio in pago quodam prædictæ urbi, patriæ ipsius, proximo, cui nomen est Episcopipons. Cœpit autem doctrinæ suæ venenum spargere año 1534. cùm annorum esset 25. Hoc enim anno ex Gallia in Germaniam nostram, Helvetiam, migrans, Basileæ typis excudi curavit librum primum Institutionum suarum. Post duos exin annos, nimirum 1536. Genevam perveniens, ibi existimatam suam Theologiam docere incepit, & toxica sua latiùs fundere, præsertim anno 1541. cùm Genevam, unde exulaverat aliquamdiu, revocatus est, ubi & ultimum librum Institutionum suarum anno 1559 scripsit, & quinquennio post, anno scilicet 1564. extinctus est. hæc omnia ex ipso Beza, in vita Calvini. Ex urbe Geneva deinceps lues hæc, ut cancer, serpere cœpit, primùm in Helvetiam; inde in Gallias & Angliam; denique etiam in partem aliquam, sed minimam Germaniæ. Cùm primùm autem nata ista Secta est, fuerunt qui illam totis viribus oppugnarunt non Catholici tantùm, sed ipsi quoque Lutherani, qui Calvinistas, quantumvis supplices, nunquam in fraternitatem suam admittere sustinuerunt. Ex Catholicis, ut alios taceam, fuit sanctæ memoriæ D. Franciscus Salesius, Episcopus

X. Opponitur ei & simile, & exemplũ aliud de Calvinismo

Nominatur seculũ, quo exortus est.

Et Persona, à qua.

Et annus in quo.

Et locus, ubi ortus est.

Primi item ejus oppugnatores.

ſcopus Genevenſis, ſed exul; qui ipſemet cum Theodoro Beza Genevenſi veſtro Papa diſputando, & familiariter quoque converſando, congreſſus eſt; ſed apud pertinacem profecit nihil, apud alios autem minùs obſtinatos quàm plurimùm, ita ut Reformatorum multa millia, (invenio in vita ejus ſeptuaginta duo millia) ad Catholicam denuo Eccleſiam, adjuvante Numine, reduxerit. In Gallijs autem, contra Calvinum ſtetit, fortiſſiméque, ſed & feliciſſimè pugnavit Edmundus Augerius è Societate Jesu; de quo traditur, eum quadraginta millia à lue hac rurſum perſanaſſe, & Romanæ Eccleſiæ reddidiſſe. Præterea alios Catholicos, qui toto quoque ſe robore oppoſuerunt. Ex Lutheranis, qui contra Calvinum ſcripſerunt, ejúſq; doctrinam, præſertim illam de Cœna Dominica damnarunt, fuit Lutherus ipſe, Joannes Brencius, Jacobus Andreas, & alij. Habetis ergo, quæcumque exigere à nobis poteſtis de origine erroneæ Sectæ veſtræ; *Seculum decimum ſextum, annum* 1534. *Vrbem*, Genevam, in qua miſeram ſuam perfectionem nacta, & velut educta eſt. *Perſonam, Calvinum.* denique & *oppugnatores*, qui publicè Novitates Calvini, ut primùm exortæ ſunt, hæreſeos damnarunt; ut omittam totum Concilium Tridentinum, quod Calvino adhuc vivo, contra Calvinum pronuntiavit.

Ex Catholicis.

Ex Acatholicis.

XI.

Nunc exemplum hoc meum, ſi potes, & audes, ſequere, Vedroſi. Nomina *ſeculum*, quò ex Chriſtianiſſima in Antichriſtianam degenerârit Eccleſia Romana, & hæreſin Papiſticam, uti vos appellatis, in orbem Chriſtianum induxerit. Nomina *annum.* Nomina *Perſonam*, ſive Pontificem, qui primus Antichriſtus, & peſſimus hujus Sectæ auctor, ſive hæreſiarcha fuerit. Nomina *Concilium*, à quo ſecta hæc damnata unquam fuerit. Nomina *oppugnatores*, qui continuo eam velut in ſemine opprimere ſtuduerint, & qui ſeculo eodem vixerint. Nam ſeros illos & nimis quàm veſpertinos, quales vos eſtis, nec hili facimus. Quòd ſi nihil horum, ne unicum quidem oſtendere potes (ignoſce bone vir) Catholicis omnibus & tu, & omnis alius tui ſimilis, calumniator habeberis; qui non ratione, aut

Provocatur Vedroſius ut patia faciat, aut malè audiat.

zelo DEI ductus, sed passione indomitâ & furore quodam actus, atrocissimam hanc calumniam, de Romano Antichristo, & Papistica archihæresi effuderis. Sed quod suxisti à puero, promsisti. Ignoscimus. Quæ de sacrosancto Sacrificio Missæ (quam tu *Papismi corculum* rectissimè appellas, adde & *animam*, & si quid carius animâ) planè extra chorum saltando, adjecisti pag. 178. extremâ, & 179. peculiari responso non habent opus, cùm de hoc sanctissimo mysterio suprà jam abundè sit actum, & ad nos Catholicos nihil omnino attineat, quid unus aliquis ignotus nobis Dominicus Baronius Val-Granensis Prædicator, sive ante centum, sive ante mille annos scripserit contra Missam. Si scripsit, uti de eo narrat Vedrosius, (nam inspicere eum non licuit) Catholicè non scripsit, & quæ tu *Cedro digna* verba clamas, nos *obelo*, & *verso pollice* digna censemus. Veniamus ad alia quædam ejusdem 7. Sectionis Vedrosianæ.

ARTICVLVS X.

Per Congeriem, & Synathroismum Novem falsitatum (figuras scilicet hujus Rhetoricæ) probare conatur Vedrosius, Transubstantiationem Eucharisticam veteribus sanctis, neque cognitam, neque creditam fuisse. Unde patebit, quo Spiritu agantur hi Ministri, certè non Veritatis.

I. Transubstantiationem sanctæ antiquitati incognitã fuisse falsissimè asse-

IUstus dolor hunc mihi articulum exprimit, ut qualis, & quàm familiaris sit Spiritus mendacij sectarijs omnibus, vel unico hoc documento constet, cùm enim in hoc opusculo Vedrosium o toties recurrat *Transubstantiationis Eucharisticæ* vellicatio, & quasi abominatio, totiésque non sine crassa falsitate iteretur, sanctæ illi, & orthodoxæ antiquitati nullam in SS. Eu-

 chari-

charistiæ mysterio cognitã aut creditam fuisse *transubstantiationem*, seu, quod idem est Panis consecrati in corpus Christi; & vini, in Sanguinem Christi conversionem: (hoc enim transubstantiationis nomine nos Catholici intelligimus) placuit articulo peculiari, pro honore sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, hanc imposturam manifestissimam Reformatorum, aliorúmq; complicum ob oculos ponere, scribere audentium, nihil de transubstantiatione Eucharistica Ecclesiam novisse ante tempora S. Thomæ, qui eam confinxerit; aut certè ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. sub añum Domini M.CC. celebratum; quæ sunt Lutheri & Calvini, item Petri Martyris, Kemnitij & aliorum similium figmenta; quibus & Vedrosius concinit pag. 179. ubi agens de Romanis Pontificibus Alexandro, Telesphoro &c. qui aliquid ad ordinem Missæ addiderunt, ita non sine hypocrisi loquitur: *Sanè præstitisset*, inquit, *Apostolicæ institisse simplicitati* (in administranda scilicet Cœna Dominica) *Verumtamen beatæ illæ animæ* (Alexandrum, Telesphorum, Damasum, alíosque vetustos Pontifices intelligens & beatas animas appellans eos, quos suprà cum suis Antichristos fecerat) *utut præter necessitatem, & infelici eventu, qui sequi solet, cùm sapimus supra id, quod scriptum est, sacra hæc* (Missam intelligens) *auxerint, ne vel per febrim somniarunt Transubstantiationem, hostiæ divinæ adorationem &c.* quibus verbis Vedrosius idem illud, quod Calvinus & Lutherus dicere voluit, Transubstantiationem hanc novum aliquod Papistarum commentum & figmentum esse, de quo neq; per febrim alienato animo, primæ Ecclesiæ Patres & Pontifices hi Romani somniârint. Ego verò somnium hoc tuum, Vedrosi, & tui similium, ex febri nimis quàm pestilenti delirantium, excutiam hoc loco, & interpretabor.

[...]runt Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & a[...]

Neque per somnium cognitam fuisse veteribus dicere audet Vedrosius.

II. Somnium hoc Vedrosij excutitur.

Negas ergo, & pro somnio habes Transubstantiationem Eucharisticam, sive realem conversionem panis benedicti in Corpus & carnem; vini item à legitimis Sacerdotibus benedicti in sanguinem Christi; quam ais veteribus *neque per somnium* cognitam fuisse?

In quem finem nonnulla à me præsupponuntur.

1. Hic ego quæro primùm ex te, an admittas, & credas primum illud miraculum Salvatoris, in Nuptiis Canæ Galilææ patratum, quando substantia aquæ in substantiam vini, divinâ à Christo virtute conversa est, de qua S. Joannes c. 2?

2. Quæro iterum, an credas conversionem illam itidem miraculosam, quâ feminea caro uxoris Loth in statuam, & substantiam salis versa est teste S. Moyse Gen. 19. his verbis ℣. 26. *Respiciens uxor ejus* (Lothi) *post se, versa est in statuam salis*; quem salem, verissimum salem fuisse, fidelium nullus dubitat. Nam & oviculæ eum lambere solebant, ut ex antiquis habemus historicis.

3. Præsuppositum, de prodigiosis conversionibus in S. S. extantibus.

Quæro tertiò, an credat Vedrosius miraculosam illam ligni inanimati, in animatum serpentem conversionem, quæ contigit divinâ virtute, in virga lignea Aaronis, ante Pharaonem Regem, DEI jussu, projecta; de qua Moses Exod. 7. ℣. 10. *Tulitque Aaron*, ait, *Virgam coram Pharaone & Servis ejus, quæ versa est in colubrum.*

Quæritur, an has credant Reformati.

De his, inquam, ex Reformatis & Vedrosio potissimùm, quæro, an has miraculosas substantiæ unius in alteram conversiones, aquæ in vinum, ligni in colubrum, & carnis in salem, fide firmâ, ut Christianos decet, credant? Credunt utique, aut fideles non sunt.

Quæro nunc ulteriùs, an hæ conversiones, sive novo, sive vetusto vocabulo (quod huc nihil facit.) dici non valeant *Transubstantiationes*, hoc est, unius substantiæ in aliam divinitus factæ conversiones? Quisquis sapit, non negat, cùm hæc sit ipsa definitio transubstantiationis: sicuti transformationis, quam vocamus, definitio est, unius formæ in aliam transmutatio.

An transubstantiationes fuerint, nec ne?

Quæro denique, si ex antiquissimis Patribus & Doctoribus Ecclesiæ ostendi queat, eos agnovisse, & expressis verbis professos esse, fieri in Eucharistia conversionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem Christi, ita ut nihil omnino remaneat de substantia panis & vini, sed ejus loco adsit Caro & Sanguis Christi, si hoc, inquam, ostendi possit ex Patribus, quæritur, an

salvâ

salvâ veritate & pudore dici queat, sanctos Patres *neq; per somniū* agnovisse Transubstantiationem, sive substantiæ unius in aliam miraculosam conversionem? Non opinor, veritate salvâ hoc dictorum quenquam, nisi mente forsitan captum, & prorsus pervicacem; si præsertim demonstravero, quòd SS. hi Patres ad miraculum hoc Eucharisticum declarandum utantur illis ipsis suprà à me allatis transubstantiationum exemplis, scilicet aquæ in vinum in nuptiis Canæ, &c.

Audiamus ergo nunc, quid de Transubstantiatione Eucharistica non somniando, sed studiosissimè vigilando senserint & scripserint Sancti DEI homines, & Spiritu veritatis pleni, nec alii, quàm qui primis quingentis seculis scripsere. Allatis à me exemplis Biblicis usi sunt ipsi etiam SS. PP.

III. S. Cyrillus utitur exemplo conversionis aquæ in vinum.

S. Cyrillus Hierosol. qui vixit & circa annum Domini 365. adeóque in primitiva Ecclesia scripsit, ita loquitur Catechesi 4. *Aquam aliquando in vinum mutavit Christus, quod habet quandam cum sanguine propinquitatem; & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutârit?* Quid respondes huic Sancto, Vedrosi? An *dignus* tibi *videtur Christus, cui hoc credas*, an indignus? Ecce somnium non aliorum, sed tuum, Vedrosi; verùm extra Parnassum. Audi ulteriùs eundem Cyrillum ita vos Reformatos, eodem loco, ad salutem vestram, confundentem, ut non possit magis. *Non ita hæc*, inquit, *attendas velim* (id est, panem & vinum in Eucharistia) *tanquam sint nudus, & simplex panis, nudum & simplex vinum*: CORPUS *enim sunt, &* SANGUIS *Christi Nam etsi sensus tibi id renuntiat* (scilicet quòd sint simplex panis & vinum) *fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu: sed te, citra ullam dubitationem, fides certum reddat, quòd sis dignus factus, qui* CORPORIS *&* SANGUINIS *Christi particeps fieres.* An poterat vel hodie clariùs hic sanctus Episcopus vel de reali præsentia Christi, vel de Transubstantiatione in Eucharistia contra vos Reformatos scribere? Rursùs in eadem Catechesi ita pergit: *Cùm ipse Christus de pane pronuntiaverit & dixerit:* HOC EST CORPUS MEUM: *quis audebit deinceps ambigere? Et cùm dixerit:* HIC

HIC EST SANGUIS MEUS: *quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus sanguinem?* Atqui, ô Sancte Cyrille, nostrum hoc & præteritum seculum homines protulerunt, qui *auderent ambigere*, quíque de hoc non dubitarent solùm, sed præfractè negarent, & se tamen maximè Evangelicos crederent. Sed & alterum S. Cyrillum, Alexandrinum illum Patriarcham sanctissimű, qui vixit anno 430. & scriptorum Primitivorum unus, nec postremus est, priori Cyrillo jungamus.

Et miratur, de hoc quenquam posse ambigere.

S. Cyrillus Alex. itaque sic loquitur in epist. ad Colosyrium. *Ne horreremus*, inquit, *Carnem & Sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens DEUS nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ*, CONVERTENS *ea in veritatem propriæ carnis.* ubi audis, Sanctum hunc non *per somnium*, sed in veritate, agnovisse in Eucharistiæ consecratione, *conversionem* oblati panis *in carnem propriam Christi*; quæ conversio cùm sit substantiæ unius (panis) in aliam (carnem scilicet Christi) transmutatio, quid ei in hac sententia S. Cyrilli ad Transubstantiationem deest?

Alter etiam Cyrillus Alexandrinus clarissimè tradit sententiam Catholicam.

IV. S. Ambrosius his ambobus antiquior, ita apertissimè quoq; mentem suam de Transubstantiatione Eucharistica exposuit l. 4. de Sacram. c. 4. his verbis. *Panis iste* (loquitur de Eucharistia) *panis est*, inquit, *ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de Pane fit CARO Christi.* Addit exin contra incredulos pulcherrimam rationem, quæ est à minori ad majus, id est, ab eo, quod minùs est probabile, ad illud, quod est magis probabile. *Jussit Dominus*, inquit, *& factum est cœlum: jussit Dominus, & facta sunt maria: jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo CHRISTI. Si ergo tanta vis est in sermone Domini JESU, ut inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud* COMMUTENTUR? quæ pulcherrima & irrefragabilis contra incredulos nostri seculi, argumentatio est pro reali præsentia Christi in Eucharistia, & testimonium simul clarissimum pro Transubstantiatione, sive quod idem est, unius rei, sive substantiæ existentis, in aliam *commutatione*, quam hic Ambrosius agnoscit in Eucharistia.

Item S. Ambrosius argumento utens productione rerum ex nihilo. NB.

S. Chry-

S. Chrysostomus, qui eodem seculo cum D. Ambrosio, paulò serius tamen, vixit & scripsit, simillima habet in homilia sua 60. ad Pop. *Non sunt*, inquit, *humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur. Qui tunc ipsa fecit* (Christus scil.) *in illa Cæna, idem ea nunc quoque facit* (opera scil.) *Nos Ministrorum tenemus locum; qui verò sanctificat ea & IMMUTAT, Ipse est.* Ecce & Chrysostomus *immutationem* agnoscit in pane & vino Eucharistico: non autem specierum & accidentium, quæ prorsus eadem manent; sed substantiarum, panis scilicet in corpus, & vini in sanguinem Christi; quæ ipsissima transubstantiatio est, id est, unius substantiæ in aliam *immutatio*, ut Chrysostomus loquitur. V. S. quoque Chrysostomus veram immutationem in Eucharistiæ consecratione agnovit.

S. Gregorius Nyssenus, & ipse S. Chrysostomo coævus, eâdem claritate Catholicam conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Domini, & sic ipsissimam transubstantiationem adstruit in oratione magna Catechetica, c. 37. his verbis: *Rectè DEI verbo sanctificatum Panem, in DEI Verbi Corpus credimus* IMMUTARI. & infrà meliùs se explicans: *Hæc autem tribuit*, inquit, *virtus benedictionis, in illud* (Corpus Domini) *rerum earum, quæ videntur, Panis & vini, naturam mutans.* Ita Sanctus. Audis *naturas*, sive, quod idem est, substantias rerum visibilium, Panis scilicet & vini *mutari* in Eucharistia, & quidem in Corpus Domini *virtute benedictionis*, sive consecrationis *mutari*; quod idem prorsus est, ac transubstantiari. VI. Vti & S. Gregorius Nyssenus verbis longè clarissimis.

S. Cyprianus, his omnibus antiquior, suam quoque de verissima hac transubstantiatione mentem exhibet nobis hac sententiâ suâ in serm. de Cœna Domini. *Panis ille*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi, factus est Caro.* Audis *effigiem*, id est, species externas panis & vini non mutari, sed *naturam* ipsam panis mutari, & quidem in carnem Christi, dum *fit Caro Christi*, ut loquitur S. Pater; quæ ipsissima illa, de qua hîc quæritur, Transubstantiatio est. VII. S. Cyprianus asserit Panem omnipotentiâ verbi mutari.

S. Augustinus apud S. Prosperum in sententiis: *Fideliter*, inquit, *fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem,* VIII. Item S. Augustinus pluribus locis.

quod benedictio consecravit. Similia quoque habet l. 2. contra Adversarium Legis & Prophetarum, c. 9. Item in Ps. 33. ubi ait, Christum Dominum semetipsum in manibus suis portasse, cùm diceret: *Hoc est Corpus meum*. Item in serm. ad Neophytos &c. Quomodo nunc subsistit veritas illius tam audacis propositionis tuæ, Vedrosi, dum ais pag. 179. *Beatæ illæ animæ* (Alexander, Telesphorus, Damasus &c. qui additamentum aliquod ad Missam adjecerunt) *ne per febrim quidem somniarunt Transubstantiationem*? Atqui *beatæ istæ animæ* idem prorsus crediderunt & docuerunt, quod dicti sancti Patres, coævi ipsorum; qui in his omnibus doctrinis suis, ante omnes alias Ecclesias, ad Romanam & doctrinas ipsius respexerunt; eásque, ut indubitatas amplexi sunt. Imponere ergo toties simplicibus tuis Lectoribus, Vedrosi, sive sciens, sive ignorans voluisti, quoties Transubstantiationem, tanquam primæ Ecclesiæ incognitam, in opusculo hoc tuo lacerasti. Si sciens, malitiâ es eximiâ; si ignorans, paris inscitiæ. Vide ergo, mi Lector, quid in aliis quoque Ministris talibus credere aut possis, aut debeas.

IX. *Quid pro se afferat Vedrosius?* Sed ne contra se inauditum pronuntiari sententiam queri possit Vedrosius, audiamus sanè, quid pro se contra Transubstantiationem Eucharisticam pag. 180. ex Joanne Scoto, Theologo Catholico, Doctore subtili, ut Catholicis vocatur, afferat. Unicum enim hoc ex Scoto argumentum pro se, in quæstione gravissima, affert; *Non alium, quàm Scotum.* quod ne tum quidem contra nos quidquam valeret, si etiam veraciter à Vedrosio proponeretur, cùm sit unici privati Doctoris. Nunc autem in ea Scoti sententia unica referenda, non unicam, sed multiplicem falsitatem, more suo, immiscet, pessimè iterum consulens famæ suæ Vedrosius, quod sic manifestissimum reddo, dum priùs Vedrosii relationem; postea verò ipsius Scoti formalia, ut loquimur, verba exhibeo.

Vedrosii Relatio de Joanne Scoto, falsa.

X. *CErtè Joannes Duns, Scotus*, (ita scribit pag. 180. Vedrosius) *non Doctoribus illis, & seculis fortunatioribus* (id est, non quinque

que primis seculis) *attribuit inventionem Transubstantiationis, quæ abominationem desolationis Venerabili Cœnæ Dominicæ Sacramento attulit, sed rotundè profitetur, non nisi post periculosum Lateranense Decretum, sub Innoc. III. conditum, anno demum 1215. obstetricante ubique barbarie editum, substantialem illam conversionem in rem judicatam abiisse, & inter necessarios fidei articulos relatam fuisse. Nullam scripturæ sententiam reperiri; nullam, ante Lateranense illud Concilium, determinationem ecclesiasticam, quæ vel expresse doceat, vel ex qua evidenter inferri possit, non manere in Eucharistia post consecrationem, Panis substantiam. Ita Scotus, ait, in 4. sentent. dist.* XI. *q.3. num.3.5.13.14.15.* Hæc Vedrosius. quæ legens quilibet, & bonâ fide à Vedrosio referri supponens, non possit aliter judicare, quàm doctissimum hunc Theologum Scotum, Transubstantiationem Eucharisticam penitus abominari, rejicere & detestari, cùm contraria omnia mox sis percepturus, simul illud confessurus, quot in Vedrosiana relatione lineæ sint, tot & falsa inesse in quo miseror ipse Vedrosium sic in transversum actum.

Sed nō simplici cum falsitate à se citatum.

In lineis singulis falsitates singulæ.

Vera Relatio de Scoto, & doctrina ipsius.

PRima linea in qua dicit Vedrosius, Joannem Scotum *non attribuere Transubstantiationem seculis fortunatioribus*, hoc est, primis illis quinque vel sex seculis, *primum falsum* continet. Nam expresse tribuit doctrinam de Transubstantiatione S. Ambrosio in cit. distinct. XI q. 3. n. 13. his verbis: *Panis*, inquit, *convertitur in corpus Christi, & ad hoc multùm expressè loqui videtur Ambrosius, cujus duæ auctoritates suprà adductæ sunt* (scil. n 2.) Prior auctoritas S. Ambrosij à Scoto adducta est hæc: *Panis est in altari*, ait Ambrosius, *ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Altera auctoritas Ambrosij hæc est, quam itidem n. 2. Scotus adduxit: *Sermo, qui potuit facere, quæ non erant, nonne potest mutare ea, quæ sunt, in id, quod non erant?* post has binas Ambrosij sententias allatas remittit Lectorem Scotus ad Magistrum sentent. ubi plures Veterum auctoritates sit inventurus: *Plures*, inquit, (scil.

XI. Prima linea cum prima falsitate Vedrosiana.

(scil. auctoritates Veterum) *ponuntur à Magistro dist. 10. & dist. istâ.* Ita Scotus. fuit autem S. Ambrosius utique ex *Doctoribus fortunatioribus*, & scripsit etiam *seculis fortunatioribus*, quæ omnia ait Vedrosius negari à Scoto. quâ id autem fronte, mi Lector? Est ergo hæc prima falsitas Vedrosii in linea ipsius prima, p. 180.

Secunda falsitas est in linea secunda, ubi ait Vedrosius: *Ioannes Duns non attribuit Inventionem transubstantiationis Doctoribus illis & seculis fortunatioribus.* Atqui Scotus nullibi utitur impiâ ista voce, *Inventio transubstantiationis*, quasi vel à prioribus, vel à posterioribus primùm seculis aut Pontificibus inventa sit. A nullo homine est inventa, ô Vedrosi, sed à Christo divinitus, per omnipotentiam suam facta est Transubstantiatio in Eucharistiæ institutione, tum, cùm dixit: *Hoc est corpus meum*: hæc ergo & secunda falsitas est, & secunda injuria, quâ Doctorem subtilem Vedrosius afficit, dum ita rem malitiosè proponit, quasi hæc Scoti verba forent de *Inventione Transubstantiationis.*

Linea secunda, & falsitas itē secunda.

XI.

Linea tertia, & falsitas tertia.

Tertia falsitas est in tertia linea, cùm ait Vedrosius, quasi ex calamo Scoti: *Transubstantiationē attulisse abominationem desolationis Venerabili Dominicæ Cœnæ Sacramento* Non transubstantiatio, sed hæresis vestra contra illam, affert & *abominationem* DEO in Sacramento abscondito, vobis autem, nisi resipiscitis, damnationem æternam.

4. 5. 6. 7. falsitas in 4. 5. 6. & 7. lin.

Quarta, quinta, sexta & septima falsitas & injuria simul, Scoto irrogata, conglobantur in quarta, quinta, sexta, & septima linea Vedrosiana, dum scribere audet:

Scotus rotundè profitetur, non nisi post periculosum Lateranense Decretum sub Innocentio III. conditum, anno demum 1215. obstetricante ubique barbarie editum, substantialem illam conversionem in rem judicatam abiisse, & inter necessarios fidei articulos relatam fuisse. Ita Vedrosius. Quis autem hæc legens non judicet, hisce, aut similibus verbis Scotum contra Lateranense illud Concilium, & ipsam Transubstantiationem quasi debacchatum fuisse; cùm horum nihil omnino, aut simile quid in Scoto reperias, quin potiùs omni reverentia eum Lateranense Concilium decretúmque

túmque ipsius & recepisse, & in hoc ipso articulo secutum fuisse. Ecce verba ipsius Scoti, dicta dist. XI. q. 3. n. 13. ubi apertissimè sententiam Catholicam ad hunc modum amplectitur, quæ exscribo ex ipso Scoto, Antverpiæ anno 1620. impresso. *Principaliter*, inquit Scotus, *tenendum est de Sacramentis, sicut tenet Sancta Romana Ecclesia, sicut habetur, extra de hæreticis, ad abolendam. nunc autem Ipsa* (Romana Ecclesia) *tenet Panem transubstantiari in Corpus, & Vinum in Sanguinem, sicut manifestè habetur, Extra de Summa Trinitate & Fide Catholica. Firmiter credimus, §. Una vero. ubi dicitur: Ipse IESUS Christus Sacerdos est, & Sacrificium; cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris veraciter continetur, Transubstantiatis, Pane in Corpus, & vino in Sanguinem, potestate divinâ.* Ecce verba Concilij illius Lateranensis, quæ exscripsit Scotus, & sine ulla contradictione amplexus est. & paulò pòst n. 15. laudat his verbis dictum Concilium Lateranense: *Ad tertium argumentum dicendum est*, inquit Scotus, *quod Ecclesia declaravit, istum intellectum* (de transubstantiatione Eucharistica nimirum) *esse de veritate fidei, in illo Symbolo, edito sub Innocentio Tertio, in Concilio Lateranensi: Firmiter credimus &c. sicut allegatum est superius. Ubi* (in Concilio scil. Lateranensi, & decreto ejus. *Firmiter credimus &c.*) *ponitur veritas aliquorum credendorum magis explicitè, quàm habebatur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Niceni. Et breviter: quidquid ibi dicitur* (in decreto scilicet & Symbolo Concilij illius Lateranensis) *esse credendum, tenendum est, esse de substantia fidei, & hoc post istam declarationem solennem factam ab Ecclesia.* Ita Doctor subtilis, Joannes Scotus verè Catholicè. Ex quibus Scoti formalibus verbis patet, sequentia omnia falsa esse, quæ ei Vedrosius impingit. *primò falsum* est Doctorem hunc nostrum Catholicum Scotum, ullo modo sugillasse, ut Vedrosius præfert, Concilium Lateranense, quod vidimus eum summa cum reverentia, ut par erat, suscepisse & secutum fuisse. *Falsum est secundo* Scotum vel verbulo insinuasse Concilium illud Lateranense & *decretum* ipsius fuisse *periculosum*, quod Vedrosius ipsi affingit, dum ita rem proponit,

Scotus cum omni reverentia suscipit Concilium Lateranense, Romæ habitum, cùm contrarium falsò insinuet Vedrosius.

Ipsis formalibus Concilij verbis inhæret Scotus.

Et omnia docet tenenda, quæ Concilium hoc credenda proponit, nominatímque Transubstantiationem.

XIII.

ut ea, quæ dicit suo illo §. *Certè.* videri possint non à Vedrosio, sed à Scoto dicta. *falsum est tertiò*, quasi vel verbulo unico Scotus indicarit, Decretum illud Lateranense de Transsubstantiatione Eucharistica, à Concilio illo, *barbarie obstetricante esse editum.* Nihil horum cogitavit Scotus. Neutiquam enim barbarum illud seculum fuit, quod Concilium illud IV. Lateranense & præcessit immediatè, & secutum est, utpote in quo vixerunt S. Bernardus, Petrus Cluniacensis, Hugo de S. Victore, Richardus de S. Victore, Canonicus Regularis, vir doctissimus, & peræquè Sanctus, Petrus Lombardus, Magister ille sententiarum, & ipse denique Innocentius III. Pontifex, vir multo doctissimus, ita ut eum inter Doctores Ecclesiæ sui temporis, etiam Magdeburgenses Centuriatores referant. Et hi omnes ante Concilium Lateranense: quos statim secuti sunt Honorius Augustodunensis Presbyter, S. Antonius de Padua, S Raymundus de Penna forti, Alexander de Hales &c. ita ut barbarus potiùs ille sit, qui hoc seculum Innocentij III. barbarum ausit appellare, & scribere (*barbarie obstetricante Decretum illud Lateranense esse editum*, ipsomet Scoto quasi stomachante) *Falsum est quarto*, Scotum docuisse, primùm post Concilium illud Lateranense substantialem illam conversionem Eucharisticam inter necessarios fidei articulos esse relatam. Hoc enim nullibi docet Scotus, sed id solùm insinuat n. 15. antè citato, Veritatem hanc fidei magis explicite, id est, apertiùs pro fidei articulo & cognitam & receptam fuisse, ut verba Scoti clarè indicant. In quatuor itaque lineis rursus Vedrosius quatuor falsa commisit, dum scribere est ausus: *Rotundè profitetur Scotus, non nisi post periculosum decretum Lateranense &c.* Nam rotundè hæc omnia negat, non profitetur Scotus, si ipsemet inspiciatur, ut vidimus. posthæc octava Linea Vedrosij, Scotum, dictâ pag. 180 infidelissimè citantis octavam continet & injuriam, & falsitatem, quæ est ista.

Omnia alia imponit ipsi Vedrosius.

Barbarus est, qui tempus Concilij Lateranensis vocat Barbarum.

Rotundè omnia negat Scotus, quæ Vedrosius dicere audet, Scotum rotundè profiteri.

XIV. Octava falsitas Vedrosij in linea sua octava.

Docet Scotus, nullam Scripturæ sententiam reperiri pro transubstantiatione Eucharistica. Ita Vedrosius scribit, sed falsò. Longè enim aliter loquitur Scotus. Nam primò non scribit hoc nisi in

in persona sibi assumpta adversariorum, ut disputantium Doctorum mos est, contrarias quoque sententias, & earum argumenta referre. hoc dum facit Scotus, & num. 5. dictæ distinctionis XI. quæst. 3. sententiam refert eorum, qui docebant, quod panis maneat, & tamen cum ipso verè sit corpus Christi (quæ est hodie etiam Lutheranorum sententia) adfert etiam, istud in persona ipsorum, dicto num. 5. quòd non videatur expresse haberi in scriptura non esse in Eucharistia substantiam panis. contrà Vedrosius hæc ita refert, quasi Scotus ex suomet sensu hoc diceret, quæ prima infidelitas est. Deinde non dicit Scotus, uti narrat Vedrosius, nullam Scripturæ sententiam reperiri pro transubstantiatione, sed ita solùm loquitur: *Non videtur expresse haberi in scriptura, non esse in Eucharistia substantiam panis.* quæ valde diversa sunt. multa enim non videntur minùs diligentibus, & non satis scrutantibus scripturas, non esse in scriptura, quæ ipsi revera insunt. & verò diligentissimus in hac parte Bellarminus noster l. 3. de Sacram. Euchar. c. 19. ex scriptura probat transubstantiationem toto illo capite 19. Denique dato etiam, in scriptura non exstare locum aliquem clarum & expressum pro transubstantiatione, docet tamen rectissimè idem Scotus n. 15 sufficere nobis ad credendam hanc transubstantiationem, auctoritatem Ecclesiæ in Concilio Lateranensi hoc statuentis, & addit: *hunc intellectum à DEO traditum, Ecclesia explicavit, directa in hoc, ut creditur, Spiritu Veritatis.* quod est Catholicissimè dictum.

Quæ ex alieno sensu Scotus refert, affingit ei Vedrosius, ac si ex proprio diceret.

Catholicissima Scoti sententia de Transubstantiatione.

Quæ omnes Reformatos, Scotum pro se citantes, mirificè cōfundit.

XV.

Nona falsitas Vedrosij in linea nona.

Denique nona linea & sequentes, & ipsæ falsum manifestarium continent. Ait enim Vedrosius. *Scotus scribit, nullam determinationem ecclesiasticam reperiri ante Lateranense illud Concilium, quæ vel expresse doceat, vel ex qua evidenter inferri possit, non manere in Eucharistia post consecrationem panis substantiam.* Ita Vedrosius de Scoto. quod rursus verum non est. Nam Scotus hoc solùm dicit num. 5. in persona adversariorum, non ex sensu suo; & deinceps illis opponit Concilium Lateranense, neq; affirmans, neque negans, aliam etiam anteriorem determinationem ecclesiasti-

siasticam exstare. Et verò si hoc scripsisset Scotus, scilicet nullam aliam determinationem Ecclesiæ, vel summorum Pontificum, antiquiorem de hac transubstantiatione exstare, verum non scripsisset. Nam exstat anterior & antiquior Ecclesiæ determinatio in Concilio Romano sub Gregorio VII. Pontifice, Maximo, teste Card. Bellarm. l. 3. de Euchar. c. 23. mihi pag. 574. Edit. Paris. 1608.

Ohe! jam satis est. Ohe! Vedrosi. Ecce sic impugnamur Catholici. NB. NB. NB.

Et sic per mera, pura puta falsa, inde à prima linea, usque ad ultimam, citavit Scotum, subtilem Doctorem, parùm profectò in hoc subtilis Vedrosius, & Doctori huic maximo injuriam fecit longè maximam. Quid verò hîc dicam aliud, nisi Evangelicum & Dominicum illud, Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt, & Duces cæcorum?*

Hæc pro honore DEI in Eucharistia *absconditi*, ut hostes Ipsius qui nisi quod capiunt, credunt nihil, miraculum hoc, & *memoriam mirabilium* DEI cessent maledicere, illúdque *Inventionem humanam* per tot falsa probare velle, DEO, hominibúsque per hoc injuriosi.

Recapitulatio falsorum, sed non nisi manifestissimorum in hoc opere, & omnibus propè aliis Reformatorum operibus occurentium.

Recapitulantur falsa in gratiam deceptorũ; ceu scopuli naufragiis infames,

RECAPITULARE hoc loco, & occasione placuit, & regrediendo unà cum Lectore meo, si possumus, numerare, inq; brevem summam colligere falsa, sed non nisi manifestissima, & planè palpabilia falsa, quæ non tantùm in hoc opere Vedrosiano, sed in omnibus aliorum quoque Reformatorum scriptis, quia facere aliter non possunt, sentias, si legas occurrere: quæ peritis quidem ridiculæ umbræ, imperitis verò, quorum semper major est numerus, sævissimi SCOPULI sunt, ad quos tot millium salus, eheu! naufragium facit miserabile: quos ostendere talibus, Ipsorum æternùm interest.

I. Sco-

I. *Scopulus* falsitatis Reformatæ. Primatus Romanus, inquiunt, primum auctorem & largitorem habet Tyrannum, Phocam scilicet Græcum Imperatorem, à quo cum Bonifacius III. aut primus, aut primarius Antichristus Romanus emendicavit circa annum primùm 606. à Christo nato. Ita Vedrosius pag 36. §. *Si omnes.* & cum Vedrosio omnes passim Reformati, quin etiam Lutherani scriptores, quam esse falsitatem & manifestissimam, & propudiosissimam ostensum est à me P. 1. S. 4. c. 1. a. 2. pag. 42. 1. Scopulus circa Primatú Pontificis.

II. *Scopulus* admodum infamis. Missa, *inquit Vedrosius Sect. 4. in Exam. Documenti XII.* primis quadringentis vel quingentis annis in usu non fuit: aut si fuit in usu, pro Sacrificio non est agnita, neque ad ægros vel moribundos ut deferretur, asservata. quæ est trina manifestissima falsitas, ut ostendo, & oculis ipsis ingero suprà P. 1. Sect. 4. c. 2. a. 3. n. 5. pag. 91. & seqq. 2. Circa Missam.

III. *Scopulus infamis.* Ait præfractè Vedrosius, pag. 64. Confessionem auricularem seculo primùm duodecimo ab Innocentio III. statâ lege introductam fuisse. hujus dicti Vedrosiani falsitas manifesta exhibetur tibi suprà P. 1. S. 4. c. 2. art. 4. n. 3. pag. 96. 3. Circa Confessionem.

IV. *Scopulus* infamiâ plenissimus. In Synodo Nicæna, inquit Vedrosius pag. 93. conjugiorum usus Ministris Ecclesiæ est concessus, assentiente omni Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum choro. quod falsissimum esse, & directissimè contrarium in Synodo illa statutum fuisse, ostenditur ex ipsis Synodi verbis, P. 1. S. 4. c. 5. a. 2. pag. 141. sub fin. 4. Circa conjugium Sacerdotum.

V. *Scopulus* infamis. Nulla apud Veteres Voti, majoris perfectionis nulla, nulla supererogationis mentio nec apud Cyprianum, nec Chrysostomum, nec Augustinum citatos (à D. Georgio scil.) Ita Vedrosius pag. 98. §. *fatemur.* Loquitur autem de consiliis evangelicis, & hæc omnia de ipsis negat falsissimò, uti non spectabile solùm, sed & palpabile redditur à me P. 1. S. 4. c. 5. art. 3. pag. 147. 148. & seqq. 5. Circa Consilia Evangelica & vota.

VI. *Scopulus* infamis non Vedrosii solius, sed Reformato- 6.

Circa invocationem Sanctorũ. rum omnium? Sanctos in prima Ecclesia invocatos non fuisse. Ita cum aliis Vedrosius Sect. 4. pag. 101. & seqq. cujus evidentissimum contrarium ostenditur à me suprà P. 1. S. 7. art. 9. pag. 159. & seqq. ubi pervulgatissimum, apertissimumq; hoc mendacium coronatur.

7. Circa usum & cultum Imaginum. VII. *Scopulus* infamis. Seculo demum sexto receptæ sunt Imagines. Ita Vedrosius, nec solus, pag. 112. Et hoc coronâ dignum esse monstratur, oculisque & manibus & videndum & palpandum objicitur suprà P. 3 S. 4. c. 6. art. 3. tribus bene longis §§.

8. Circa Purgatorium. VIII. *Scopulus* infamis. Antiqui primitivæ Ecclesiæ Patres, & maximè Græci Purgatorium non agnoverunt. Ita Vedrosius pag. 113. cujus dicti falsitas pudenda exhibetur Lectori P. 1. S. 4. c. 6. art. 4. toto.

Et hæc pauca solùm de multis in exemplum & specimen. Marginales notas nostras, si vel levi oculo obieris, multò invenies plures, nec minùs pudendas. Ecce sic decipitis miserrimum populum, qui vobis velut veracibus credit. Sic enim firmissimè, sed & falsissimè simul, credunt vestri non suâ tamen, sed vestrâ culpâ, & Primatum Petri, & SS. Missæ Sacrificium, & Invocationem Sanctorum, & cultum Imaginum, & Confessionem auricularem, & Purgatorium à Catholicis hodiernis assertum, & Cœlibatum Sacerdotum, & Vota Monastica, &c. meras esse novitates, mera Pontificum commenta, & tormenta. Quæ autem, obsecro te, bone Lector, quæ esse potest ibi Religio, ubi *Spiritus Mendacij* tam manifestè regnat? Sepone alia omnia, si placet, hoc unum coram DEO expende, & rebus posthac tuis melius consules; nisi inter illos velis censeri, quibus regnum Cœlorum manifestissimis verbis S. Scriptura occludit Apoc. 22. v. 15. ubi cùm Apostolus *veneficos, & homicidas, & idololatras foras* misisset, è cœlo scilicet, addit: *Et omnis, qui amat & facit mendacium.* Quodsi autem etiam deinceps inter hos *amantes* esse volueris, inter beatos ah! nunquam eris.

Qui amant mendaciũ, cœlo jam sunt exclusi.

ARTI-

c c A

ARTICVLVS XI.

Quæstio illa exenteratur: Ubi Calvini fides fuerit ante Calvinum? sive de Novitate sectæ Calvinianæ, & quid ad objecta respondeant Reformati.

OMnium seculorum consensus habet, nullo indicio hæresin aliquam clariùs agnosci, quàm indicio Novitatis, si scilicet doctrinæ afferantur ita novæ & insolentes, ut assignari non possit ulla Ecclesia ex antiquis, hæresi tali antiquior, quæ idem cum ipsa senserit. Hoc indicium Paulus ipse Apostolicis suis scriptis inseruit, dum 1. Tim. 6. ℣. 20. ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum* (multóque magis doctrinarum) NOVITATES & *oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt:* quæ verba Pauli *S. Vincentius Lirinensis, in Commonitorio suo*, elegantissimè sic exponit: *O Timothee, depositum*, id est, doctrinam Catholicam, universalem, unam eandémque per singulas ætatum successiones, incorrupta veritatis traditione manantem, & usque in secula, sine fine mansuram *custodi. Devitans*, quasi viperam, quasi basiliscum, *profanas*, id est, quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, à sacra fide, Ecclesia, Religione alienas, *Vocum*, id est, dogmatum, rerum, sententiarum, & consequenter sermonum *Novitates*: quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ. Si vitanda est *Novitas*, retinenda est antiquitas: *Si profana est novitas*, sacrata est vetustas. Ita Vincentius. Audi Vedrosi, quemadmodum novitates vestras, verè profanas & ab omni religione alienas, & odisse, & studiosissimè devitare jubeamur ab eo, quem tu non semel in tuo opusculo laudasti, Lirinensi, qui sic sapientissimè pergit, & instat: *Si novitates*, inquit, *recipiantur, necesse est, ut fides beatorum Patrum aut tota, aut certè magna ex parte violetur: necesse est, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti,* casti,

I. Novitas certissima hæreseos nota ex S. Paulo.

Paulina sententia à S. Vincentio Lirinensi pulcherrimè explanata.

casti, virgines, omnes Clerici, Levitæ, Sacerdotes; tot Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas & multitudo; tot Insulæ, Provinciæ, Regiones, Gentes, Regna, Nationes, totus postremo terrarum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet, pronuntietur. Audi iterum, & ex his tam Sancti viri verbis disce, quare ceu basiliscum, scorpionem, viperam, fugerit & vitaverit sectam vestram Reformatam D. Georgius, *ne recipiendo vestras novitates, totum orbem, Christo Capiti per fidem Catholicam incorporatum, tanto seculorum tractu*, ante Calvini tui adventum *ignorasse, quid crederet, errasse, blasphemasse*, concedere pudendâ confessione deberet.

Hæc itaque sententia D. Georgiũ meritò cõvertit.

II. Hanc itaque *profanam novitatem* vestram, ceu trigesimam quintam conversionis suæ Rationem, pag. 393 & seqq. rectissimè D. Georgius vobis proponit, in qua meritò vos irridet, quod jussi edicere, quinam ante Calvinum, sive primis, sive ultimis, sive mediis quingentis annis, eadem cum Calvino docuerint; non alios quàm Waldenses, passim ab omnibus pro hæreticis & quidem pro indoctissimis hæreticis habitos, itemque Albigenses, & Picardos producere & possitis, & soleatis, sicut Molinæus vester, qui tibi, Vedrosi, *de Ecclesia Jesu Christi meritissimus Theologus est*, apud D. Georgium pag. 394. citatus facit, & hos idiotas, *veros Christi fideles* appellat, & dolet, *homines tam pios sub exosis VValdensium, Albigensium, Bulgarorum seu Picardorum nominibus indigitatos.* gloriatur exin, etsi falsò, dictorum hæreticorum Confessiones fidei omnino conformes esse suæ (id est, Calvinisticæ fidei formæ) & sic amoliri se putat ab Ecclesia Calviniana Novitatis notam, quàm tamen hoc ipso sibi & suis magis etiam inurit, cùm isti ipsi, ob Novitatem, pro hæreticis passim habiti sint, ut qui omnes post millesimum primùm Christi annum sunt exorti. Waldenses quidem sub annum 1170. auctore Waldone quodam cive Lugdunensi, homine penitus illiterato. Albigenses autem sexennio post, nimirum anno 1176. in Provincia Tolosana, qui magnam partem hæresin Manichæo-

Reformati, jussi majores suos ex antiquitate producere, non producunt alios, nisi Homines novos, & Hæreticos manifestos;

Ut Waldenses,

Albigenses.

chæorum ex orco reduxerunt, duo quoque, ſicut Manichæi, Principia ſtatuentes, unum bonum, ſcilicet DEUM; alterum malum ſcilicet Diabolum. Ex his Deum ajebant creare animas, Diabolum verò corpora, teſtibus Prateolo & Sandero. inſuper & ipſam quoque reſurrectionem negabant, & Purgatorium, & Infernum, ſed & baptiſmum tanquam inutilem & ſupervacaneum rejiciebant. Picardi autem, qui & Novi Adamitæ, ſub annum 1414. primùm ebullierunt, auctore Picardo quodam Flandro, qui ſuos jubebat ire nudos (unde Adamitæ ſunt dicti) & commiſceri inter ſe viros & mulieres promiſcuè & indifferenter, Cynico, imò beſtiarum more, permittebat, ſeipſum verò pro Filio DEI venditabat, Adami ſibi nomine aſſumpto. *Vide Prateolum, Sanderum, & alios.* Hos turpiſſimos hæreticos pro majoribus Reformatorum agnoſcit & veneratur Molinæus, & aſſentitur eidem Vedroſius. Hos unos habent, quos producant, cùm urgentur, ut nominent illos, qui ante Calvinum Calviniſtice ſenſerint, ſummo ſuo probro. De Waldenſibus quid dicam? Templa omnia, omnéſque Eccleſias ſubvertendas eſſe docebant, ſive Sanctorum nominibus ornatæ eſſent, ſive non eſſent. *V. Caſtro Verb. Templum*; precationem aliam nullam niſi orationem Dominicam admittendam clamabant; Symbolum Apoſtolorum contemnebant; inſuper ſupra omnes Epicuri porcos, carnalem omnem commixtionem permittebant, dum concupiſcentia ferveret, ut videre eſt apud Prateolum, Caſtro, & Sanderum. Hos autem beſtiarios quis pro majoribus ſuis agnoſcat? quis novos hos Manichæos? quis etiam de ijs ceu majoribus ſuis auſit gloriari? Miſeri Reformati Miniſtri, in anguſtias conjecti hoc faciunt, aut facere potiùs coguntur, tum ſcilicet, cùm majores ſuos, qui ante Calvinum eadem cum ipſis in rebus fidei ſenſerint, edicere urgentur, quando alij nulli ſuppetunt, quos producant. Et cur iſtos tam fœdos, tam ſceleratos, tam belluinos? quia in ipſorum hæreticis doctrinis inveniunt quaſdam ſuis dogmatibus conformes, ut quòd omnem Papæ obedientiam recuſarint, Confirmationis & extremæ unctio-

Picardos, beſtiarum more vivere ſolitos.

III. Quales fuerint Waldenſes.

Novi ſcilicet Manichæi & Epicurei.

Cur tales pro majoribus ſuis recipiant Reformati?

ctionis sacramenta cum omnibus Indulgentiis &c. rejecerint, uti fecere Waldenses, & ex parte etiam Albigenses, qui etiam de Eucharist. â more Calvinistico docebant, nullum in ea Corpus Domini agnoscentes. (ut alios horum Albigensium fœdissimos errores præteream) hinc pro fratribus & Patribus, ejusdemque fidei consortibus agnoscuntur. O consortium turpissimum!

IV. Quid autem ad ista Vedrosius? quædam enim pag. 180. respondere conatur. Ait cum Molinæo suo, *quæstionem hanc, ubi gentium aut locorum, Religio Reformatorum extiterit ante Calvinum, esse subdolam, absurdam, denique & iniquam.* Itáne, mi Molinæe, itáne mi Vedrosi, absurdum vobis & iniquum est, quo vos capi, & inextricabiliter intricari animadvertitis? Sic absurda & iniqua esse retia, omnes pisces clamabunt, & apri cervíque, & turdi ac coturnices, quia concludendis ipsis inventa sunt; omnes contrà & piscatores, & venatores, & aucupes negabunt. An absurdi fuere Sancti Patres, aliíque Doctores veteres, qui his iisdem retibus vestros majores, antiquos, inquam, hæreticos & ceperunt & confuderunt? quàm notum etiam vobis est illud Tertulliani, quo omnes sectarios quæstioni, & veluti tormento subjicit, cùm ita solet quærere: *Qui estis, & unde venistis? Edite origines vestras &c.* sed absurda hæc esse tormenta, & equuleos istos, omnes rei vociferabuntur. procul ergo tormenta, equuleos procul! Atqui clamores hos Judex non exaudit, sed ridet; aut duplicari etiam tormenta mandat.

Non placet Molinæo & Vedrosio hæc de majoribus ipsorum Interrogatio.

Subdolam esse ajunt, & captiosam.

Atqui eâ omnes antiqui rectissimè sunt usi.

Sed scelera & impia dogmata dictorum Waldensium, Albigensium & Picardorum, quæ suprà enumeravimus, quomodo defendit Vedrosius? Primùm negat pag. 180. eos talia aut fecisse, aut docuisse, sed ab adversariis ad conflandum iis odium conficta fuisse. Itáne, quidquid contra vos aut Majores vestros Historici quicunque scribunt, mera figmenta & mendacia sunt, ad odium bonis viris conflandum: quidquid autem vestri Hospiniani, Balæi, Wolfij, Molinæi & Calvini contra Romanos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Laicos denique & Ecclesiasticos

Quæ de VValdensibus suprà sunt dicta, vera esse negat Vedrosius.

Catho-

Catholicos scripto ediderunt, ipsa Evangelica veritas est? In quo *staterâ dolosâ* utimini, vos Reformati, aliter ponderantes, quæcumque contra Catholicos undequaque corradi ex scriptoribus possunt, aliter quæcumque contra vos afferuntur. Atqui *statera dolosa abominatio est apud DEUM.* Proverb. XI. v. 1. Hac ratione non evadis, mi bone Vedrosi. Quàm facilè hæc asseris omnia conficta esse, tam ego facilè cum omnibus Catholicis nego. Deinde cum Stukio, sive Lutherano, sive Calviniano scriptore errores illos Waldensium, Albigensium, &c. ait Vedrosius, non nisi *stipulas fuisse, quæ fundamentum salutis non læderent.* Quis hîc risum contineat? non credere resurrectionem, an non nisi stipula est? non credebant Albigenses, ut hoc unum exempli gratiâ ponam; nam plurimos alios horrendos errores alebant. Promiscuam libidinem, cùm concupiscentia fervet, docere, licitam esse & peccato omni carere, an solùm stipula est? Credidere hoc, & docuere Waldenses & Picardi, ut alios eorum nefandos errores prætereamus. Stipulæ omnino sunt, sed rogo olim infernali injiciendæ.

Statera dolosa Vedrosij.

Sic non evadis.

V.

VValdensiū errores non nisi stipulas fuisse, ait Vedrosius.

R. Stipulæ erant, sed rogo infernali dignæ.

Quòd ulteriùs pag. 182. pluribus docet Vedrosius, ex Confessione Picardorum Regi Hungariæ Uladislao oblata; ex confessione quoque nescio quarum Ecclesiarum Provinciæ, Senatui Aquensi anno 1520. exhibita; ex Jacobi Thuani historiæ l. 6. &c in pluribus capitibus Waldenses, Picardos & similes eadem sensisse ante ducentos, vel etiam quadringentos annos, cum hodiernis Reformatis, id ei libentissimè ultro concedimus. Quin & his multò antiquiores adjicimus ex prima statim Ecclesia, Arrianos scilicet & Aërianos, Eunomianos & Manichæos, &c, qui prorsus eadem vobiscum, ô Reformati, senserunt, ut supra latissimè ostensum est. Istud autem num ad defensionem, ac non potiùs ad condemnationem vestram facit?

Per nos Catholicos licet, ut his Majoribus glorientur Reformati.

Quæ de Waldensibus, piissimis scilicet hominibus, & melioribus, quàm ipsi Catholici sint, etiam judicio Regis Christianissimi, Ludovici XII. ex Carolo Molinæo Calvinistâ affert, pagina

VI.

gina 182. Vedrosius, meritò nobis suspectissima sunt. Si autem ex Paulo Æmilio, & similibus, omnium judicio probatis historicis Gallicanis, eadem hæc potueris referre, tum demum fidem longè aliam mereberis. Pij nunquam fuerunt, qui Novatores & sic hæretici fuerunt; uti fuerunt Waldenses. Et hi tamen ipsi, uti & Albigenses & Picardi, neutiquam consentiebant in dogmatibus fidei cum Reformatis hodiernis, ità ut frustra eos in patrocinium, quantumvis miserum, amoliendæ à se Novitati advocent. Nam in præcipuis quibusdam fidei articulis ab ipsis, Reformatis, inquam, dissenserunt, uti hodiéque Lutherani dissentiunt. Et Waldenses quidem plura quàm duo tantùm Sacramenta admittebant, & hæc inter Confessionem auricularem, quam tantopere Reformati detestantur. Ordines quoque sacros, Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum recipiebant. In præcipuo itaque capite, doctrinæ de Sacramentis à Reformatis dissentiebant, ut de aliis articulis taceam. Albigenses verò totum Testamentum vetus rejiciebant. Omnes Testamenti veteris Patres damnatos esse asserebant. Joannem Baptistam unum esse ex majoribus dæmonibus, & quod dictu horrendissimum est, illum Christum qui in Bethlehem natus, & Solymæ Cruci affixus fuerit, hominem malum, & Magdalenam concubinam ipsius fuisse blasphemabant. Hi autem tam blasphemi hæretici an fratres & fœderati vestri sunt, ò Reformati? pro talibus certè veneratur ipsos unà cum Waldensibus *Beza* vester *in Iconibus, & à testatissima vitæ innocentia, ac Religionis puritate* commendat. & cur? quia Romanam Ecclesiam speluncam esse latronum, & meretricem illam Babylonicam in Apocalypsi descriptam vociferabantur; quod ita Reformatis, eorum utique fœderatis, placet, ut oculis ad omnes reliquas blasphemias eorum clausis, fratrum eos nomine dignentur, quam fraternitatem hominum impiissimorum nemo ipsis unquam invideat. Quæ autem hoc loco scripsi de Albigensibus, ea totidem verbis, antiquus scriptor tradidit, Petrus Vallis-Sarnensis, testis oculatus eorum quæ scripsit, in

Sed & vanè gloriantur de VValdensibus, utpote qui à Fide Reformatorum plurimùm dissenserunt.

in Historia sua peculiari, quam de Albigensibus reliquit. Idem ostendi potest de Picardis in Bohemia. Nam & hi quatuor admittebant Sacramenta, fatente ipso Molinæo, Baptismum scil. Eucharistiam, Matrimonium & Sacerdotium. Iidem teste ipso Sculteto, annal. Dec. 1. de Sacramento Eucharistiæ ita sentiunt, quòd Christus sub pane & vino sit corporaliter; quòd vinum & panem, qui visibiliter accipiat, verè naturaliter carnem & sanguinem ejus, qui sedeat ad dexteram Patris, sed invisibiliter accipiat. An hæc Reformatorum dogmatibus conformia sunt? Mera ergo rursum falsitas est, sive VValdensium, sive Albigensium, sive Picardorum doctrinas consanguinitatem cum Reformata habere, atque ita manet indefensa penitus, nudissima, nullóque tegenda velo Novitas Reformata. Cùm ergo nullos in Europa consanguineos reperiat bonus Vedrosius, in Asiam usque & Africam navigat, & consanguineos, eadem secum sentientes ibidem quærit.

Vanissimè autem de Albigensibus, utpote hominibus sceleratissimis.

Sicut & de Picardis, qui dissentiunt.

VII. Vedrosius maria tranat, ut consanguineos & majores inveniat.

Ecclesias Æthiopicas secum in præcipuis fidei capitibus conspirare scribit pag. 183. *ut ut retineant minutulas quasdam superstitiones.* (verba sunt Vedrosij) O mi Vedrosi, quo vos adigunt angustiæ, quæ ex omni parte vos arctant! Ecclesiæ Æthiopicæ Missam summa cum pietate celebrant, & exstat passim Æthiopica Missa, sive ordo Missæ Æthiopicæ apud eos, qui Liturgias antiquas collegerunt. Iidem Æthiopes, etsi schismatici hoc tempore, septem tamen Sacramenta cum Ecclesia Græca recipiunt. Recipiunt & antiqua illa tria Concilia œcumenica sine exceptione, scilicet Nicenum I. Constantinopolitanum I. & Ephesium I. uti Vedrosius dicta pag. ex Claudij Regis Æthiopum litteris anno 1555. datis ipse commemorat, in qua tota commemoratione nihil prorsus est, quod Vedrosij caussam juvet, multa autem quæ eandem prosternant; ut est Conciliorum illorum trium œcumenicorum sine exceptione receptio, quæ Reformati eatenus solùm magnificis fictisque verbis recipiunt, quatenus ea sibi servire existimant, uti fusè suprà ostendimus.

Quærit in ipsa Æthiopia:

Nec invenit.

VIII. Ex Africa exin pag. ead. in Asiam & Orientem trajicit, aut pervolat potiùs, & orientales cunctas Ecclesias, Græcas præsertim, cùm non audeat scribere, eadem cum Reformatis sentire, ait tamen, eas propiùs accedere ad Ecclesiam Reformatam in dogmatibus suis, quàm ad Romanam. Eorum vero dogmatum ponit quatuor. *primum*, quòd Papam æquè non agnoscant ac Reformati. O bone! hoc non dogma, sed error Græcorum & schisma est, quod divina Justitia, servitute Turcicâ vindicavit. *Alterum*; quòd Purgatorium perinde, ac Reformati non credant. falleris hîc, & fallis, Vedrosi. Purgatorium Græcæ Ecclesiæ neutiquam negant, sed de modo solùm, quo torqueantur animæ, disceptant, an igne, an modis aliis? Vide de hoc doctissimum Leonem Allatium in Consensu Latinæ & Græcæ Ecclesiæ. *Tertium*, quòd Indulgentias ignorant. Respondeo errorem hunc tertium ex primo consequi. Papales Indulgentias, utpote Schismatici repudiant, ipsam verò potestatem Indulgentiarum à Christo datam non inficiantur, quod vos facitis: cúmque Purgatorium dicto modo recipiant, Indulgentias rejiciendi caussam nullam habent. Purgatorium autem recipi à Græcis ipsimet professi sunt in Concil Ferrar. Sess. 1. Quod si quidam eorum non recipiunt, non est hoc dogma, sed hæresis illorum Græcorum; quæ vobis tam parum patrocinatur, quàm Aërij Arriani antiquus error, qui primus Purgatorium, teste Bellarmino, negavit. *Quartum*, quòd Sacerdotes habeant conjugatos. neque hoc quidquam patrocinij Vedrosio affert; quia Sacerdotes nullos habent Reformati, ut à Græcis ad suos argumententur. Meri enim Laici sunt Ministri vestri, nulláque ordinatione à plebeis discreti. Deinde sicut Moses, teste Christo, permisit Judæis repudium, ob duritiem cordis ipsorum, ita & Ecclesia Romana Græcis Sacerdotibus conjugium. Denique neque hos Græcos Schismaticos consanguineos vobis invidemus, utpote schismatis, tantopere DEO detestati, consortes. Ceterùm quàm amici vobis & doctrinis vestris Græci cum Ecclesiis suis sint, scripto manifestissimo circa annum Domini

Quærit in Græcia apud Schismaticos. Sed ibi quoq; operam perdit.

Græci Purgatorium nō negant, ut fingit Vedrosius.

Indulgentias non spernunt.

Uxoribus utuntur Sacerdotes Græci, sed permissu Ecclesiæ Romanæ.

1570. Græcus ille Patriarcha Jeremias demonstravit, qui pleraque dogmata vestra, quæ vobis cum Lutheranis communia sunt, ceu hæretica & rejecit & detestatus est, & anathema illis omnibus dixit. Exhibete, si audetis, scriptum illud Patriarchale, in quo judicium Græcæ Ecclesiæ Jeremias ille & Lutheranis, & vobis simul, Constantinopoli transmisit; & patebit, quàm verè hæc de consanguinitate Græcorum majori cum sua Reformata Ecclesia quàm cum Romana nostra, Vedrosius scripserit. Nihil editum hucusque est, mi Lector, quod Lutheranos simul ac Reformatos tantopere confundat, atque scriptum, de quo dixi, quod sæpius in Europa nostra typis est editum, & in omnibus præcipuis Bibliothecis reperitur. Ecce quàm inanis sit ista quoque gloriatio tua, Vedrosi.

IX. Græcus Patriarcha detestatus est si iem Protestantium. Ita favet.

Sed excipit Vedrosius pag. 183. & Jeremiæ Patriarchæ, Cyrillum recentiorem Patriarcham Constantinopolitanum, nobis opponit, qui Calvinistarum dogmata approbârit, & reipsa Calvinista fuerit. Ita est, Vedrosi, novimus hunc Cyrillum, de quo multus mihi olim sermo fuit cum Illustrissimo viro D. Barone de Schvvarzenhorn, Legato olim Cæsareo, & per plurimos annos Residente Constantinopoli, qui hæc omnia exactè noverat, utpote propè in oculis suis gesta. Fuit omnino Patriarcha ille seductus à Calviniano quodam Ministro Batavo, quem secum Constantinopolim Legatus Batavus adduxerat. Subscripsit is, sed privato solùm, non Ecclesiarum Græcanicarum nomine (quod fingit Vedrosius) Confessioni Calvinisticæ à Batavo sibi exhibitæ: fuit autem Cyrillus hic Candiota gente, sive ex Insula Creta seu Candia oriundus, Luggari cognomento; paulò tamen pòst, cùm odium suorum ingens incurrisset, accusatus apud Turcarum Imperatorem, ejúsque jussu strangulatus est. quem proinde inter Martyres vestros referre potestis. Sed quid hoc ad summam rei, quam tractamus? Cyrillus Luggari subscripsit Confessioni Calvinisticæ, Patriarcha Græcus. Ergo Ecclesia Græca cum Reformatis sentit? Cecidit ipse in errores vestros, non traxit secum alios. Huic tuo Cyrillo

X. Patriarchæ Græco Jeremiæ, damnanti Reformatos, opponit Vedrosius Patriarcham juniorem approbantem; Cyrillum.

Verum est, quod hic tradit Vedrosius, sed nihil eum juvat.

Cyrillo Calviniano opponitur alius Cyrillus Patriarcha Catholicus.

rillo Luggari, alium Cyrillum, de Verréa dictum, posteriorem Patriarcham Græcum oppono, qui omnia Reformatorum dogmata detestatus est, & fidei Romanæ ex animo subscripsit, ejúsque Summo Antistiti, Urbano VIII. penitus se subjecit, internuntio in his omnibus, dicto Illustrissimo Barone Schwarzenhornio, hujus autem confessionis suæ præmium gloriosam mortem tulit; nam adnitentibus inimicis fidei Catholicæ in Barbariam abductus, cùm restis gutturi ejus elidendo, ter circumponeretur, ter dissiluisse dicitur, ac tum demum mortem Cyrillo intulisse, DEO antiqua cum Confessoribus suis miracula in Cyrillo hoc renovante. Hæc ex ore Illustrissimi D. Legati Cæsarei p. m. accepi, anno 1664. 8. Januarij. Nam & annum & diem diligenter annotavi. Quæ ergo Cyrillum tuum struxisse pro vobis tu gloriaris, eadem destruxisse Cyrillum nostrũ ego cum Catholicis meis gaudeo. Si qua ergo consanguinitas vestra est cum præteritis seculis, ea probrosa est, occultanda potiùs, quàm ostentanda.

XI.

Quæ confœderatio, maxè sacra sit apud Reformatos?

De dissidio Lutheranorum & Reformatorum, quod D. Georgius Ratione sua XXXVI. latè proponit, & D. Vedrosius cùm negare non possit, elevare tamen & extenuare nititur pag. 185. non est operæ pretium vel verbulum addere, cùm toti orbi notissimum sit. Et tamen, si per Ministros Reformatos stetisset, fratrum in loco Lutheranos, quantumvis ipsis infestos, & contraria in plurimis sentientes, amplexi fuissent, ut sic Catalogum augere possent eorũ, qui cum ipsis, in odio præsertim contra Romanam Ecclesiam & Pontificem, consentirent; quæ unica quasi apud Reformatos Fraternitatis, omnisque Confœderationis tessera est. Sed hæc satis. Bonas horas non collocemus in supervacaneis malè. Boni Reformati nullos hodie fratres & fœderatos nisi in Æthiopia, an Utopia? & Græcia, inter Turcas inveniunt; imò quærunt tantùm, & non inveniunt. Vicit ergo iterum D. Georgius, imò ipsa vicit veritas, ostendendo novam prorsus, & sic profanam, & ab omni vera Religione alienam esse Religionem, quam jactant, non habent, Reformati; cùm nec

Non alia, quàm odiũ in Papam & Romanã ejus Ecclesiam.

seculum,

seculum, nec partem seculi ullius, nec Provinciam, imò nec regiunculam, nec urbem, aut etiam urbeculam, aut pagum vel etiam mapale, aut denique familiam unicam, aut etiam hominem vel scriptorem unicum ostendere queant, qui præteritis seculis senserit eadem illis. ostensum simul est, eos ipsos, quos ipsimet, quasi consanguineos doctrinæ suæ producunt, præterquam quòd homines impii & impurissimi fuerint, in præcipuis capitibus doctrinæ, ut sunt doctrinæ de Sacramentis, aliæque, ab hodiernis Reformatis plurimùm discordasse. Vale ergo Novitas profana, salve sancta Antiquitas.

Manet ergo Novitas Reformatorum, nec retro, nec ante inveniunt suæ doctrinæ socios.

ARTICVLVS XII.

De Calumniis, sive falsis criminibus, quæ Ecclesiæ Romanæ imponunt Reformati, ut eam suis odiosam & detestabilem reddant: quæ meritò una ex primariis Rationibus D. Georgio conversionis suæ fuit.

I. SEmper hic Satanæ mos fuit, semper erit, ut per se suósque veram Ecclesiam falsis criminibus, sive calumniis impetat, unde & Diaboli nomen invenit, quod idem esse, ac: *Calumniator*: Græci norunt. Sic Gentiles, diaboli scilicet obsequiis mancipati, & ab eodem instincti, primos Christianos, falsissimis, quæ imposuerunt, & gravissimis simul calumniis onerarunt, ut, quòd in conventiculis suis Infantem jugulent, eúmque inter se dividant ac vorent, venerandum Eucharistiæ mysterium hac ratione traducentes. Accusabantur & promiscui concubitûs in synaxibus & conventibus suis, lucernis in eum finem extinctis, aliorúmque nefandissimorum scelerum. Quin & incendij illius, quo Roma sub Nerone conflagravit, auctores, uti notum est, habiti sunt, & ut tales Romæ immanissimè, teste Tacito & aliis, excruciati. Insuper, quæcumque perfidi Judæi impiè

A primo sui ortu Ecclesia Catholica calumniis est appetita.

agerent, omnia Christianis, ut qui ex Judæis descenderent, imputabantur, de quibus omnibus, si fusiora desideras vide *Tertull. in apolog. c. 7. Justinum Mart. in orat. ad Anton. Origenem l. 7. contra Celsum, Minutium Felicem in Octavio, & alios.* quæ quidem gloria ingens Christianorum temporis illius fuit, quòd ad exemplum Christi Servatoris sui, non nisi innocentiæ rei, imanissimas tum calumnias has, tum occasione harum calumniarum tormenta quoque perpeti digni DEO sunt visi. hac tamen ratione potissimùm multa millia à fide Christi suscipienda deterrita sunt. Eadem Catholici perpetuò non à Gentilibus solùm, sed post extinctum magna parte sub Constantino Gentilismum, ab hæreticis subsequentium seculorum, scil. calumnias perpetuas, & falsissimas nescio quorum scelerum impositiones sunt passi. Semper enim sibi diabolus similis est, easdémque artes, quas bellè sibi successisse olim comperit, omni tempore, etiam hodierno hoc nostro, exercet. Hac arte, & ferali laqueo potissimùm irretitum tanto tempore, se perstitisse in Reformatorum castris, & dolet impensè, & fatetur coram toto orbe liberè D. Georgius, Ratione sua XXVII. miseratúrque tot alios millenos iisdem artibus, calumniis scilicet, in Catholicos, eorúmque dogmata, totis plaustris, & è suggestu, & scripto effusis in statu illo miserabili hodiéque retineri; qui si nossent veritatem ipsam, sine mora D. Georgii exemplum, amore salutis æternæ, sequerentur, quam alibi, quàm apud Catholicam Ecclesiam, S. Athanasio teste & monitore, nemo inveniet.

Et sic multa millia ab ejus ingressu absterrita, dæmone auctore.

II. Eâdem arte hodiéque utitur contra Catholicos.

III. Triginta Calumnias recenset D. Georgius.

Ponit autem D. Georgius ex innumeralibus, tantùm Triginta ejusmodi calumnias, quarum prima est, *Docere Catholicos, Pontificem Romanum non Vicarium solùm, sed successorem planè esse Christi; eodem ideo modo Caput esse Ecclesiæ, quo est & esse potest solus Christus.* Ita Reformati locis à D. Georgio citatis. quod quidem nulli unquam aut uspiam Catholicorum vel in mentem, vel calamum venit. Aut probetur contrarium, si potest.

Secunda Calumnia. *Pontificem idcirco Romanum, tanquam DEUM*

DEVM à Catholicis adorari. de qua postea uberius. Tertia Calumnia. *Eundem Pontificem Romanum, seu Ecclesiam Romanam, sibi auctoritatem arrogare, efficiendi, ut scripta, quæ per se, suáque naturâ Canonica non sunt, Canonica sint, sícque pro Canonicis habeantur.* quæ rursus pura puta calumnia est. Sed supersedeo omnes enumerare, quas apud D. Georgium Rat. 27. pag. 341. 342. & 343 cum admiratione simul, & detestatione leges. Adjicio solùm ultimam.

quas Reformati in Catholicos spargunt.

Ex illis tantùm quatuor Apologista seligit ex. gr.

Trigesima itaque & ultima est, *Ecclesiam Romanam campanis etiam conferre baptismum.* quæ non fœdissima solùm, sed & stolidissima calumnia est, ex eo nata, quòd cùm campanæ à nobis benedicuntur, ritu veteri, nomina iis imponantur, ut alia, v. g. ad distinctionem cęterarum, vocetur S. Georgius, alia S. Gregorius; ad eum modum, quo magnis quoque navibus ad distinctionem nomina imponi solent, ut alia vocetur Philippus, alia Carolus &c. tam ergo stolidum est nos Catholicos ob hanc nominum impositionem (quod aliàs in baptismo fit) arguere, quasi baptizemus campanas, quàm stolidum foret Hispanos, aut Venetos, aut Batavos accusare velle, quasi majora sua navigia sacrilegè baptizent, quia, qualia diximus, iis nomina imponunt. Et hæc pauca de tot Calumniis, non nisi exempli gratiâ.

Quid verò ad has triginta (& pauculæ sunt) Calumnias Reformatorum, quibus detestabilem reddere suis, Romanam Ecclesiam student, & reipsâ reddunt, quid, inquam, ad ista Vedrosius? Miraberis quod dicam, & rursus vicisse D. Georgium fateberis. Non negat vel de unica; & sic concedit, omnia ista hucusque à Reformatis objici solita fuisse Catholicis, in quo confitentem reum (quia aliter non potuit) Vedrosium habemus.

IV.
Nihil horũ negat Vedrosius: Mollit tamen, cùm ait, eas in hodiernos Catholicos non convenire.

Quomodo tamen colorat saltem, ut Calumniæ scelus à se suísque amoliatur? Audi, obsecro, modum. Absolvit quoad omnes istas triginta D. Georgij objectiones, hodiernos Catholicos, aítque nos hisce temporibus meliùs sapere didicisse, & cautiores effectos similia ampliùs non docere: docuisse autem antehac.

hac. præclaram profectò, & ingeniosam prorsus defensionem! Si ergo hodie Catholici talia non docent, cur hodie Catholicis hæc talia objicere audetis, & simplicem lectorem, vel etiam auditorem in Conventiculis vestris, scientes quidem decipere, qui has tales calumnias non de prioribus, qui ante Lutherum & Calvinum vixêre, Catholicis; sed de hodiernis accipiunt, & velut Evangelium aliquod, ita credunt? Sed & alterum falsissimum & confictissimum est, Catholicos antehac, ante ortum scil. Lutheri & Calvini, ita docuisse. Nam quomodo id probat Vedrosius? Non aliter, quàm auctoritate Hottingeri sui, Tigurini Calvinistæ, qui non ita dudum in aquis præfocatus abiit *in locum suum. Hujus rei specimen dedit Cl. Hottingerus, in Scripto suo Hodegetico*, inquit Vedrosius pag. 188. *in quo Ecclesiam primitivam trium primorum post Apostolos seculorum, cum Papismo, qualis ante Reformationem fuit, contulit, & orbi stitit.* Ita Vedrosius. ad quæ hoc solùm respondet Apologista. Quale specimen dederit in Hodegetico suo, vulgo Weegweiser/ Hottingerus, ostendit in Hechelmanno suo Laurentius Forerus; in quo is non specimen, sed plurima specimina collegit enormium falsitatum, falsationum, infidelium citationum &c. quibus Hodegeticum suum opplevit Hottingerus.

Cur ergo hodiernis Catholicis objiciuntur?

V. Nihil itaque probas, Vedrosi, nisi aliter probas. Neque nostris, neque superioribus seculis, unquam nos Catholici, vel uti vos appellare nos mavultis, glorioso vocabulo, nos Papistæ, id est, CHRISTI in terris Vicarii obedientes Filii, nunquam, dico, aut CHRISTO Domino æquiparavimus Pontificem Romanum, aut velut DEUM adorandum docuimus: ut DEI tamen Vicarium, supra omnes alios mortales venerandum, eique obtemperandum in rebus fidei, universi Catholici & docuimus, & docemus hodie orthodoxi omnes, solique hæretici & eorum fratres schismatici negant. Nam quòd DEI vocabulo usi sunt unus altérve Canonistarum, cùm de Romano Pontifice loquerentur, in sensu non proprio, sed improprio sunt locuti, quo sensu, improprio scilicet, ipse etiam Christus, mortales homines illos

Sed nec hodiernis, nec veteribus Catholicis ex vero objiciuntur.

Papám nulli unquam Papistæ adoraverunt ut DEUM.

illos Joan. 10. ℣. 34. *Deos* vocavit, ex psalmo 81. *ad quos sermo DEI factus est: Ego dixi, Dij estis.* cur non in hoc eodem igitur sensu Romani Pontifices, ad quos præ omnibus aliis *sermo Dei*, velut ad Vicarios ipsius, *factus est*, *Dij* possint appellari? An fortè tibi & Hottingero, etiam David & Christus ipse peccarunt, qui mortales homines Deos appellaverunt? imò an Deus quoque Pater in V. T. deliquit in eo, quòd Prophetam Mosen ipsemet vocaverit DEUM, dicens ei Exod. 7. ℣. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis?* Hæc autem vobis surdastris millies respondimus nos Catholici: exigente tamen fame vos nihilominus millies recoquitis hanc crambem, & misellis auditoribus ac Lectoribus vestris apponitis. Manet itaque, quod D. Georgius, & ego asserimus, non nisi per calumnias, vobis, non nobis pudendas, ad instar veterum tum Ethnicorum, tum sectariorum, vos Reformatos Ministros Catholicam Romanam Ecclesiam oppugnare & posse, & solere, & hac unicâ ratione credentes vobis in erroribus detinere. Sed quamdiu detinebitis? non diutius, quàm fraudes vestræ patescant. Et patescunt.

Si calumniæ argumenta forent, dudū vicissent Reformati.

ARTICVLVS XIII.

Blasphemiæ, quas Reformati in Sanctos Patres & Prophetas, Apostolos quoque, & ipsum denique Christum & DEUM effundunt, rectè D. Georgium à Reformatorum Ecclesia abstraxerunt.

HOc confitetur Confessor noster D. Georgius Ratione suâ XXXII. & XXXIII. Hunc autem blasphemandi morem semper hæreticis usitatum fuisse docent sacræ ipsæ litteræ; S. Judas præsertim in sua epistola Canonica, quæ tota in exagitandis & describendis hæreticis versatur. Et versu quidem 10. ita de ijs loquitur; *Hi autem, quæcumque quidem ignorant,* BLASPHE- I.

Hæresis semper blasphema.

 PHE-

PHEMANT: *quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* versu autem 8. sic eos describit & detestatur: *Hi*, inquit, *carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem* BLASPHEMANT. quæ verba Apostoli explicans S. Irenæus l. 1. c. 1. & 20. *Hi sunt*, inquit, *qui exurgunt contra veritatem, & adversus Ecclesiam* DEI; cui scilicet dominatio & imperium in omnes fideles competit. *Per majestatem* autem, quam blasphemant hæretici, Interpretes antiqui tum DEUM ipsum, supremam scilicet Majestatem, tum gloriosos DEI servos & Legatos, ut Prophetas, Apostolos, & SS. Patres intelligunt. qui blasphemias & reprehensiones hæreticorum nunquam evadere potuerunt. Et verò apud Reformatos omnium minimè; id quod D. Georgius Ratione suâ 32. & 33. latè ostendit, & simul tamen parcè nimiùm, gravissimas, quas adducere poterat, omittens; quas ego hîc breviter addam, ne injuriam sibi factam conqueri ullo modo adversarij queant. quod si hîc quædam repetantur jam suprà commemorata, ignosces Lector: ita fieri res exigebat.

§. I.

Blasphemiæ in DEUM.

II. Blasphemiæ Calvini in DEUM.

I. Deum Opt. Max. faciunt propriè dictum auctorem, & non tantum permissorem peccati, imò rident eos, qui cum omnibus Sanctis Scriptoribus docent, DEI solùm permissu peccata perpetrari. Id hoc loco paulò latiùs demonstremus; quod etiam suprà jam tetigimus.

1. Deus Calvino non permissor tantùm, sed auctor est peccati.

Et primò Calvinus l. 1. Instit. c. 18. n. 1. ita loquitur: *Absalom*, inquit, *incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat: DEUS tamen hoc opus suum esse pronuntiat.* Ita Calvinus. Ergòne incestus, & Calvino ipsi detestabilis coitus Absalomi, opus DEI fuit? Ergo opera quædam DEI detestabilia sunt? Et ubi DEUS, ô blaspheme, ubi *opus* istud detestabile *suum* pronuntiat? Ita loquitur DEUS per Nathan prophetam 2. Reg. 12. ℣. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxo-*

res

res tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. ubi hic DEUS dormitionem incestam cum uxoribus Davidis vocat *opus suum?* ait, se daturum uxores David, ei qui proximus sit Davidis, sanguine scilicet, qui utiq; Absalom erat, quia filius. Et verò dedit, captivas scilicet, sive ut captivæ fierent Absalomi. prædixit posthæc solùm, quid facturus esset scelestus Absalom: *dormiet*, inquit, *cum eis*. Non indicavit autem ullo modo, jussu aut voluntate suâ id facturum. Imò sine ulla dubitatione ingentem ipsi conscientiæ stimulum admovit, ne faceret nefas tam inauditum. Sed rupit vincula scelestus, & jugum, ut scriptura loquitur, excussit, eóque sibi damnationem accersiit. Sed audi porrò apertiorem adhuc blasphemiam l. 2. Instit. c. 4. ubi sæpiùs repetit, *DEUM non tantùm permittere, sed velle peccatum, movere ad peccatum, & impellere homines, ut peccent.* Audi & discipulos Calvini, æquè apertè blasphemantes. Et Scharpius quidem apud D. Georgium pag. 385. ita loquitur: *DEUS non tantùm permisit, sed etiam VOLUIT peccatum, non facere, sed fieri.* quibus verbis itidem hic blasphemus expressè non permissorem solùm peccati DEUM facit, sed omnino *Volitorem*, ut sic loquamur; quod nemo nisi impius unquam dicere est ausus. Addit & rationem hujus rei non tantùm blasphemam, sed & stultam, S. Augustini judicio, ut mox audiemus. *Non simpliciter*, inquit, *& per se* (scilicet voluit DEUS peccatum) *ac si peccato delectaretur, sed secundùm quid, & propter illud nempe, ut haberet occasionem patefaciendi tum misericordiam in restituendis aliquibus, tum justitiam in reliquis negligendis, & in damnatione relinquendis &c.* quibus verbis significare vult Calvinista iste, DEUM propriè velle mala, ut inde deducat bona; scilicet patefactionem misericordiæ & justitiæ suæ, ut rectè deducit D. Georgius; quod nec sapiens homo facit, nedum ipsa sapientia DEUS. Ita enim Paulus, cùm hæc ei stultitia imputaretur, se acriter defendit ad Rom. 3. ℣. 8. ubi sic loquitur: *Non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere) Faciamus mala, ut veniant bona; quorum damnatio justa est.*

Absalonis incestus Calvino est opus DEI.

III.

Secundùm eundem, vult peccatum, movet ad peccatū &c. Deus.

Idem docet Scharpius Calvinista.

Ecce Paulus blasphemos vocat, & gehennæ filios, qui se arguere sunt ausi, quasi tam fuisset insipiens, ut mala proposuisset facere, quò bona inde evenirent. Quid dicturus erat Paulus, si quis hanc insipientiam DEO ipsi impegisset, id quod Scharpius facit, dum ait, DEUM velle ipsa peccata, mala utique maxima, fieri, ut eveniant bona, scilicet justitiæ & misericordiæ divinæ manifestatio. An non talem hominem Apostolus continuo *Satanæ tradidisset, ut disceret non blasphemare?* sicut egit cum Hymenæo & Alexandro minus blasphemis. 1. Tim. 1. 20.

IV. Post Paulum Apostolum audi & Confessorem Ecclesiæ, quomodo Scharpium & eius similes flagellet, dicentes, DEUM ut misericordiam & justitiam suam manifestaret, peccatum voluisse. Ita loquitur, an fulminat? Augustinus c. 20. de agnitione veræ vitæ. *Porro,* inquit, *si volvit, vel non potuit DEVS ostendere suam misericordiam, nisi in miseris; justitiam, nisi in damnandis: quis non videat sequi, eum* (DEUM scil.) *malevolum, vel impotentem: in uno; quòd bonum, nisi per malum ostendere noluerit; in altero, quòd aliter facere non potuerit? Quis demens* (Nota bene, Vedrosi.) *hæc præsumat dicere, misericordiam & justitiam Dei, nisi per miseros & damnandos manifestari non potuisse, cùm manifestè constet, eos occultas divitias non solùm per egentes, sed etiam per abundantes demonstrare posse? &c.* Totum benè longum, sed eò pulchriorem locum S. Aug. vide apud D. Georgium pag. 386. quem Augustinus ipse elegantissimè sic concludit: *DEVM auctorem mali non esse hinc apertè constat, quòd ipse omne malum damnat.* Ita Sanctus. Dementes ergo, ac præsumptuosi, S. Augustino judice, Bezæ, Scharpij, Calvini sunt, & omnes eorum similes de Reformatis, qui hoc docent apud D. Georgium pag. 385. quod expressis verbis damnat S. hic Doctor, & cum eo orthodoxi omnes. Non dementes autem solùm sed & blasphemi, qui DEUM vel impotentem, vel malevolum faciunt, qualem hi tales faciunt; quorum utrumque blasphemia est.

Quam doctrinam, ejúsque rationē meritò dementiam jam olim appellavit S. Augustinus.

Quid ad ista autem Vedrosius noster? Pudet illum, meritóque pudet doctrinæ tam impiæ suorum; nec aliud invenit

medium

medium, quàm ut perfricet frontem & pag. 195. neget, ex dictis Scharpii & aliorum colligi posse, Reformatos dicere, DEUM esse auctorem peccati. Atqui expressissima verba Calvini suprà adduximus, quibus ridet Catholicos, qui DEUM faciunt tantùm permissorem peccati, addens, *jam apertè se ostendisse DEUM vocari omnium peccatorum* AUTHOREM. Si autem rectè ita vocatur, ut sentit Calvinus, ergo etiam est; cùm ad esse sequatur vocari & prædicari. Frustra ergo negas, quod oculis cernitur. Deinde adducit Scharpij locum alium, in quo is mitiùs de DEO loqui videatur. Ait enim, in Cursu Theolog. pag 908. Scharpium ita scribere: *Permisisse DEUM lapsum* (Adami) *& tales condidisse* (primos scil. homines) *ut labi possent; imò hoc consilio condidisse NB. ut laberentur.* quorum ultimum blasphemia est, dicere, DEUM eo consilio hominem condidisse, ut laberetur. prius autem contradictorium, dum ait hic quidem: *DEUM permisisse;* alibi autem scribit, ut paulò ante vidimus: *DEUS non tantum permisit, sed etiam voluit peccatum*, quæ manifestissimè contradictoria sunt. Ita miserabiliter tuum Scharpium defendis; imò non defendis, sed de novo accusas, & vertumnum esse, ac vertigine laborare ostendis, qui morbus est, sempérque fuit omnium sectariorum. Sed nec Calvinum tuum pag. 195. defendis satis, imò magis incusas, quòd alibi scripserit aliter, in hunc modum: *Ita se res habet, non aliunde nos impelli, sed unicuique pravum suum affectum esse ducem ac impulsorem &c.* Ita Calvinus, ut tu ais, in c. 1. Job. ℣. 15. rectè ista Calvinus. tu tamen aliud hinc non probas, nisi chamæleonta fuisse Calvinum, qui modò album, modò nigrum colorem duxerit, sed sæpius nigrum. Albus color est in hac ultima sententia Calvini; niger in prima à me citata, ubi disertis & minime tectis verbis DEUM AUTHOREM facit, non permissorem solùm omnium peccatorum. Sed talia infinita reperias in Calvino, hoc est, contradictorias sententias, quas magno numero collegit Romæus Jesuita in Effigie Calvini, in Spectaculo 9. cujus titulus est: CALVINUS SIBI DISCOLOR.

V. Vedrosius perfricat frontem & negat ita docere suos.

At oculis ipsis patet, ita eos docere.

Scharpium malè defendit Vedrosius.

Uti & Calvinum, quē Vertumnū facit.

Nihil etiam agis, mi Vedrosi, dum citatâ jam pag. 195. Ursinum aliquem è tuis producis, magis Catholicè de caussa & auctore peccati loquentem. Hîc enim non quærebatur inter nos, quid Ursinus, sed quid Calvinus & Scharpius scripserint.

> VI. Audacia Vedrosiana in citando Bellarmino pro Reformatis;

Illud si probare posses, quod ais pag. 194. de Bellarmino, majus haberet momentum. Ita autem scribis: *Calvinum, & Bezam, & Martyrem Bellarminus ipse lib. 2. de amiss. gratiæ & statu peccati, c. 2. hac parte absolvit.* Magnum, inquam, momentum tuæ caussæ accederet, si verum scripsisses. Nunc autem secus est. Ita enim, loco à te citato, Calvinum, Bezam, & Petrum Martyrem, antesignanos vestros, non absolvit à blasphemia Bellarminus, ut vel maximè eam ipsis imputet. unde audaciam Vedrosianam non potui mirari satis. Ecce verba Bellarmini. *Cùm adversarij verbo fateamur*, inquit Bellarm. *quod Catholici docent* (scilicet Deum non esse caussam peccati) *frustra laboraremus in testimoniis Scripturæ, & Patrum adducendis, quibus probetur DEUM non esse caussam peccati, nisi antea doceremus, Eos reipsa docere NB. quod verbo profiteri non audent*: loquitur autem de Reformatis, quos ait reipsa docere Deum esse auctorem peccati, etsi verbis negant; in quo & inconstantiæ turpissimæ, & fraudulentiæ, ut vides, eos Bellarminus accusat. In quarto dein capite dicti libri 2. ostendit Cardinalis, ex dictis Zvvinglii, Calvini, & Bezæ omnino sequi, Deum esse authorem peccatorum, quæ à nobis fiunt. imò in sequenti cap. 5. & 6. demonstrat, ex sententia Zvvinglii, Calvini & Bezæ consequi, Deum verè & propriè peccare, imò solum Deum peccare, non homines. Et hoc Vedrosio nostro est absolvi à Bellarmino. Sed & Bellarminum ipsum trahere nititur in societatem Calvinisticæ blasphemiæ, eò quòd scribat dictus Cardinalis l. 2. c. 13. *DEUM præsidere voluntatibus malis, easque regere & gubernare, torquere ac flectere, in eis invisibiliter operando, ut licet proprio vitio mala sint, tamen à divina providentia ad unū potius malum, quàm ad aliud, non positivè, sed permissivè ordinentur.* cui sententiæ Bellarminianæ hanc glossam assuit

> Qui gravissimè eos perstringit:

> & solum Deum peccare ostendit, si vera sententia esset, quam tenent Reformati.

> VII.

Ve-

Vedrosius: *Postrema hæc verba*, ait, *continent oppositum in apposito. Nam torquere ac flectere permissivè, est non torquere, non flectere.* Ita Vedrosius. Respondeo, neque minimum quid hanc Bellarmini sententiam errori Calvinistico aut patrocinari, aut etiam eum superare, ut somniat Vedrosius. Nihil enim aliud hisce omnibus dicere vult vir hic maximus, nisi quòd malas voluntates hominum etsi non faciat DEUS ullo modo, ordinet tamen in finem aliquem bonum, itáque illis utatur, *uti medici utuntur viperæ veneno ad curanda hominum corpora, cùm venenum tamen ipsi non fecerint.* (verba sunt ipsius Bellarmini l. c.) Sic maledictâ linguâ Semei usus est Deus, ut veneno quodam viperæ debitè per suam divinam artem temperato, ad curandam & purgandam animam Davidis. & hoc est Bellarmino, *præsidere DEUM malis voluntatibus, & ita eas gubernare*, ut non noceant, nisi quantum vult Deus, & quibus vult Deus, quando punire vult & castigare. In quo quæ, obsecro, blasphemia est, cùm præsertim exsertè addat, non nisi permissivam esse hanc DEI ordinationem, non positivam: quæ verba Bellarmini dum Vedrosius exclamat, continere *oppositum in apposito*, ostendit se Bellarminum non intelligere, nec mentem ejus penetrare. Et quod ait ulteriùs: *Torquere ac flectere permissivè, esse non torquere, non flectere*, dicit quidem Vedrosius, sed aliud non facit. Verè enim flectit Deus pro sua summa potestate voluntatem peccatoris jam jam parati v. g. maledicere, & in hoc libertate suâ abuti, dum ita inclinat eam, ut huic potiùs, qui benè usurus est tali maledictione ad patientiæ virtutem, maledicat; quàm alteri, qui in furorem & vindictam sibi lethalem esset erupturus. verum ergo est alterum, quòd flectat Deus; falsum, quòd non flectat. Hoc potiùs ostende ex Bellarmino, quòd alicubi sic loquatur, quemadmodum Calvinus vester loquitur l. 1. Instit. c. 18. §. 1. agens de sceleribus Assyriorum: *Apparet*, inquit, *Assyrios certâ destinatione DEI fuisse impulsos.* & §. 2. ita blasphemat: *Homo justo DEI* IMPULSU *agit, quod sibi non licet.* tale quid in Bellarmino, inquam, vel alio Catholico

An Bellarminus alibi cum Reformatis sentiat?

DEUS utitur veneno peccati ut Medicus, juxta Bellarminum.

tholico Doctore ostende, & tunc in societatem vestram nos trahe. Nam quòd pag. ead. Andream Vega adducis, dicentem, *DEUM facere nobiscum peccata*, nihil moliris. quia non intellexit aliud, quàm DEUM concurrere ad materiale peccati, uti seipsum exin explicat, non item ad formale peccati, quod Theologi omnes necessariò docent. Movet enim v. g. manum homicidæ, homicidium perpetrantis, ut caussa universalis, absque cujus concursu immota illa maneret. Et hoc unum voluit Vega.

VIII. Sed objicit ulteriùs Vedrosius, ipsos Mosen, Davidem, & Paulum loqui ad modum Calvini &c. *DEUM indurasse cor Pharaonis &c.* mox autem seipsum refutat, cùm addit ex S. Augustino: *hæc omnia judicialiter, non moraliter intelligenda.* Atqui, ô bone, Calvinus tuus, hæc moraliter intellexit, non judicialiter. contrà Paulus, David &c. non moraliter, sed judicialiter, ut rectè distinguit Augustinus, cujus sententia, à te allegata te damnat potiùs, quàm juvat. Quomodo autem scripturæ illæ intelligendæ sint, cùm dicitur: *DEUM indurasse cor Pharaonis, præcepisse Semei, ut malediceret David &c.* vide de eo latè Bellarm. dicto l. 2. c. 13. toto. Denique mirabiliter Sectionem suam 8. concludit Vedrosius, dum priùs à se dictorum, & reprehensorum immemor, ex suo Beza adfert sententiam Bellarminianæ illi simillimam, quam paulò ante blasphemiæ cujusdam arguerat. *Aurea sunt*, inquit, *& Solis radiis scripta Bezæ verba in abstersione calumniarum Heshusii: Caussa peccati, ait, est tota in Satana, & in nobis: quo autem tempore, vel in quem finem debeat erumpere, in potestate DEI est, qui novam non infundit* (videtur omissum: *voluntatem malam*) *sed eam, quæ hominibus innata est, pro infinita sua sapientia, quando, & quomodo libuit, movet*, GUBERNAT, *flectit, regit denique & moderatur, ad nominis sui gloriam, insciis etiam impiis, atque adeò contrarium prorsus consilium apud se incuntibus.* An non eodem prorsus modo & sensu, propè & verbis locutus est suprà Bellarminus? *præsidet*, inquit, *malis voluntatibus, easq; regit, ac gubernat, torquet ac flectit &c.*

S. Augustinum contra seipsum adducit Vedrosius.

Bezæ verba solaribus radiis scripta sunt Vedrosio: cùm tamen simillima sint verbis Bellarmini, quæ Vedrosius reprobat.

Bezæ

Bezæ verba eadem sunt: *flectit*, inquit, *regit, & gubernat.* nec ovum similius ovo est, quàm Bezæ sententia hîc loci, sententiæ Bellarmini, à quo descripsisse videri queat. Sed aurea omnia sunt Vedrosio, quæ Calvinianus calamus exarat, plumbea, quæ Catholicus. Si aurea verò sunt, quæ hîc Beza; profectò plumbea sunt, quæ suprà Calvinus; & cuprea, quæ alibi Beza in suis Aphorismis, Aphorismo 22. ubi hanc impiam, & planè contrariam tradit doctrinam: *Sic agit DEVS*, inquit, *per instrumenta mala, ut non tantùm sinat illa agere, nec tantùm moderetur eventum, sed etiam excitet, impellat, moveat &c.* An & hæc, mi Vedrosi, aurea solísque radiis scripta verba sunt? imò æternis tenebris digna. Ita nec Bezæ tibi defensio successit. Et Calvinus igitur, & Scharpius, & Beza manent indefensi; manet itaq; & Calviniana vestra blasphemia indefensa.

IX. *Deum prædestinare homines ad interitum & ipsa blasphemia est.*

Altera contra DEUM blasphemia est, cùm docetur à Reformatis, DEUM sine ullis prævisis sive meritis sive demeritis, quosdam homines ab æterno ordinasse ad vitam æternam; alios autem, & multò quidē plures ad damnationem æternam; quæ sententia, altera, inquam, pars hujus sententiæ, quæ de reprobis est, DEUM immanissimum Tyrannum facit, ita ut delenda essent verba illa Psal. 118. *Bonus es tu.* Nam prior de electis, absque prævisis meritis, sustineri potest, etsi multis magnis viris minimè placeat. Sed de hac blasphemia jam suprà satis est actum Sect. 6. art. 1. uti & de illa, quòd DEUS impossibilia jubeat, quæ tertia in DEUM blasphemia est. Et hæc de blasphemiis in DEUM.

§. II.

Blasphemiæ Reformatorum in Scriptores Canonicos S. Davidem, S. Jeremiam, aliósque Sanctos Vet. Test. & sic in ipsum Spiritum S.

Prætereibo hîc blasphemias in Christum, quas suprà adnotavi & detestatus sum cum omnibus Christi amantibus, dictâ Sect. 6. a. 3. Alia quoque minora prætermittam hîc loci, ut

 sunt

ſunt ea, quæ D. Georgius attulit ex Calvino, *ruſticitatem* objiciente ſanctiſſimis prophetis, Jeremiæ, Zachariæ & Amos, nimis quàm inverecundè; quæque ex Wollebio de pane azymo pag. 382. quòd ſit profanatio Cœnæ dominicæ; cùm Chriſtus tamen ipſemet uſus illo in Cœna ultima fuerit; hæc, inquam, & his ſimilia, tanquam minora, ſilentio hîc involvam, & iis, quæ majoris momenti, potiùs immorabor; qualia ſunt, quæ Calvinus contra Scriptores Canonicos Veteris Teſtamenti, alióſq; ejus Sanctos blaſphemando evomuit.

X. Intemperiē tribuit S. Davidi in pſalmis Calvinus.

I. Sugillat Pſalmos Davidicos, ipsûmque pſaltem regium, dum Inſtit. l. 3. c. 20. Sect. 16. ſcribere audet: *Multa Davidis querimoniæ intemperiem ſapiunt.* Item: *In pſalmis Davidicis emergunt, imò ebulliunt interdum turbulenti affectus. maximè ex clauſula pſalmi 39. conſpicere licet, quantâ doloris vehementiâ abreptus fuerit. Sanctus vir, ne ſibi modum ſtatueret: Deſine* (inquit) *à me, donec abeam, & non ſim.* (ubi nota pſalmum hunc nobis Catholicis eſſe 38. non 39. & vulgatam noſtram prorſus aliter legere. Scilicet: *Remitte mihi, ut refrigerer, priùs quàm abeam, & amplius non ero*) Pergit enim Calvinus: *diceres hominem deſperatum nihil aliud expetere, niſi ut ceſſante DEI manu, in ſuis malis putreſcat.* Et paulò pòſt: *In illis tentationibus ſæpe effluunt* (Davidi ſcilicet) *vota non ſatis bene formata ad regulam verbi DEI &c.* quæ omnia non tam in contumeliam Davidis, quàm ipſius Spiritûs Sancti manifeſtè tendunt. Nam vel inſpiravit Davidi Spiritus Sanctus, quæ in pſalmis ſuis habet, vel non inſpiravit. Si non inſpiravit, ergo liber pſalmorum, vel certè pſalmus ille 39. non eſt verbum DEI, quod impium eſt dicere. Si autem inſpiravit omnia illa verba Spiritus DEI, uti nemo ambigit, ſequitur Spiritum Sanctum inſpirare ea, *quæ non ſatis bene ſunt formata ad regulam Verbi DEI.* quid autem dici poteſt impudentius? Sequitur & illud, Spiritum Sanctum *turbulentos, & deſperabundos affectus* in cordibus hominum excitare, & qui turbent rationem. (hoc enim ſonat vox: *Intemperies.*) quocumque ergo modo reſpondeatur, blaſphemia prodit. Loquitur nimirum hîc Calvinus

Tribuit eidem Sancto vota non regulata ad Verbum DEI.

quæ blaſphemia eſt non in Davidem, ſed in ipſum Spiritum S.

de

de psalmis Davidis Regis, acsi de hymnis entheati Orphei alicujus, hominis Ethnici, sermo esset; nec majori reverentiâ psalmos omni omnino labe carentes, & undequaque Sanctissimos & sapientissimos tractat. Amoris, ô Calvine, & ardentissimi quidem amoris querimoniæ sunt, non desperationis; quæ hic & alibi in psalmis legimus; sed nemo hæc talia Davidis intelligit, nisi & ipse amet, ut David. Nullus autem amor DEI in hæretico pectore, unde nec intellectus ullus affectuum amoris. & quæso, quid turbulenti est in hac psalmi 38. clausula, & ultimo versu, quem S. Hieron. ita interpretatus est: *Parce mihi, ut rideam, ante quam vadam, & non subsistam.* quid hîc turbulentum est, nisi turbulentum cerebrum Calvini? Sed pergit blasphemus, & à Davide ad S. Jeremiam, aliósque Sanctos sugillandos progreditur, ita scribens: *Sic, cùm dicit Jeremias: exclusit DEUS orationem meam*: Thren 3. ℣. 8. *non dubium est, violentâ perturbatione fuisse concussum.* iterum turbulentos affectus & Spiritui Sancto & Verbo DEI imponit. Quin & infidelitatis & Jeremiam, & alios Sanctos prophetas, ac Patriarchas arguit his verbis: *Innumera*, inquit, *ejus generis exempla occurrunt in Scripturis; ex quibus patet, fidem Sanctorum sæpe mixtam fuisse dubitationibus & agitatam, ut credendo & sperando aliquid tamen* INFIDELITATIS *proderent* quis verò unquam, nisi hæretico imbutus spiritu, ita loqui auditus est? Quid autem ad ista Vedrosius noster? Nihil hîc blasphemiarum odoratur, quod obesæ nimiùm naris est. Defendit in omnibus Calvinum suum, pag. 194. assentitur & assentatur, de quo Lector, qui corrupti judicij non est, judicabit.

Loquitur de psalmis Davidis quasi de hymnis Orphei alicujus.

XI.

Psalmus 39. nihil habet turbulenti, ut blasphemat Calvinus.

Neq; Threni Jeremiæ.

Omnia tamen ista Calvini defendit Vedrosius.

§. III.

Blasphemiæ Reformatorum in S. Joannem Apostolum & Evangelistam.

Hunc sanctissimum Apostolum, & veluti cor Christi D. audent arguere Reformati Idololatriæ cæco, quòd Angelum Apocalypticum illum, cùm ei clara in luce appareret, adorare XII.

S. Ioannem Evang. idololatriæ eu usdam arguit Calvinus, in adoratione Angeli.

voluerit, etiam postquam ab Angelo audivit: *Cave ne feceris. conservus tuus sum.* uti legimus Apoc. 19. ℣. 10. Ita autem loquitur de Angelo illo & Joanne Calvinus l. 1. Instit. c. 14. Sect. 10. *Certè*, inquit, *cùm in Angelis fulgor divini Numinis refulgeat, nihil est magis proclive, quàm in eorum adorationem stupore quodam nos prosterni, & omnia deinde illis tribuere, quæ non nisi DEO debentur; quod etiam Joannes in Apocalypsi fatetur sibi accidisse. Sed simul addit, fuisse sibi responsum: Vide ne feceris; conservus tuus sum: DEUM adora.* Ergo juxta Calvinum S. Joannes *stupore quodam mentis* & ipse actus, *Angelo tribuere voluit, quæ non nisi DEO debentur*, id est, cultum latriæ, eóque cultu Angelum adorare. Profectò stupore mentis tu ageris, Calvine, cùm sapientissimo Apostolo *stuporem* affingis; magis autem, dum eum cultu uni DEO debito voluisse scribis Angelum adorare, atque hac ratione veram idololatriam committere; & verò reipsa commissurum fuisse ex *stupore quodam mentis*, nisi ab Angelo prohibitus fuisset. Ita tu de Apostolo? nimirum non scivit ille Domini dilectus; ille Propheta, & Theologorum vertex Joannes, liceretne an non, Angelum adorare, sive ante angelum in genua procidere, eóque afficere honore, quo olim sanctissimus ille populi Judaici Dux Josue alium Angelum (probabiliter S. Michaëlem) affecit, cùm ante eum in genua procubuit, &, ut Scriptura ipsa loquitur, *adoravit*. Ita enim legimus Josue 5. ℣. 13. *Cecidit Josue pronus in terram* (coram angelo scilicet) *&* ADORANS *ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum!* Et permisit Angelus, nec prohibuit; imò ulterioris venerationis ergò jussit, ut solveret calceamenta de pedibus suis; quod & præstitum à Josue. An verò per hoc Josue idololatriam commisit, ô Calvine! Aut Angelus peccavit, qui non prohibuit? nimirum & hic Angelus acclamare debebat juxta Calvinum: *Cave, ne feceris. Deum adora* Aut fortè ex indoctioribus & rudioribus Angelis erat ille, qui Josue apparuit; ex doctioribus verò, qui S. Joanni? aut Catholicus fuit prior Angelus, qui permisit; Calvinisticus poste-

Josue Princeps & ipse adoravit Angelum, nec id facere prohibitus ab Angelo est.

An & ipse idololatra fuit?

posterior, qui prohibuit? Itaque præter blasphemiam, & cavillandi etiam Sanctos libidinem, invenio nihil in omnibus his dictis Calvini; qui & stupidum, & ignarum, quid in tali Angelica apparitione facto opus sit, & omnino idololatram, si non reipsa, intentione saltem S. Apostolum facit, utpote qui *tribuere* voluerit *Angelo, quod non nisi DEO debetur*, & reipsa, nisi prohibitus esset, tribuisset. Non itaque Angelus idcirco prohibuit Joannem, quòd crederet nullo alio cultu, inferiore quàm latreutico Angelos adorari posse, cum autem sibi non competere (hanc enim rationem Josue exemplum aut refutat, aut idololatram Josue facit) sed ex reverentia erga Joannem, Apostolum, Sacerdotem, Prophetam, & dilectum Domini sui; quod illa verba indicant Apoc. 22 ℣ 9. *Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum.* Et hanc rationem dant Sancti Patres, nominatim verò S. Gregor. M in homil. 8. in Evang & in c. 6. Cant. Nimirum post Incarnationem Christi D. conservi nostri Angeli facti sunt, qui ante velut Domini erant; *nec dedignantur modò homines habere socios*, ut S. Gregorius loquitur, *qui super se adorant hominem Deum.* Ecce hæc verissima hujus Angelicæ recusatiotionis ratio est.

Cur Angelus a Joanne adorari noluerit?

XIII.

Quid autem ad ista rursum Vedrosius noster? Lege illum pag. 193. Ridet argumentum à nobis factum, ridendus ipse; negat idololatriæ crimen per hæc verba Joanni impactum fuisse. Atqui res loquitur. Denique citiùs & Angelum, & Joannem Apostolum, quàm Calvinum suum culpari sustinebit. Ait prætere ex suo Molinæo: Si Angelus ille Apocalypticus discrimen illud de Dulia, & Latria novisset, non fuisse refragaturum, sed honorem illum admissurum, modò latreuticus non fuisset. Egregiè nugaris; & dum nos ludere hîc paras, ludus ipse doctis efficiere. Si nullus est inferior cultus adorationis, quàm latreuticus, cur ergo Angelus à Iosue, ut dicebamus, adorari se est passus? An latreuticum sibi cultum adhiberi sustinuit? Si non sustinuit, qualis ergo cultus ille fuit, numquid duliæ? de cujus verissimo

Frustranea sunt, quæ pro Calvino affert Vedrosius.

iterúmque frustra Duliam impugnat.

discrimine à latria jam suprà sufficienter egimus, eò redi. Calvinum itaque tuum non excusasti, aut exculpasti hoc loco, sed confudisti unà tecum etiam magis, dum stolida ejus verba de Joanne Apostolo approbasti.

§. IV.

Blasphemiæ Reformatorum in Ecclesiæ Doctores.

XIV. Encomia, quibus SS. Patres exornant Reformati.

Sanctos Ecclesiæ Doctores, quos hypocriticè alibi Reformati laudant, cùm favere videntur; alibi maximis contumeliis, ut suprà etiam annotatum est, afficiunt; quas Nic. Romæus Gallus, in Effigie Calvini, Spectaculo 9. collegit. Sunt enim ipsis *Stulti*, *Tyrannici*, *Sacrilegi*, *Blasphemi*, *Idololatræ*, *Satanici*, *Diaboli Satellites*, *Magi*, *Bestiæ*, *Dæmones*. Videamus breviter de singulis.

1. Stulti ipsis sunt.

I. STULTI sunt Calvino omnes, qui docent, quod Pater æternus semper generet Filium sibi coæternum. Ita enim Calvinus l. 1. Instit. c. 13. Sect. 29. *Stultè fingitur continuus actus generandi in æterno Patre.* Atqui expressè hoc docuit S. August. epist. 174. ad Pascentium. *Semper*, inquit, *gignit Pater, & semper nascitur Filius.* Idem docuit S. Gregorius M. l. 24. Mor. c. 1. & alij. Stultus igitur Calvino est Augustinus, stultus Gregorius, & tot alij viri sanctissimi. Nimirum, ut rectè sapiens Eccles. 10. ℣. 3. *Stultus in via ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

Ipse etiam S. Augustinus & Gregorius M.

2. Tyranni ipsis sunt.

II. *Tyranni crudeles* sunt Calvino, quotquot Sacerdotibus conjugio interdicunt. Ita enim Calvinus l. 4. Instit. c. 12. S. 23. *Quod Sacerdotibus interdictum est conjugium, id factum est impiâ tyrannide, non modo contra Verbum DEI, sed etiam contra omnem æquitatem.* Atqui sanctissimi quique Patrum Sacerdotibus conjugio esse interdictum voluerunt, & cœlibatum omni contra laudum genere extulerunt, atque ipsimet servarunt; quales fuerunt S. Augustinus l. 2. de adulter. conjug. c. 20. S. Hieron. adversus Vigilantium c. 1. S. Ambros. epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem, Item Basilius M. Cyrillus Hieros. Epiphan. Chrysost. multique alij, unà cum toto Concilio Nicæno I. quorum verba

S. Augustin. S. Hieron. S. Basilius &c.

verba apud Bellarm. l. 1. de Cler. c. 19. & Coccium Tom. 2. l. 8. a. 6. & Gaulterium veritate 8 cujusque seculi NB. *Impij* ergo *Tyranni* hi omnes, Augustini, Chrysostomi, & Nicæni 318 Patres sunt Reformatis, inprimísque eorum Protoparenti Calvino.

III. Sunt & *Sacrilegi*, sed non nisi sacrilego. Calvino enim sacrilegum dogma est, in lib. 3. Inst. c. 13. S 14. si professio monastices baptismo comparetur. Atqui compararunt sanctissimi Patres, ut S. Athanas. in vita S. Antonij, de quo infra Sect. 7. art. 14 pluribus. Idem sensit S. Hieron. in epist. 25. de obitu Blesillæ, & clarissimè S. Bernardus in lib. de præcepto & dispens. Plures vide apud Hier. Platum lib. 1. c. 13. 3. Sacrilegi.

IV. Sunt *Blasphemi*, sed blasphemo. Nam blasphemos vocare non veretur Calvinus omnes eos, qui Purgatorium credunt ac docent. Ait enim l. 3. Instit. c. 5. S. 6. *Quid superest, nisi Purgatorium meram esse, eámque horribilem in Christum blasphemiam?* Atqui, ô Calvine, Patrum & vetustissimi & sanctissimi Purgatorium agnoscunt, credunt, docent; quorum verba habes apud Card. Bellarm. totis duobus libris de Purgatorio; ex quibus partem nos quoque suprà produximus. Horribiliter ergo blasphemi in Christum omnes hi Sancti Patres Calvino fuerunt. Quin & Paulus ipse, qui Purgatorium docuit 1. Cor. 3 ℣. 15. 4. Blasphemi ipsis est S. Paulus cum alijs. XV.

V. Sunt *Idololatræ.* Pro manifestis enim Idololatris habet Calvinus l. 4. Inst. c. 17. omnes illos, qui Christum in Sacramento Eucharistiæ adorant, adorandúmve docent. Id verò docent S. Cyrillus Catech. 5. cujus verba hæc sunt: *Post communionem Corporis Christi, accede ad Calicem Sanguinis Illius, non extendens manus, sed* PRONUS ADORATIONIS *in modum, & venerationis, dicens: Amen.* Idem docet clarissimis verbis S. Ambros. l. 3. de Spir. Sancto, c. 12. Idem S. Chrysost. homil. 24. in 1. ad Cor. & multò clarissimè S. Augustinus pluribus locis maximè autem Tom. 8. in Psal. 98. in illa Psalmi verba: *Adorate Scabellum pedum ejus*, ubi post longam & pulcherrimam ratiocinationem, quomodo 5. Idololatræ eisdem sunt. S. Cyrillus. S. Ambros. S. Chrysost. S. Augustin.

modo ſcabellum pedum DEI adorari poſſit, concludit, ſcabellum hoc eſſe Carnem Chriſti D. in S. Euchariſtia, quæ Caro de terra ſumpta ſit, & ait: *Nemo autem Carnem illam manducat, niſi prius adoraverit.* Addit exin: *Inventum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* An autem per hæc Auguſtini verba non confuſiſſimus abit Calvinus tuus, Vedroſi, qui auſus eſt ſcribere, Auguſtinum in hac materia Euchariſtica totum ſuum eſſe. Imò nemo contrarius magis. Non ergo idololatræ ſunt, qui hoc *Venerabile Sacramentum*, ut S. Ambr. loquitur l. 4. de Sacram. c. 4 adorant, ſed illi magis idololatræ, qui uni Calvino, homini, ut votum eſt, impuro, & minimè Sancto, contra tot Sanctos, & omnes omnino alios Chriſtianos ita adhærent, ut omnia etiam ſtercora ipſius, & ſputa adorent, id eſt, impias, inauditas, abſurdas, & rationi ipſi repugnantes doctrinas. Et in hoc quidē puncto de adoratione S. Euchariſtiæ, quam negat, deteſtantur ipſum non tantùm omnes Catholici orthodoxi, ſed & omnes Schiſmatici Græci, omnes quoque Lutherani ſapientiores, & Lutherus ipſe, qui Euchariſtiam, etſi frendente Calvino, vocavit: *Adorabile Sacramentum*, & idcirco & ipſe Idololatra eſt Calvino. Idem autem cum Luthero, etſi hac in parte, ut mos ejus erat, variante, ſenſerunt alij doctiſſimi Lutheranorum, Martinus Bucerus, Joannes Brentius, & Martinus Kemnitius in Exam. Conc. Trid. Seſſ. 13. c. 5. ubi ait: *Nullum omnino eſſe, qui dubitet, an Chriſti corpus in Cæna ſit adorandum, niſi qui cum Sacramentariis aut neget, aut dubitet in Cæna verè Chriſtum eſſe præſentem.* Atque adeò in hoc Calvini, novi Iſmaëlis, *manus eſt contra omnes, & omnium contra ipſum.* Mirum autem miriſſimum, ſi ſuprà omnes tum orthodoxos, tum Sectarios alios ſapiat unicus iſtæ liliatus Calvinus, ac non potiùs ob hanc infinitam & inſolentiſſimam præſidentiam & arrogantiam ſuam præ omnibus omnino mortalibus deſipiat.

Retorquetur crimen idololatriæ in Vedroſium, & ipſius ſimiles alios.

Quid adorent?

Calvinus Iſmaël novus.

6. SS. Patres ſatellites

VI. Sunt *Satellites Diaboli* Calvino, quotquot ſentiunt ac docent, quòd obſervantibus legem promittatur vita, & negant

ſolâ

solâ nos fide justificari. Ita Calv. l. 3. Instit. c. 17. S. 1. Atqui omnes Sancti Patres, unà cum S. Apostolo Jacobo hoc docent. S Jacobi sententia illa notissima est, cap. 2. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Ei assentiuntur omnes Patres, aliàs hæretici futuri, quorum verba V. apud Bellarm. l. 4. de Justif. c 8. & l. 5. c. 4. & apud Coccium Tom. 2. l. 8. Calvino itaque Satelles Diaboli est Jacobus Apostolus, & tot Sanctissimi Patres.

Diaboli sunt Calvino.

VII. *Sunt Magi & Incantatores.* omnes enim illos Magis & incantatoribus comparat Calvinus, qui Ceremonias ab antiquissimis temporibus in baptismo adhiberi solitas, usurpant, vel usurpandas docent, quando baptismum conferunt. l 4. Instit. cap 10. S. 5. & capp. 14. 15. 17. 19. *Quasi res esset contemptibilis,* inquit, l 4 c. 15. S. 9. *ex Christi præcepto aquâ baptizari, inventa est benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret.* & c. 10. vocat *histrionicam scenam, aut Magicam incantationem.* Atqui has ceremonias & usurparunt ipsi & commendarunt alijs, mandarúntque observandas vetustissimi atq; sanctissimi Patres, ut erant S. Dion. Areopagita, Justinus Martyr, Athanasius, Basilius, Cyrillus Hier. Ambrosius, & Augustinus &c. cujus S. Augustini quatuor diversos & clarissimos textus pro ceremoniis hisce Bullingerus ipse, Zvvinglij successor adducit in Dec. 5. serm 8. §. *Tertullianus.* Sunt ergo Calvino, & aliis Reformatis, qui hac in parte Calvino accedunt, Patres vetustissimi & sanctissimi, Histriones, Magi, & Incantatores.

7. Magi quoque & incantatores, quorque in aqua benedicta baptizant unà cum ceremoniis aliis.

VIII. Sunt Bestiæ execrandæ. Ita enim vocat Calvinus l. 3. Instit. c. 2. S. 43. omnes Doctores Scholasticos Catholicorum, præsertim verò Petrum Lombardum, quòd is spei supernaturalis duplex jaciat fundamentum: 1. DEI gratiam 2. operum bonorum meritum. O te potiùs belluam, Calvine, erga summos Christianorum omnium benefactores, sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ ingratissimam! Nam quod Lombardus docuit, omnes ante ipsum Sancti Patres docuerunt, ex quorum ore & calamis, imo Scripturæ ipsius, docuit merita bonorum

XVII. Bestiæ sunt iisdem. Petrus Lombardus, imò S. Ignatius Martyr. S. Irenæus &c.

operum in adultis, præter fidem & gratiam DEI requiri, ut paulò antè ex ipso quoque Apostolo Jacobo demonstravimus. Id enim docuit S Ignatius Martyr in Epist. ad Ephes. S. Irenæus, Basilius, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Cyrillus uterque, Chrysost. Ambrosius, Hieron. August. Gregorius M. &c. quorum verba vide apud Bellarm. l 5. de Justif toto, maximè autem cap 7 & si quidquam clarissimè in ipsis Scripturis expressum est, istud profectò est, scilicet opera bona, peracta in statu gratiæ DEI, meritoria esse vitæ æternæ; cujus contrarium asserere non est aliud, quàm se apertè hæreticum, id est, pertinacem veritatis impugnatorem, profiteri. Et si nulla præterea hæresis Calvinianæ, sicut & Lutheranæ doctrinæ inesset, quàm ista meritorum tam perversa, tam contra omnem scripturam & omnem sanctam vetustatem obstinata, & absurda abnegatio, meritò tamen quemcumque prudentem penitus ab eorum cœtu averteret. An non enim Dominus ipse, & Salvator noster apertè satis Catholicam nostram sententiam tradidit, cùm dixit Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam* MERCES *vestra copiosa est in cœlis?* & Matth. 20. *Voca Operarios, & redde illis mercedem?* ut innumera alia scripturæ loca prætereamus. Sed qui hoc docent cum Christo, & Paulo, *Bestiæ execranda* Calvino sunt. Mirum, ni & Paulum, & Christum pro bestiis habet hæc bestia.

XVIII. IX. DÆMONES & DIABOLI sunt. Quia Calvinus omnes illos *Dæmones* vocat l 4 Instit. c. 12. S. 23 qui Sacerdotibus & Episcopis conjugio interdictum volunt, idque probari ait ex ipso Apostolo Paulo, qui eos, qui prohibituri essent nubere, & impostores, & dæmones vocet, dum doctrinam illorum appellet *doctrinam dæmoniorum* 1. Tim. 4. ℣. 1. Diabolos autem illos appellat l. 4. Instit. c. 14. S. 14. qui doceant, Sacramenta novæ legis justificare & conferre gratiã, modò obicem peccati mortalis non ponamus. *Hæc*, inquit, *doctrina planè diabolica est*. Quis verò, ô Calvine, quis ex omnibus sive Pontificibus, sive Episcopis, sive Doctoribus, unquam prohibuit nubere, sive con-

Dæmones & Diaboli sunt Calvino, quotquot Sacerdotes vetant uxores ducere.

Tales sunt omnes illi 318. Patres Concilii Nicæni &c.

conjugium inire, cuicunque Christiano id libéret? Nubere autem, sive conjugium inire post solenne votum emissæ castitatis, quales Episcopi & Sacerdotes, & præsertim Monachi Catholici, liberrimâ suâ sponte emiserunt, non prohibet Ecclesia Catholica, vel Pontifices ipsius, sed DEUS ipse in scripturis suis sanctis: *Vovete, inquit, & reddite.* Psal. 75. 12. qui autem Vota non reddenda esse docet, uti Reformati de voventibus continentiam docent, hic, hic, verè doctrinam Dæmoniorum affert.

Ceterùm, Episcopis & Sacerdotibus post editum Votum nuptias inire licitum non esse, sed statum eis continentiæ convenire, docent antiquissimi & sanctissimi Patres, uti, primo loco, trecenti illi & octodecim Patres Concilij Nicæni I. aliorúmque Patrum in Conciliis antiquissimis olim congregatorum centuriæ integræ cum S. Basilio, Cyrillo, Hier. Epiph. Chrysost. Isidoro Pelusiota, Ambrosio, Hieronymo, August. Leone & Gregorio magnis, quos vide, tum supra in opusculo hoc Sect. 5. c 5. a. 2. tum apud Bellarm l. 1. de Clericis c. 19. Non ergo, ut calumniatur hìc Calvinus, Apostolus Paulus hos sanctissimos viros, eorúmque in Ecclesia DEI successores, Voto adstrictos Episcopos & Sacerdotes &c. conjugium inire prohibentes, Dæmones vocat, sed Montanistas, Encratitas, & alios antiquos Hæreticos, qui omne Matrimonium prohibebant, id esse à Dæmone, non à DEO, asserentes, quod vobis, planè in hoc surdis, millies Catholici nos accinuimus, qui est verissimus & germanissimus Apostoli sensus.

Sententiam S. Pauli iterum depravat Vedrosius.

XIX.

Similiter quos tu Diabolos vocas, Calvine, eos nimirum, qui justificationem & gratiam conferri etiam per Sacramenta docuerunt, fuêre rursus antiquissimi & sanctissimi Doctores, à quibus nos ceu Patribus, imò hac in parte Matribus sanctis ceu Lac purissimum hausimus, & suximus. Ita enim docuerunt illi 318. Patres Concilij Nicæni can. 8. ita S. Basilius, ambo Cyrilli, Cyprianus, Ambrosius, Hieron. August Gregorius M. Bernardus & alij, quorum verba quære apud Bellarm. l. 2. de Sacramentis in genere, c. 5. 6 7.

Item S. Basili[a] ambo SS. Cyrilli, S. Cypr. &c. Calvino Diaboli sunt.

 Vide

Et cur?

Vide ergo, Lector, quos viros appellaverit *Impostores, Dæmones, & Diabolos* Calvinus. Sed his ejus Blasphæmiis vel recensendis, minima tamen ex parte, modò fessus sum, tu quoq;, Lector, fortassis vel legendo & ipse es fessus. Verbo: Tam Calvinus in omni sua doctrina & operibus plenus est blasphemiis, quàm erinaceus spinis. Et hic sit, cujus doctrinam, spretâ totâ antiquitate, sequi universus orbis debeat, ut cum eo scilicet totum Cœlum, & quidquid in terris sanctum est, blasphemet? Renuit hoc facere ulteriùs Confessor noster D. Georgius, & gloriosâ fugâ se ab ijs proripuit, qui imprudentes utique & nescientes, velut in quendam Infernum à Calvino suo detrusi sunt, in quo jugiter nomen Domini & servorum ejus blasphemetur.

ARTICULUS XIV.

An Romana quoque Catholica Ecclesia Blasphemijs redundet; quod ei Vedrosius impingit? præsertim verò, an per Blasphemias sanctißima VIRGO DEIpara colatur?

I.

An & Catholicorum scripta Blasphemijs redundent?

SEd denuo, peculiari quidem articulo, D. Vedrosium audiamus, quid ad tot objectas blasphemias D. Georgio, in genere, per modum retaliantis, ut putabat, responderit: Nam quid ad singulas dederit responsi, priori articulo vidimus. sic autem scribit pag. 189. alloquens D. Georgium illo dicto Matth. 7. *Hypocrita, ejice primùm Trabem ex oculo tuo, & tum dispicies, ut ejicias festucam ex oculo fratris tui*: Ita ex Evangelio Evangelicus; quasi dicat, ea, quæ Reformatis objiciantur, festucæ instar esse, minutias scilicet, Trabis autem ad instar blasphemias illas, quas nos Catholici eructemus. age itaque, ejice & monstra ejectas, quas dicis, trabes, blasphemias scilicet Catholicorum; sed cave, ne per trabales id falsitates facias. id judica, Lector, ex sequentibus, an non fiat.

Ait Vedrosius, non probat.

Quid

Quid quæso, inquit, *est Papismus, nisi Cento ex variis adversus DEUM, & Unctum ejus, adversùs scripturas à DEO inspiratas blasphemiis consutus?* Ita Vedrosius. Habes jam unam trabem Vedrosianam. Pergit:

Probationis loco strenuè calumniatur.

Nil DEO, nil Christo salvum, ac illibatum mansit, quod in creaturas manifesto sacrilegio non fuerit translatum: non nomina, non Elogia, non cultus, non opera. Ecce alteram trabem! Docenda hæc tibi in particulari sunt, non in genere criminanda. Incipit ergo, & exempli gratiâ ponitur ab illo

I. Blasphemia Catholicorum, quòd Professio Religionis, per tria scilicet vota solennia, comparetur à nobis Baptismo, eíq; virtus tribuatur remittendi peccati, velut alteri baptismo. Hem blasphemiam immanem! Atqui Angelus de cœlo ita docuit Magnum illum Antonium, dum ei indicavit, quo tempore solenniter Monasticen suam professus fuerat, omnia ei peccata remissa fuisse non secus, ac in baptismo. Ita de S. Antonio, ex ore quidem S. Antonij, memorat in vita ipsius S. Athanasius, & approbat. Ergo Angelus ipse, qui hæc Antonio indicavit, blasphemus erit Vedrosio nostro. Antonius item & Athanasius blasphemi erunt. Blasphemus quoque erit S. Hieron. qui in epist. sua 25. ejusdem omnino sententiæ est. Blasphemus S. Bernardus, quem tamen minimè contemnere videri volunt Calviniani, qui expressis verbis professioné ejusmodi Religionis *secundum baptisma* appellavit lib. de præcept. & dispens. prope finem. Sed de hoc quæstio jam suprà instituta est. Et hæc prima blasphemia Catholicorum est, sed in cerebro solùm Vedrosii, & Calvini, qui & ipse dogma hoc sacrilegum esse ait; ut paulò antè vidimus, & risimus.

II.

Blasphemia Vedrosio est, si Professio religiosa comparetur baptismo.

Atqui Angelus comparavit, & Hieronymus &c.

II. Prætenta blasphemia est, quòd Missæ, & Confessioni auriculari tribuamus virtutem remittendi peccata, *sine ulla Christi mentione, & sine ulla ex ejus merito mutuata virtute.* Ita [illegible]sius pag. eâd. 189. mi Vedrosi, cur & tuum *cor Satanas* [illegible] tam enormiter, & palpabiliter cum Anania & Sapphir[illegible]

tiri te Spiritui Sancto? nec enim hîc aliter loqui possum. Quod hîc dicis (Missæ scilicet sacrosancto Sacrificio, & Sacramento Confessionis ita tribui à nobis vim remittendi peccata, ut nulla tribuatur Christo, aut merito ipsius, imò ne quidem mentio fiat) tam est falsum, ut falsius esse nihil possit. Omnia tribuuntur Christo, & merito ejus à Catholicis omnibus, excepto nemine, quoties agitur de remissione peccatorum sive per baptismum, sive per Sacramentum pœnitentiæ, & auricularem confessionem, sive per Sacrosanctum Missæ Sacrificium &c. atque ita non tantùm fit mentio honorificentissima de Christo, & de merito ejus, sed, si agatur de prima justificatione peccatoris alicujus gravis, per Sacramentum v. g. pœnitentiæ ei collata, omnia alia merita humana excluduntur. Illæ nimirum Satan, ille te tentat, Vedrosi, qui Calvinum quoq; tuum tentavit, ut non absimili modo nos Catholicos criminaretur, quasi in omnibus nostris orationibus Christum quoque excluderemus, cùm scribere est ausus l. 3. Instit. c. 20. §. 21. *In omnibus suis Litaniis*, inquit, *& hymnis, & Prosis, ubi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Christi mentio*; quod quidem dictum Calvini meritò Romæus Coronatum Mendacium dixit; nec aliter loquentur omnes Catholici, si hoc de Calvino vel audiant, vel legant. Invertimus enim & verissimè affirmamus: *In omnibus nostris Litaniis, & hymnis, & Prosis*, quin & in orationibus Ecclesiæ prorsus omnibus, est *Perpetua Christi mentio*. Omnes enim Litanias ita auspicamur: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.* omnes ita claudimus: *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi*; quæ utique Christi mentio est, qui est innocentissimus ille agnus. Omnes quoque hymnos invocatione Christi, & Patris ejus æterni, ac Spiritûs Sancti concludimus, ut oculi omnium, & aures omnium testes erunt, si vel legant hymnos nostros, vel audiant. Clausula enim hæc ferè est:

Spiritus mendacij Vedrosium manifestissimè tentat.

III.

Calvini mendaciũ Coronatũ de contemptu Christi apud Catholicos.

An nulla fiat mentio Christi in Catholicorum Litaniis, Hymnis, Prosis &c?

Sit laus DEO Patri,
Summo CHRISTO decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

Ita

Ita concludimus nostrum Catholicum Hymnum: AVE MARIS STELLA. Alia clausula est:

Præsta Pater piissime,
Patrique Compar unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne seculum.

Imò est perpetua, quo palpandum datur exemplis millenis.

Et hac ratione finimus Hymnos, quos ad Horas minores recitamus. Verbo, nullus omnino hymnus est, sive de DEO, sive de sanctissima Deipara, sive alius quicumque, in quo non expressis verbis Christus Dominus laudetur & invocetur.

Denique nulla prorsus oratio Ecclesiæ, sive *Collecta* monstrari poterit, quod & suprà notavimus, in qua non honorificentissima Christi Domini mentio fiat. imò omnis harum orationum clausula in Christo Domino, velut in nostro Omega, perpetuò finitur Unde expendens hoc falsissimum & impudentissimum dictum Calvini, meritò ipsi Coronam his verbis imponit Romæus in Effigie Calvini Sect. 1. *His*, inquit, *paucissimis verbis & Græcos & Parthos, & Cretenses, & mendacissimos quosque mentiendo superat Calvinus*: Meritò itaque coronandus. An hunc ei honorem invides, Vedrosi? Certè dictum tuum non absimile est.

IV.

III. Blasphemia, eáque multiplex, & cum atrocissimis in DEUM injuriis conjuncta, ut Vedrosius loquitur câd. 189. est eorum Catholicorum, qui Beatissimam Virginem Deiparam, magnificentissimis modis laudant, summam post DEUM fiduciam in illam habere se collocatam profitentur, útque idem faciant alij, hortantur. Tales blasphemi sunt Vedrosio sanctissimus ille Cardinalis & Ecclesiæ Doctor Bonaventura. talis eidem est Reverendissimus & doctissimus ille Veronensium Episcopus Lipomannus Talis Carolus Scribanius, Jesuita; talis denique Anonymus aliquis, qui Mariale imprimi curavit Argentinæ anno 1493.

Blasphemus est Vedrosio S. Bonaventura propter psalterium Marianum.

V.

Et quidem S Bonaventuræ quæ blasphemia est? dic Vedrosi. cupidissimi enim sumus, ut hoc à te non dictum, sed probatum

batum audiamus, & simul tecum eam, si fuerit talis, detestemur; aut te, si non fuerit, rideamus. *Bonaventura*, inquit, *Psalterium condidit, ad Davidis scilicet exemplum, in quo nomen Jehova, aut Domini perpetuò mutatur in nomen Dominæ. Domina, in te speravi. De profundis clamavi ad te. Domina &c.* Hæc autem Vedrosio & blasphemia simul est, & atrocissima in DEUM injuria. Vah! quæ blasphemia? digna utique, ut vestem omnes cum antiquis laceremus. Si hæc blasphemia est, si Domini nomen alteri, quàm supremo Domino, DEO scilicet tribuatur, blasphemi erunt, quotquot Vedrosium Dominum appellant, quia DEI nomen in Prædicantem Calvinianum conferunt. Sed non me Jehova, inquies, appellant. Nec Bonaventura, vir sanctissimus, Jehovæ, aut Jehovinæ nomen Beatissimæ imposuit; Dominam simpliciter appellavit. Et jure. Est etenim. Nam quæ Regina Cœli est, qualis sanctissima Deipara etiam ab Angelis est vocata, an non Domina est? ad hanc Dominam cùm clamamus è terris, an non de profundis clamamus? Et cùm dicimus: *In te, Domina, speravi*; quid hic blasphemiæ committimus, cùm & Reginæ mortali queamus dicere: In te, Domina, speravi. Non utique sicut in DEO speramus, in Deipara. Absit. Speramus in sanctissima Deipara, speramus in Sanctis; sed in Domino *supersperamus*, ut propheta Ps. 118 loquitur, modo scilicet infinities altiori, & spe infinities eminentiori, quod ipse vocat *supersperare*.

Quomodo id probet Vedrosius.

Blasphemi itaq; sunt, quotquot Vedrosium appellant Dominum.

VI.

Quæ verò Aloysij Lipomanni, Episcopi blasphemia est? Hæc nimirum, Vedrosij judicio. Scribit alicubi Lipomannus: *Nullus est, qui salvus fiat, ò sanctissima, nisi per te. Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò castissima.* Et hæc, ò Vedrosi, atrocissima blasphemia tibi est? At probandum ante tibi erat, his loquendi formulis DEUM excludere virum hunc sanctum voluisse; quasi scilicet ulli homini salus non à DEO, sed à Deipara Virgine obtingeret, quod Lipomannus ne somniavit quidem. Id solùm dicere & voluit, & potuit doctissimus hic Episcopus, existimare se, nulli (intellige de adultis) salutem obtingere, sive cœlestem

Lipomannis Episcopus Vedrosio blasphemat, quia ab eo B. Virgini salus eorum, qui salvi fiunt, adscribitur.

cœlestem gloriam, quin etiam Beatissimæ Deiparæ patrocinium concurrat, tanquam universalis Patronæ Ecclesiæ DEI; cùm præsertim innumerabilia sint exempla eorum, qui per intercessionem ipsius DEO reconciliati, æternam salutem consecuti sint, aliter æternùm perituri. Quodsi Lipomannus in hac sua existimatione falsus fuisset, falsa id opinio, non blasphemia foret. Si falsus non est, sed omnium fidelium saluti verè cooperatur Beatissima Deipara precibus & intercessionibus suis (id quod ego quoque certissimum habeo) tantùm hic fidelium sensus à blasphemia abest, ut blasphemiæ affine sit id negare.

Quomodo adscribat?

VII. Carolus Scribanius Jesuita blasphemat Vedrosio,

Post Episcopum Lipomannum blasphemiæ arcessit Vedrosius P. Carolum Scribanium, Jesuitam Antverpiensem, ut ipse loquitur. fuit enim Rector Collegij Antverpiensis, vir peræquè doctus, ac probus. *Hic Scribanius*, inquit Vedrosius, *cùm de antidoto ageret adversus peccatum, ita scripsit: Si quod sit quæras* (scil. antidotum contra peccata) *verbo dicam:*

Est sanguis Christi, mixtus cum lacte MARIÆ.

Iterum vah! quàm blasphemus in hoc monostico suo Scribanius fuit? Quid hîc tricaris, Vedrosi? An sanguinem Christi, & lac MARIÆ Matris non bene convenire existimas? Ecquid aliud est sanguis CHRISTI, quàm MARIÆ? numquid enim sanguis etiam noster, primus ille, ex lacte nostrarum matrum, ita ut sanguis noster, & lac matrum misceatur, & ex hoc ille fiat? Quid habuit autem diversum à nostro sanguine sanguis Salvatoris, quia per omnia nobis miseris, peccato excepto, voluit assimilari? Bene ergo miscetur cum sanguine Christi, qui est antidotum omnium peccatorum, sanguis MARIÆ, gloriosissimæ Matris ipsius, Dominæ nostræ; non quòd sive sanguine, sive lacte MARIÆ Virginis, (quod substantialiter sanguis est, candidus tamen, redempti fuerimus, sicut redempti sumus sanguine Christi; quod Catholicorum nemini unquam venit in mentem) sed quòd ille tamen Christi sanguis, quo redempti sumus, ex sanguine MARIÆ gloriosissimæ Virginis ortum suum habuerit, & descenderit. Itaque hæ loquendi formulæ non blasphemorum, sed piorum in benedi-

quia lac Deiparæ cum sanguine miscet Filij ipsius.

ctam suam Matrem filiorum formulæ sunt; quas *filii alieni* si non intelligunt, mirum est nihil. Aut S. Augustinus ipse quoque forsitan Vedrosio blasphemus erit, qui, ut est in ejus vita, solitus est dicere: *Positus in medio, quò me vertam nescio. Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere.* Vulnera IESU per alteram sententiæ partem intelligens, ubera MARIÆ Virginis per ultimam. Crede autem mihi, Vedrosi, multùm supra te & omnes tui similes sapuit Augustinus, nihil utique dicturus simile, si blasphemiam credidisset. Quod si tibi libet Caipham agere, & succlamare, cùm audis aut legis talia: HIC BLASPHEMAT: per me licet. Nec Scribanius itaque, nec Augustinus blasphemus est, cùm post Vulnera IESU, sed infinito intervallo post, spem suam in beatis uberibus illis Matris IESU, velut advocatæ suæ collocant; non, inquam, hi blasphemi sunt, sed Vedrosius honori Matris DEI cum omnibus Calvinistis iniquus & invidus est, ad instar illius, cujus in hoc *desideria faciunt.*

Id autem fecit ante eum etiam S. Augustinus.

An & hic blasphemus?

VIII. Restat Anonymus ille Argentinensis, qui in Mariali suo, anno 1493. Argentorati edito, iis laudibus extollit sanctissimam Deiparam nostram, ut vocetur ipsi *Mediatrix, Advocata, Redemptrix, Illuminatrix, adjutrix; quæ conculcatura sit caput serpentis &c.* quæ omnia pessimè sonant in auribus Calvinianis, optimè in auribus verè Christianis. Quid hîc te offendit, Vedrosi? an quòd nomina Christo servatori tribui solita, etiam Beatissimæ ejus Matri, etsi in sensu infinities inferiori, tribuantur? Tu verò an tam peregrinus es in Scriptura Sacra, ut nescias, non raró nomina, quæ DEO aliàs, aut Christo Domino propria sunt, à scriptura ipsa, imò à DEO ipso, & Christo ipso, etiam hominibus tribui? Moses *Deus Pharaonis* à DEO ipso vocatur, Exod. 7. Idem Moses S. Paulo ad Galatas c. 3. ℣. 19. appellatus est *Mediator*, his verbis: *Lex propter transgressiones posita est*, inquit, *donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos, in manu Mediatoris*, id est, Mosis. *Salvatoris* autem, sive *Redemptoris* nomen non uni ab ipsa sacra scriptura tributum legimus. Pri-mùm Iosephus, sanctus ille Prorex Ægyptius, dictus est, *Salvator*

Anonymus Argentinensis cur blasphemet Vedrosio?

Quia Deipara ipsi vocatur Mediatrix &c.

Videtur totus hospes esse in S. S. Vedrosius.

mundi.

mundi. Gen. 41. ℣. 45. *Salvatores* quoque dicti sunt bini illi Judices Hebræorum, ab ipsa quoque Scriptura; Othoniel videlicet, & Aod, de quorum primo ita legimus Jud. 3. ℣. 9. *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis SALVATOREM, & liberavit eos, Othoniel videlicet, filium Cenez.* eodem omnino modo de Aodo loquitur eod. cap. ℣. 15. *Suscitavit eis DEUS SALVATOREM vocabulo, Aod.* Idem repetitur 2. Esdræ 9. 27. *Clamaverunt ad te, & tu secundùm miserationes tuas multas dedisti eis SALVATORES.* Et alibi tamen dicit Dominus: *Non est absque me Salvator.* Isa. 43. ℣. 11. Non est nimirum Salvator absque DEO, in eodem sensu & gradu, quo DEUS est Salvator; qui scilicet per semetipsum salutem tum temporalem, tum æternam afferat; bene autem, qui à DEO velut instrumentum electum ad conferendam salutem adhibeatur. Ecce habes solutionem difficultatis tuo judicio maximæ, quomodo absque blasphemia, vocari possit Sanctissima Deipara, *Mediatrix, Redemptrix, sive Salvatrix, Advocata, Illuminatrix, Adjutrix, &c.* & potiori quidem multò jure, quam vel Moses, vel Joseph, vel Aod; qui omnes non nisi servi fuerunt Altissimi, MARIA Virgo è contrario MATER Altissimi, quo titulo nihil vel cogitari de pura creatura potest sublimius, augustius, divinius. *Mediatrix* est, sed non ut Christus; magis autem, quàm Moses; *Redemptrix & Salvatrix est*, non utique sicut Christus; magis tamen, quàm vel Iosephus, vel Othoniel, vel Aod, vel Samson, aut Iephte &c. *Advocata* est universi generis humani, non tamen ut Christus, quem *Advocatum maximum habemus apud Patrem* miseri nos peccatores, & in quo solo spem nostrã omnem ultimatè repositam habemus; sed ut Ancilla simul & Mater Domini. Esse autem Advocatam, in omni quidem genere necessitatum, ac potentissimam quidem, maximéque impetrabilem advocatam, non credunt, sed sciunt, experimento scilicet, tot millia eorum Catholicorum, qui Advocatione Ipsius quidvis à clementissimo, & precibus Matris inclinatissimo Filio, DEO, impetrant: ægri sanitates omnis generis, in periculis positi

In quo multi, multò inferiores Deiparâ, vocantur Salvatores.

Moses quoque Mediator vocatur, imò DEUS ab ipsa S. S.

B.V. verissima est Advocata quidvis impetrare potens.

siti liberationem, graviter tentati victorias, magni peccatores conversionem, justi ampliorem justitiam, in angustiis rei familiaris constituti sublevationes, Duces Belli triumphos, ingenio destituti ingenia, morituri solatia, plurimi mortui vitam, in Purgatorio detenti & à cœlesti gloria dilati ejusdem celeriorem assecutionem, & ut paucis dicam, omnes invocantes desiderabilia omnia. Est & *Illuminatrix*, ut ejus nomen præfert; non tamen ut Christus. Si enim Angeli illuminant mentes Clientium suorum, quid ni & Regina Angelorum? si stellæ illæ vivæ, Angelici Spiritus, quid ni illa quoque, quæ *pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Est denique ut potentissima, sic & benignissima *Adjutrix*, in omni necessitate, quod millenæ, iterúmque millenæ eorum voces toti orbi prædicant, qui se ab eadem clementissimè adjutos, quotidiéque adjuvari experiuntur. Ecce blasphemias Vedrosianas! Sed pergit Anonymus ille Argentinensis, & scribere audet, referente Vedrosio: *Ut ut suave sit & propitium nomen IESV, suavius tamen videri nomen MARIA.* Item *Sæpe quos Filij justitia damnat, matris misericordia liberat. &c.* Hæc quoque intoleranda Vedrosio videntur, planéque blasphema; cùm piisimè & verisimè dicta sint. Ita fieri, ita factum fuisse, ut, quos justitia Filij damnatura erat, si absque precibus benedictæ matris ipsius fuisset, eosdem misericordia intercedentis matris liberarit, & antiquisima, & recentisima exempla docent. Docent Theophili jam dæmoni mancipati, & judicio divino damnandi, nisi misericordia matris misericordiæ liberasset; quæ perantiqua historia, de qua etiam suprà, cùm de Invocatione SS. agerem, S. 4. c. 6. a. 1. auctores habet Simeonem Metaphrasten die 4. Febr. Petrum Damianum, qui ante annos Sexcentos floruit serm. 1 de Nativ. S. Bernardum in Deprecatione ad B. Virg. S. Bonaventuram in Spec. B. V. c. 8. ubi Bernardum quoque citat, S. Antoninum 3. P. sumæ Theol. tit. 31. c. 4. § ult. denique, qui his omnibus interfuit, Eutychianum, familiarem Clericum Theophili, qui fideli scripto totam rei seriem prodidit, Molano teste, viro doctisimo, & antiquitatum

IX. Quibus fidelibus sit suavius nomen MARIÆ, quàm nomen JESU? Et cur?

tatum studiosissimo exploratore, in Martyrol. Usuardi à se aucto; ut adeò tam certa hujus sit rei auctoritas, ut ne quidem Centuriatores Magdeburgici, aliàs gloriæ Beatæ MARIÆ Virginis periniqui, id negare ausi sint, Canisio teste l. 5. de B. V. c. 20. Huc pertinet & aliud antiquissimum Mariæ Ægyptiacæ quod etiam suprà obiter adduximus, exemplum, quæ anno Domini 520 vixit, millies ob enormia flagitia damnari merita, nisi eam hæc eadem Matris DEI misericordia mirabiliter liberasset. Unde hæc Mariæ Ægyptiacæ ad eandem oratio erat: *Per te, Domina, merui gloriam DEI, quam peccatores percipere non possunt: per Te glorificabo DEUM peccatorum recipientem pœnitentiam &c.* Ita scriptum reliquit S. Sophronius, Patriarcha Hierosolymit. auctor ut gravissimus, sic & antiquissimus, utpote qui cum Gregorio M. vixit, & ante mille & plures annos scripsit. Omitto alia plurima & documenta ejusdem misericordiæ, & exempla. Cessa ergo, Vedrosi, cessa blasphemias aut putare, aut vocare, quod pietas est, etsi vobis obstinatis non videatur. talis est, ut pro tali habeatur à DEO ipso, qui ad ejusmodi supplicantium voces tam mira benignissimè patrat. Nihil quoque vel umbraticæ blasphemiæ habet, si dicam: Misero peccatori *suavius est sæpe nomen* MARIÆ, *quàm nomen* IESU. Certè enim omni, multorum & gravium scelerum reo, gratius & suavius est Advocati, vel Advocatæ, quàm Iudicis nomen. Ita nos Catholici cùm reatus nostros expendimus, & meritò Iudicem formidamus, non dubitamus ita loqui, ut fateamur, sanctius esse nomen IESU Iudicis & Patris, sed suavius pro illo tempore nomen Matris & Advocatæ, reconciliare nos severo Iudici paratæ. Similia & cetera sunt, ut opus nihil sit diutius immorari, cùm præsertim Sanctissimi quique viri, & antiquissimi Patres non absimiles loquendi formulas tum usurpaverint, quando vel cum Matre DEI, vel de ea loquebantur, cujus omnes magni Sancti, Clientes addictissimi fuerunt. Atque adeò apud nullos contempta, aut sine honore est Deipara nostra, nisi apud inhonoros & contemptibiles, Sectarios nimirum ævi nostri. Ecce enim tibi:

S. Mariæ Ægyptiacæ antiquissima oratio ad Deiparã V. ex Sophronio.

X. Antiquissimorum SS. Patrum Invocationes Deiparæ.

S. Ephræm vocatur B. V. Mediatrix.

S. Ephræm, Syrus, de laud. Deip. *Ave*, inquit, *DEI & hominum Mediatrix optima, ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima.* Vixit autem hic Ephræm anno 365. cum Basilio M.

Item S. Bernardo.

S. Bern. serm. 2. de adventu: *Domina*, inquit, *nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra.* en ipsissima verba, quibus Argentoratensis Anonymus usus fuit, & velut mutuatus à S. Bernardo, Ephræmo, & aliis; quos si blasphemos ausit Vedrosius appellare, blasphemus ipse erit, qui has DEI *glorias*, (δόξας, ut S. Judas in epistola sua loquitur) Sanctos, inquam, qui DEI gloria sunt, *blasphemet*.

S. Cyrillo est Adjutrix.

S. Cyrillus Alexandr. homilia contra Nestorium, MARIÆ Virginis juratum scribens hostem ita Deiparam alloquitur: *Te Adjutrice gentes veniunt ad pænitentiam. Per te unigenitus DEI Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris & umbra mortis.* Audis *Adjutricem* dici omnium gentium, & à tam sancto & docto Patriarcha dici.

S. Augustino est Spes unica Peccatorum:

Quo id sensu.

S. Augustinus nec ipse asymbolus est. Ita autem orat sanctissimam Deiparam, serm. 8. de Sanctis. *Accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa, quod timemus, quia tu es* SPES UNICA PECCATORUM (intellige post Christum) An non blasphemat hic tibi Sanctus Augustinus, Vedrosi? Quodsi nihil in his tantorum Sanctorum verbis blasphemiæ est, sed plurimum in matrem amantissimam & amabilissimam pietatis ac fiduciæ, cur tibi Bonaventura igitur, & Lipomannus, & Scribanius, & Argentoratensis ille blasphemant, qui simillimas loquendi formulas usurpant? quales etiam magno numero adferunt alij, Spinelli, Canisij & similes præcipui amatores, cultores, æstimatores Virginis Beatissimæ, qui tamen cum veteribus sanctis fatentur, cum omnibus suis præconiis, quæ undique conquirunt, se laudibus tamen Deiparæ verè optimæ, verè maximæ post DEUM, planè impares esse. En omen sanctitatis Deiparam eximiè colere.

An & Sancti hi blasphemi?

XI. Contrà, mi Vedrosi, quàm malum, & abominandum omen est Deiparæ laudes, encomia, invocationes ferre ac pati non

non posse, quod in vobis Reformatis, uti & Lutheranis & videmus, & miseramur! In vobis enim per hoc terribilis illa DEI maledictio maximè verificatur: *Inimicitias ponam inter te* (serpentem infernalem) *& Mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Ubi per mulierem non Eva principaliter, sed tum Ecclesia orthodoxa, tum etiam Beatissima Virgo significatur, ut docent S. August. l. 4. de symbolo ad Catechum. c. 1. S. Epiphanius hæresi 78. S. Bernardus homil. 2. super *missus est*, & alij. Nam Eva, prima mater nostra, quomodo caput serpentis contrivit? quomodo vicit & triumphavit, quæ in triumphum ipsamet ducta est? contrivit autem Deipara, per Christum, quem nobis genuit. Neque objiciat hîc mihi cum suis Vedrosius, non rectè legi à nobis: *Ipsa* (scilicet mulier) *conteret caput tuum*, sed legendum esse: *Ipsum conteret caput tuum*, scilicet semen mulieris, quod est Christus. Sicut enim nos legimus, sic & antiqui Ecclesiæ Doctores legerunt: *Ipsa conteret caput tuum.* Ita enim legit S. Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, Beda, Bernardus & alij. v. Cornelium hoc loco. vanum ergo hoc effugium est; Itaque manet, fore inimicitias perpetuas inter semen Serpentis, & Mulierem, quæ est DEIpara Virgo. Semen autem Mulieris est, tum CHRISTUS DEUS, tum omnes veri Christiani, quasi Nepotes charissimi ex hoc benedicto filio ejus. Contrà quod est semen Serpentis? omnes ij, qui contra hanc *fortissimam Mulierem*, & cultores ejusdem, æternas & quasi innatas gerunt inimicitias, à DEO ipso hoc loco prædictas; quales olim fuêre Nestorius, impius ille Mariomastyx, & Stercutius ille Copronymus, & omnes Antidicomarianitæ apud S. Epiphanium; qui cultum & venerationē *Mulieris* hujus perditum olim ibant: Hodie verò omnes illi Sectarij, qui professas, ut orbi notum est, & contra hanc generosissimam *Mulierem* ac Viraginem MARIAM, cultorésq; ejus, *Semen* scil. & filios ipsius, inimicitias gerunt, ejúsque cultum omnem abolitum cupiunt. Et vero, cùm in omnibus alijs

Omen pessimum laudes Deiparæ ferre non posse.

Seminis scil. serpentini.

Nova yel hinc Ratio

exurgit deserendi Calvinismi, quia Deiparæ infesti.

alijs maximè probem & æstimem Rationes Conversionis Georgianæ, in eo tamen propemodum, amicè tamen, indignor D. Georgio nostro, quòd non peculiarem Rationem Conversionis suæ, quæ fuisset 37. posuerit, odium illud omnibus Reformatis velut congenitum & proprium, non quidem erga ipsam fortè sanctissimam DEI param (tam impij enim utique non sunt) sed erga omnem tamen & cultum ejus, & cultores ipsius, quod vel ex Vedrosij nostri responsis patet. Qui autem *Semen* sunt tale, fateor, non possunt non odisse cultum illius, de qua tota Catholica Ecclesia exultabunda à plurimis jam seculis canit: *Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.*

Votum Auctoris.

O *interime*, citò quidem, potentissimis intercessionibus tuis, hodiernas quoque; ut qui ijs hactenus, utique per ignorantiam potiùs, quàm malitiam adhæserunt, meliùs instructi, & erroris sui agnitores, Te, *Virgo prædicanda*, blasphemiarum loco & ipsi posthac prædicent, & *Semen tuum*, benedictum scilicet fructum ventris tui JESUM, in vera Ecclesia honorent nobiscum, atque in æternum beati fruantur, Amen.

ARTICULUS XV.

Aliæ Blasphemiarum umbræ, quas Catholicis, per multas tamen falsitates, objectat Vedrosius, discutiuntur, præsertim autem de blasphemo contemptu Scripturæ sacræ.

I. An Catholici despicabiliter tractent Scripturam sacram.

NOvum hunc Articulum poscebant illæ blasphemiarum Vedrosianæ umbræ, quas is Catholicis, sed fide Creticâ objectat, quasi totam sacram scripturam contemptui habeant, & de illa blasphemè & despicabiliter loquantur. Vicisti, Vedrosi, si hoc non dicis tantùm, & blateras, more vestro, sed etiam probas. quæ ergo blasphemiæ illæ Catholicorum, aut umbræ potiùs, sed nec umbræ?

I. Præ-

I. *Pratenta Blasphemia* est, quam Vedrosius viris maximis, Stanislao Hosio, & Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinalibus, unà cum Bailio pag. 190. & quidem non sine horrore suo impingit: *Horreo*, inquit, *referens immanes in sacram Scripturam Blasphemias.* En pietatem Vedrosii! horret, abominatur, scindit vestimenta sua, vel ad odorem Blasphemiæ. Prætentæ autem blasphemiæ sunt istæ. Hi tres, inquit, æquiparant Scripturam sacram Historiæ Titi Livij, aut alijs etiam fabulosis libris, ut sunt Æsopi fabulæ, aut Alcoranus Turcicus. ingens profectò blasphemia, si ad hunc modum loquuntur. audi verò, quid addant, fatente etiam ipso Vedrosio, & baculum nobis contra seipsum porrigente. *Nisi accedat*, inquiunt, *Auctoritas Ecclesiæ*, singuli libri sacræ Scripturæ, ut sunt Libri Regum v. g. Parabolæ Salomonis, &c. Nihil different vel ab historia Titi Livij, vel à fabulis Æsopi, quæ & ipsæ sapientes parabolæ & apologi sunt; quæ verissima, & omnibus orthodoxis certissima habentur. Ita Augustinus ipse, si hic præsens sit, loqueretur: ita olim locutus est. notissima enim omnibus literatis est aurea illa Augustini etiam superiùs audita sententia, etsi omnibus hæreticis invisissima: *Evangelio ipsi non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret Auctoritas.* Vult dicere, Evangelium ipsum non reciperem pro sacra Scriptura, cui in omnibus fides adhibenda sit, nisi Ecclesiæ Catholicæ accederet auctoritas, quæ Matthæi & Lucæ v. g. Evangelium pro canonica scriptura, & indubitato verbo DEI recipit, & recipi pro tali jubet; adeóque nec S. Augustinus, si absque Ecclesiæ foret auctoritate, plus fidei adhibiturus esset Evangelio Matthæi, quàm historiæ Titi Livii. Sic reipsa omnes Catholici Evangelio S. Bartholomæi, quod olim circumferebatur, non majorem exhibent venerationem aut fidem, quàm vel historiæ Titi Livii, vel Josephi Judæi; unâ eâ causâ, quia illud Evangelium pro sacra Scriptura nunquam recepit Ecclesia, quæ unica quoad hoc à DEO nobis data arbitra est. vide blasphemiam primam Vedrosii, & ride.

Vsque ad blasphemias ait Vedrosius.

1. Blasphemia Card. Bellarmino impingitur.

Idem autem dicit ac sentit Bellarminus, quod jam dudum Augustinus.

II. 2. Blasphemia, irrogatur Card. Bembo. Defenditur.

II. *Prætenta Blasphemia.* Cardinalis Bembus, ait Vedrosius, commentaria in S. Scripturam, *Nugas* appellavit, dum Jacobum Sadoletum commentaria in Epist. ad Rom. meditantem dehortatus est, *Nugas* appellando tales commentationes tanto viro indignas. Ita Vedrosius. Ubi verò Bembus ita scripsit? Ede locum, & tunc responsum exspecta. Interim sic habe. Si commentaria Calvini in dictam epistolam Nugas appellasset, an ullam fecisset injuriam S. Paulo, aut Scripturæ ejus sacræ? sunt enim Nugæ, sed impiæ. Sic aliud est, commentaria in Scripturas appellare nugas, ut sæpe sunt, si indocta, aut impia sint; aliud Scripturam ipsam, ut me etiam non monente quivis intelligit. Et hîc itaque cum nugis tuis facesse, Vedrosi.

Vbi verò Bembus ipsam Scripturam appellavit Nugas?

III. *Prætenta Blasphemia* est Leonis X. Pontificis Maximi, de quo Vedrosius pag. eâdem: *Leo X.* inquit, *Evangelia dixit fabulam de Christo.* Ubi verò hoc dixit Leo X.? & quis probatorum Auctorum hoc de Leone scriptum reliquit? Nullum penitus citat Vedrosius, & assertione sua, hominis scilicet veracissimi, & fidelissimi, Lectorem vult esse contentum. Si hoc ego autem de ipso Vedrosio scriberem, scilicet ex Vedrosij ore hanc blasphemiam auditam fuisse: *Evangelium meram fabulam esse*: nec ullo id tamen idoneo teste comprobarem, quid diceret Vedrosius? quo me nomine, nec immeritò, compellaret? Et quis est Vedrosius, ad Leonem Pontificem Maximum, genere quoque Serenissimum, comparatus, ut eum tam liberè calumnietur? Aut itaque ede Auctorem idoneum, Vedrosi, aut te cretizasse, & gravissimam injuriam intulisse Leoni Pontifici, & Serenissimæ Domui ipsius, & universæ Ecclesiæ Catholicæ, confitere. Inter Auctores verò idoneos nunquam Balæum tuum, infinitorum mendaciorum convictum; nunquam Wolfium; nunquam Magdeburgensium non Seculorum, sed mendaciorum Centurias, similésve recipiemus. Et hæc de tertia blasphemia Vedrosij.

Tertia, Leoni X. Papæ, eâq; atrocissima, non nisi Vedrosio Auctore,

III. 4. Blasphemia, rursus

IV. *Prætenta Blasphemia* Card. Bellarmino imponitur, eò quòd scripserit L. 2. de Verbo DEI, c. 15. *Populus, si in materna lingua*

Scriptu-

Scripturæ sacræ legerentur, non modò non caperet fructum, sed etiam ex iis caperet detrimentum; periculum esset, ne tandem nihil crederet. Ita Vedrosius, cujus infidelitatem tibi priùs, eámque duplicem, exhibebo; post de re ipsa disceptabo. Exscripsit totam hanc sententiam eo modo Vedrosius ex Bellarmino, ac si hæc continua, & non interrupta sententia Bellarmini foret, cùm tamen ultima illa verba: *Periculum esset, &c.* longissimo intervallo pòst, scilicet post lineas 32 sequantur. Nam cùm priora illa sua dicta (*quòd scilicet populus fidelis detrimentum potiùs, quàm fructum caperet, si linguâ vernaculâ, publicè in Templis Scripturæ legerentur*) cùm, inquam, hæc sua dicta egregiè priùs, more suo, etiam exemplis in eam rem allatis, probasset Bellarminus, progreditur exin ulteriùs, & de apparentibus quibusdam Scripturæ contradictionibus agens: *Si populus*, ait, *apparentes has contradictiones* (quales non deesse sacræ Scripturæ nemo est, qui negare possit) *videret in Scriptura, & solvere non posset, periculum esset, ne tandem nihil crederet*, quod etiam declarat Manichæorum exemplo, qui offensi quibusdam Patriarcharum veteris Testamenti factis, quæ in Testamento illo legerant, & sanctos illos Patriarchas contemnere, & toti illi Testamento antiquo omnem fidem abrogare, penitúsque rejicere sunt ausi. Hæc autem omnia dissimulat Vedrosius. En fidelitatem ejus duplicem, qui abjunctissima primùm conjungit; insuper & tacet, Bellarminum eo loco, non de privata lectione Scripturæ in lingua vernacula, sed ejusdem lectione publica, in templis, coram toto populo, agere. Præterquam enim quòd probet Bellarminus eo loco talem lectionem vernaculam in templis nunquam in Ecclesia DEI, sive Latina, sive Græca in usu fuisse, sed tantùm vel Græcam in Oriente, vel Latinam in Occidente, primis præsertim quingentis Seculis, ut adeò absurdum sit supra primam illam Ecclesiam sapere velle; addit exin, etiam scandala inde, aliáque detrimenta esse orta, & ponit exemplum ex ipso cœtu Reformatorum, fæminæ cujusdam Calvinianæ, quæ cùm Prædicantem suum in Anglia audiret ex suggestu

Card. Bellarmino impingitur atque per duplicem infidelitatem Vedrosij.

Quid proficiant Reformati ex lectione & tractatione assiduâ Scripturæ.

recitantem Anglicè cap. 25. Ecclesiastici, in quo multa contra improbitatem mulierum; inter alia hæc: *Commorari Leoni & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam:* v 23. Et: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* v. 26. exclamasse fertur, dolens se Leonibus & Draconibus conferri: *Istudne Verbum DEI! imò potiùs verbum Diaboli est* Quæ omnia momenta, si legas ipse apud hunc doctissimum Cardinalem, dissimulata à Vedrosio, & accedes ipsius sententiæ, & bis infidelem Vedrosij calamum miraberis & detestaberis, ab eóque in posterum tibi cavebis. Hæc de quarta blasphemia Vedrosij.

IV. Andradio quinta imponitur.

Defenditur Andradius & explicatur.

V. *Prætensa Blasphemia*, est, quam Vedrosio Andradius, Catholicus Scriptor commisit, dum scripsit l. 1. defens. Conf. Trid. *Salutem & fidem omnium hominum pendere ab auctoritate Papæ.* Ajo, hæc in eo sensu, qui omnino sensus Andradij erat, esse vera, quod ita ostendo: Omnium controversiarum, circa fidem exorientium, necesse est, ut unus sit supremus Judex; quod longissimis disputationibus nostri Catholici Doctores probant contra stultam illam Sectariorum hodiernorum doctrinam, spiritum cuiusque privatum statuentium omnium controversiarum Judicem; ut illum à DEO statutum Judicem, sibi minus æquum, uti putant, effugiant. Iste autem supremus Judex atque arbiter non est ullus alius, quam Summus Pontifex vel cum Concilio Generali, vel sine illo (quod rursum Catholici nostri probant fusissimè) ne deterior scilicet sit Summus Sacerdos Novi Testamenti, quàm fuerit Summus Sacerdos Testamenti Veteris, qui controversiarum fidei supremus Judex & arbiter ab ipso DEO constitutus erat, ut videre est Deut. c. 17. ubi nolens obedire *Sacerdotis* pro eo tempore *Summi* imperio, jubetur velut maleficus occidi v. 12 Ex quo sequitur omni modo, quod docet Andradius, ab auctoritate Pontificis & Sacerdotis Summi Christianorum, qui est Pontifex Romanus, pendere, suo modo, salutem omnium fidelium, quia nimirum ab eo dependet decisio omnium fidei controversiarum. Et hæc quinta Vedrosij blasphemia est.

VI. *Præ-*

VI. *Prætenta blasphemia* est (in Vedrosij cerebro) doctissimi Maldonati, Jesuitæ, pag. eâd. *Maldonatus, Jesuita,* inquit Vedrosius, *Mendacij arguit Lucam & Paulum, asserentes Christum dixisse: Hic calix est Novum Testamentum.* Ubi verò hanc blasphemiam habet Maldonatus? dic Vedrosi. *In commentarijs suis,* inquit, *super cap. 26. Matth. vers. 28.* Ita Vedrosius, suæ rursus famæ & pudoris omnis oblitus, dum mendacio crudissimo mendacij Sanctis his impositi arguit Maldonatum; quod ita ostendo. primò enim ita proponit Vedrosius, ut Lector omnino credat ipsum Maldonatum hoc crudissimo loquendi modo usum fuisse, & mendacij Paulum atque Lucam arguisse, à quo convitio & blasphemia, quæ in ipsum Spiritum Sanctum tenderet, longissimè abest Maldonatus. Deinde ita de S. Paulo, & S. Luca, comite & Evangelista S. Pauli, Maldonatus in dicto commentario suo loquitur, ut ne minimi quidem erroris, aut lapsûs, nedum mendacij eos coarguat, sed cum omni reverentia eos cum S. Matthæo, & S. Marco, qui aliter locuti sunt, concilier: quæ ut clarè intelligas, res ita habet.

V. Vapulat etiam Maldonatus Jesuita, ceu blasphemus.

Et arguitur ac si mendacij arguisset S. S. Paulum & Lucam.

S. Paulus cùm de institutione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ agit cum Corinthiis suis 1. Cor. XI. ℣. 25. ita scribit, *Similiter & Calicem* (accepit) *postquam cœnavit, dicens: Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine.* Eodem modo loquitur S. Lucas, Pauli comes, Luc. 22. ℣. 20. *Similiter & calicem* (accepit) *postquam cœnavit dicens: Hic est Calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ita S. Lucas. Hac duplici sententiâ, S. Pauli scilicet, & S. Lucæ, abutuntur Calvinistæ, ut suam hæresin, *suam* scilicet *figuram,* quam solam agnoscunt in Eucharistia, stabiliant, ex eo scilicet, quòd Christus dixerit juxta SS. Paulum & Lucam: *Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine*: quæ verba contendunt non posse, nisi figuratè accipi. Respondet Maldonatus rectissimè: Atqui figuratè non possunt accipi verba Christi, prout ea à SS. Matthæo & Marco clarissimè ponuntur, scilicet à S. Matthæo sic c. 26. ℣. 28. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in* *remissio-*

Nullum hic mendacium, nisi Vedrosij.

Maldonatus confundit loco à Vedrosio citato Reformatos. hinc eorũ odium in ipsum.

remißionem peccatorum. à S. Marco autem sic cap. 14. ỷ. 24. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur.* Itaque Calvinistis pro se citantibus SS. Paulum & Lucam, opponit Maldonatus SS. Matthæum & Marcum, à quibus dicatur Calix, *Sanguis Christi; & Calix Novi Testamenti*, non Novum Testamentum; ut adeò in tam claris Domini verbis nullus sit nudæ tantùm figuræ locus juxta errorem Calvinistarum. Addit: Cùm Christus necessariò locutus fuerit, vel ut scribunt SS. Matthæus & Marcus; vel ut scribunt SS. Paulus & Lucas, quæritur quid credibilius sit reipsa factum fuisse; an scilicet in institutione venerabilis & Adorabilis illius Sacramenti, Christus dixerit: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti*, ut SS. Matthæus & Marcus narrant; an verò, uti SS. Paulus & Lucas memorant: *Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine?* Nam alterutro modo necesse est, ut locutus fuerit Christus, non autem ambobus modis. Decidit autem sapientissimè Maldonatus, credibiliùs sibi videri, locutum esse Christum Dominum, non ut SS. Paulus & Lucas scribunt, sed uti SS. Matthæus & Marcus. Addit rationem valde congruam: Cùm Matthæus Apostolus ipsemet interfuerit institutioni Eucharistiæ, Sanctus verò Paulus & Lucas non interfuerint, *Æquum*, inquit, *est credere, Matthæi potiùs & Marci, quàm Lucæ & Pauli verbis Christum usum fuisse.* Exin, ne in verbis Pauli & Lucæ, itémque in verbis S. Matthæi & Marci videatur aliqua esse contradictio, ita SS. Apostolos & Evangelistas conciliat, ut dicat, SS. Paulum & Lucam sententiã duntaxat verborum Christi posuisse; SS. Matthæum verò & Marcum ipsissima verba Christi, prout ex divinissimo ejus ore fluebant, adstante, & audiente S. Matthæo, ídque quod audiverat, suo Evangelio inserente. Quid autem in toto hoc discursu Maldonati blasphemum? aut ubi SS Paulum & Lucam mendacij arguit? imò quid non sapientissimè & modestissimè dictum? Lector judica. contrà, quid non à Vedrosio & impudenter, & malitiosè dictum, qui insignem hunc scripturæ interpretem quasi mendacij Paulum & Lucam arguisset, audet arguere; quia

Concordat Maldonatus SS. Paulum & Lucam cum SS. Matthæo & Marco summa cũ modestia.

Hæc blasphemia est Vedrosio.

quia scilicet hoc eodem loco sententiam Calvinisticam de figura Eucharistica solidissimè confutat ac confundit. hinc illæ lacrymæ. hinc illi dentes canini.

VII. & ultima Blasphemia Vedrosio est omnibus Catholicis objecta pag. 191. quòd ad ultrices olim flammas Catholici damnarint omnes illos, qui vel Biblia legissent, vel orationem Dominicam linguâ vernaculâ descriptam habuissent. Quin nec ipsis ait Bibliis parsum fuisse, sed ea magno numero, in Germania, Gallia, Anglia, Sabaudia, Bohemia & alibi exusta esse: quæ si vera sunt (asserit autem Vedrosius, quis ergo dubitet vera esse?) omnes illi Catholici, ultricibus flammis ipsimet digni erant, si Biblia incorrupta, flammis, sive in Germania, sive alibi tradiderunt. Ceterùm fides hîc tua iterum vacillat Vedrosi. quo enim teste id probas? *Teste*, inquit Vedrosius, *Martyrologio majore* pag. 1100. 1234. 1373. Quod tu mihi monstrum libri hîc citas? quod hoc est majus Martyrologium, & quo auctore conscriptum? consului etiam doctissimos viros, & in Bibliothecis versatissimos. ij verò nullius majoris Martyrologij potuerunt meminisse, quòd alicujus auctoritatis esset. Alia enim Martyrologia sincera nos Catholici non agnoscimus, nisi Martyrologium inprimis Romanum, quod & S. Hieronymo tribui solet; deinde Martyrologium Venerabilis Bedæ, Flori Monachi, Usuardi, S. Adonis, Episcopi Viennensis, & Rabani Mauri, quod Canisius noster Germanicum reddidit, unde & Martyrologium Canisij appellari consuevit. Hæc Martyrologia Catholici novimus, & recipimus, non alia. Unde nihil agis cum tuo Martyrologio majore, dum auctorem ipsius nobis indices. Sed in Gallia, Belgio & Germania Sacræ Scripturæ venerandi Codices, sive Biblia sacra, non sine sacrilegio sunt exusta. Quæ Biblia, Vedrosi? An Catholica? An Calviniana & Lutherana? De Catholicis nihil horum vel audivi, vel legi, neque tu exprimis. Si Lutherana & Calviniana, bonum factum ajo, quia plurimis in locis sacrilegè vel in textu ipso sacro corrupta, mutilata, aucta sunt; vel hæreticis marginibus, aut sub-

Septima blasphemia Catholicis omnibus imposita, quod Biblia sacra combusserint.

Irridetur Vedrosius cum suo Martyrologio majore, ex quo probare nititur dictum suum.

Alia Biblia à Catholicis combu-

Ea nō sunt, nisi corrupta & adulterata, idq; rectissimè.

subjunctis post capitula hæreticis glossis infecta & velut intoxicata, ut venenum legentibus efficiatur, quod salubris animæ cibus esse debebat. Quare mirum videri non debet, si ferventes Catholici, zelo fidei accensi, corruptelas ejusmodi flammis consecraverint, ne si legerentur ab incautis, errore inde hausto, flammis ipsi æternis addicerentur. An non factum bene? Hæc de blasphemiis in cerebro natis Vedrosiano, & de universa Sectione septima & octava Vedrosij. Sequitur Nona, & ultima, quam ipsam quoque breviter discutiemus.

Cessate Biblia sacra corrumpere, & flammas evadet.

SECTIO VIII.

Opposita Sectioni Nonæ Vedrosianæ,

De Confessione fidei Ecclesiarum Reformatarum.

ARTICVLVS I.

Examinatur Rubrica, sive Summarium Sectioni Nonæ præfixum à Vedrosio, quod sic habet:

Brevis & orthodoxa fidei, Ecclesiarum ad Verbum DEI Reformatarum Confessio.

I. Quo sensu Ecclesiæ Reformatæ sint Ecclesiæ Reformatæ.

STatim Titulus ipse falsum obtrudit, mi Vedrosi. Est omnino, quam subjungis, Confessio *Ecclesiarum Reformatarum*, uti vocantur, sed non ad verbum DEI & Christi *Reformatarum*, sed ad Verbum Calvini, contra Verbum DEI; quod toto superiori Opusculo satis est ostensum. Ita autem habe hoc loco ulteriùs sensum Catholicorum de *Reformatione* vestra. Si *Reformare* idem est, quod aliam formam inducere, verissimè dictum à te est, Ecclesias vestras esse *Reformatas*, & quidem à Calvino vestro; quem vos ipsi pro *Reformatore* præcipuo agnoscitis,

ſcitis, & ut talem, prædicatis & dilaudatis. Omnino *Reformavit* is nimis quàm multas Eccleſias in Germania, Gallia, Anglia; id eſt, formam iis induxit omnino aliam & novam. Formam ſcilicet, Eccleſiæ antiquam, orthodoxam, Catholicam eámq; in oculis DEI & Sanctorum Angelorum formam ac ſpeciem, longè formoſiſſimam deſtruxit & exterminavit; invexit contrà *faciem combuſtam*, ut Iſaias loquitur c. 13. *mutavit colorem optimum. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*, qui à Calvino ſeducti ſunt, qui antea in vera & antiqua Eccleſia adhuc conſtituti, *candidiores erant nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores*, ut cum Jeremia plangamus, Thren. c. 4. *Unde non ſunt cogniti ampliùs in plateis*, cœleſtis præſertim Jeruſalem. Hanc formam aliam Calvinus dedit; ita Eccleſiã per Germaniam, Galliam & Angliam *Reformavit*. Sic Aper Silveſtris *Reformat* hortum, vel vineam, quam irrumpit, & formam dat aliam utique, ſed Colono deplorandam, uti deploravit olim Vates Regius, & ſpiritu prophetico, prædixit, vineam Domini Sabaoth miſerabiliter ab hoſtibus ejus *reformandam*, id eſt, depaſcendam & vaſtandam eſſe: *Exterminavit eam, ait, Aper de Silva, & Singularis Ferus depaſtus eſt eam.* O deformiſſimam Reformationem! Sic Scipio Numantinus olim Numantiam *Reformavit*; ſic Memmius Corinthum, Jeroſolymam Ælius Adrianus Imperator, quando has nobiliſſimas urbes exciderunt, penitúſque immutarunt evertendo. Talis *Reformator* Calvinus veſter fuit; qui, uti ſuprà vidimus, & ſigillatim docuimus, totam Eccleſiam Chriſti ita *vaſtavit ut Aper, ut ſingularis Ferus depaſtus eſt*; excidit ut Adrianus, *ut neque lapis maneret* in Sanctuario hoc DEI *ſuper lapidem* (pretioſos lapides intellige) *qui non deſtrueretur*, non loco ſuo moveretur, aut transponeretur in locum non ſuum; ut Threnodus ille Sanctus rurſus cum ejulatu exclamare poſſit: *Diſperſi ſunt Lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.* Thren. 4. ℣. 1. *Tales Lapides pretioſi, lapides grandes, lapides angulares* ſunt in Sanctuario DEI, ſive Eccleſia Chriſti, Symbolum Apoſtolorum, ſive Duodecim

Omnino reformavit Calvinus, ſed ſicut Aper Silveſtris Vineã, quam ſubruit.

Et ſicut Scipio reformavit Numantiam;

Et Memius Corinthũ; Et Adrianus Solymam,

ita ut non remaneret lapis ſuper lapidem.

Quod de Calvino speciatim jam suprà probatum est.

cim illi articuli principales eo Symbolo contenti. Talis sapphirus est Symbolum Nicænum; talis Symbolum Athanasianum. Horum autem tam nobilium lapidum nullus est, qui non sit magna ex parte destructus, ut suprà fusissimè ostendimus, & deploravimus. Murus sanctuarij, sepes vineæ Domini Sabaoth, sunt Decem Præcepta Decalogi, quæ & ipsa à Calvino eversa sunt, dum observatu impossibilia sunt pronuntiata. Omitto alia, quæ ab eodem Calvino circa Sacrosancta Sacramenta omnia, nullo excepto, immutata fuerunt, circa omnia denique antiqua, & sancta Instituta Ecclesiæ; quorum ne unicum quidem incorruptum mansit, ut suprà docuimus: O planè *singularem Ferum!* Et hoc vobis *Reformare* est? est enimvero, est omnino, sed ad dictum suprà modum.

II.

Reformationis Instrumentū fuit S. Scriptura juxta Vedrosium.

Et quâ Reformationis sive regulâ, sive normâ, sive penicillo, sive scalpro est usus Calvinus? *Verbo DEI*, inquit Vedrosius. Ait enim, *Reformatas suas Ecclesias, ad Verbum DEI esse Reformatas*, quarum proin Confessionem ipse exhibeat. *Verbo DEI*, inquis? An Verbum DEI in textu ipso corruptum Reformare DEI Ecclesiam potest, utut Reformatione aliquà indigeret? quâ tamen nunquam indiguit in rebus fidei, quia *portæ Inferi nunquam prævaluerunt.* Quot autem locis vos Calvinistæ, dum vulgatam Editionem Latinam rejicitis, & aliam ex vestro cerebro substituitis, quot, inquam, locis, Verbum DEI corrupistis? exemplum talis corruptionis recentissimum ex ipso Vedrosio istud do. Christi D. verba Luc. 17. ℣. 10. hæc sunt in vulgata Editione: *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, NB. dicite: servi inutiles sumus.* Ita Sancti Patres omnes legerunt. Ita vertit S. Hieron. ita vertit quoque & interpretatus est ex Græco ipse Erasmus: scilicet: *Si feceritis, quæ præcepta sunt vobis* Ita postulat ipse textus Græcus, qui sic habet: ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν· quæ vocula, διαταχθέντα, non significat dicta, sed præcepta, ut omnes Grammatici norunt. hunc locum corrupit Vedrosius, in hâc ipsa sua Confessione, quam vocare audet orthodoxam, dum pag. 201. lin. 20. ita

An corrupta? qui potest?

Corrupit in hac ipsâ sua Confessione illâ Vedrosius.

reddit

reddit verba Christi: *Cùm fecerimus*, inquit, *omnia, quæ Dicta* NB. *sunt nobis, dicamus servi inutiles sumus* Et mox citat S. Luc. cap. XVII. ℣. 10. ecce fraudem! ecce corruptelam! Quia enim ex hoc loco nos Catholici efficaciter contra ipsos probamus, posse nos Præcepta servare, cùm Christus dicat: *Cùm feceritis omnia, quæ Præcepta sunt vobis, dicite &c.* ut hoc telum nostrum effugiant, textum corrumpunt, & ubi est; *Præcepta*: legunt, ipsi: *Dicta*.

Ostenditur id ex c. 17. S. Lucæ.

III.

Vide *Reformatas*, ad corruptum scilicet Verbum DEI, Ecclesias Reformatorum. en rectificatas ad curvam Regulam Tabulas! Rursus. Ex Verbo DEI in alienos prorsus, quin & impios sensus detorto, an *Reformari* Ecclesiæ possunt? Tale est Verbum DEI apud Reformatos, aut corruptum in textu ipso, ut vidimus, aut ad alienos, hæreticos, impios sensus, sæpissime detortum; imò planè tortum, & velut in equuleo tamdiu suspensum DEI Verbum, dum dicat illud, aut potiùs fingatur dicere, quod volunt Ministri Calviniani, ut planissimè impleatur in ipsis, illa S. Petri sententia, dum agens de Epistolis S. Pauli *depravatis* ita loquitur 2. Pet. 3. 16. *In quibus* (Epistolis Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant; sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ita transtulit ex Græco nostra vulgata Erasmus ita vertit: *quæ indocti, parúmque firmi Detorquent.* potest etiam rectissimè verti: *Torquent*, velut tormento adhibito. In Græco enim est: στρεβλοῦσι quod idem est ac si dicamus: *tormentis, id quod volunt*, ex Sacra Scriptura *exprimunt*; tamdiu scilicet torquent, & detorquent, & depravant scripturas, & præsertim Epistolas S. Pauli, quod S. Petrus ipse cum dolore refert, donec id dicere videantur, quod negant. Habe rursus exemplum ex ipsâ hac Vedrosii Confessione Calviniana. Citat is pag. 203. lin. 3. S. Pauli sententiam illam, quam habet 1 Tim. 4. ℣. 1. 2. 3. quæ in nostra vulgata sic sonat: *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam*

Ad regulā curvam quid rectificetur?

Torquent omnes scripturas Sectarii teste S. Petro:

cujus rei exemplum præbet iterum ipse Vedrosius.

tam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos DEVS creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem. Hanc insignem D. Pauli sententiam, quâ Apostolus venturos post se hæreticos, Manichæos scilicet, Montanistas, Encratitas & similes, ex sententia Sanctorum Patrum, fulminavit, qui omne matrimonium damnabant, aut certè secundas nuptias; & omni carne interdicebant fidelibus; hanc sententiam, inquam, torquet, & velut in equuleo suspendit Vedrosius, ut omissis Manichæis & Montanistis, pronuntiatam à Paulo asserat, contra Catholicos, qui jubeant per Quadragesimam & alios Catholici Jejunij dies abstinere à carnibus, & uxores Sacerdotibus suis non permittant; cùm Paulus tamen ipse is fuerit cum aliis Sanctis Apostolis, qui & Quadragesimam sancivit, teste S. Hier. & ab uxore ipsemet abstinuit, aliisque omnibus idem suasit. Vide torturam, quam ab his Reformatis scriptura sustinet; vide equuleum, ex quo suspenditur à Vedrosio & ejus similibus. Taceo infinita exempla alia. Ad hoc verò ita tortum, miseréque detortum & depravatum Verbum DEI, quomodo Ecclesiæ reformabuntur? Alias immanes torturas S. Scripturæ vide apud Romæum Jesuitam dicto jam sæpius libro, spectaculo 3. cujus titulus est: CALVINUS SCRIPTURÆ TORTOR. Hæc de Titulo ementito. Nunc de Confessione ipsa.

Quæ S. Paulus in Manichæos &c fulminavit, in Catholicos torquet Vedr.

Sic non reformantur, sed deformantur Ecclesiæ.

ARTICVLVS II.

Confessionis prima pars est melle illita, sed Corso, altera verò gypsata.

I.

Per dulces sermones & benedictiones, incedit Vedrosius.

POteram quidem deinceps Confessionis Vedrosianæ examen missum facere, cùm jam duo ejus produxerim specimina, ex quibus sanctitas fidei ejus & integritas appareant. ex abundanti tamen adjicio nonnulla.

Dulcissi-

Dulcissimum initium est. Ita enim orditur: *Dulcissimus Salvator noster* &c. sequitur: *Optimus Salvator, sanctissimus Servator,* &c. cujus & exemplo se solatur, ut qui cum suis ad eundem prorsus modum immerita populi Catholici & antistitum eius odia sustineant; ad quem modum à populo Judaico & Antistitibus eius, longè innocentissimus & immerentissimus Salvator &c. Hic S. Pauli gravissimum commonitorium illud ad Romanos c. 16. v. 17. locum invenit, ubi contra similes Reformatores, ita Neophytos suos communit: *Rogo vos, fratres,* inquit, *ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis,* &c. *qui per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium.* En descriptum Vedrosium, cujus ingressus in Confessionem suam dulcissimis de *dulcissimo Servatore* sermonibus plenus est, quibus nos Catholicos Judæis; se, suósq; Christo Servatori componit. Atqui, ô Vedrosi, quamdiu talis esse persistis, & *dissensiones facis, præter doctrinam, quam didicimus* ab Ecclesia Christi, Christus te non novit, & Salvator ille mundi, ut ut dulcissimus sit in se, tibi certè & tuis talis in Die suo non erit, sed *ut Leæna* vobis occurret, quod omnibus similibus apud Oseam c. 13. v. 7. minatur. Quod odio habeamini à nobis, vos præsertim Ministri Reformati (nam reliquos *credentes vobis*, ut cum S. Augustino loquar, miseratione summâ prosequimur) non virtus, ut in Christo; non innocentia, ut in Christo; non beneficentia maleficiis compensata, ut apud Christum, in caussa sunt, sed perniciosa & hæretica doctrina vestra, quâ tot millia innocentium animarum inficitis, & vobiscum ad æternos cruciatus abripitis. Esse autem hæreticam doctrinam vestram, si ulla unquam talis fuit, prioribus tot Articulis est demonstratum. Nec tu notam hanc eluis, dum per injuriam hoc vobis imponi pag. 198. clamitas, & conquereris, vos *hæreticorum pestilentissimos* audire, *nullâ tamen vestrâ culpâ (ita conscientiam tuam testaris) merito nullo,* uti eád. pag. loqueris. Nimirum tu cum tuis Metello innocentior. Ita autem omnes & Arriani, & Macedoniani, & Ma-

A quibus cavere nos jubet S. Paulus, ceu à melle venenis illito.

Se suósque innocentissimo Agno CHRISTO comparat Vedrosius, nos autem Catholicos lupis, Christi laceratoribus.

Quomodo probet Vedrosius se immeritò & gratis odia nostra sustinere.

nichæi, &c. olim locuti sunt. Hodie autem omnes Lutherani ita loquuntur, & conscientiam testantur suam, à vobis Reformatis, nullâ suâ culpâ, merito nullo, odia se acerbissima sustinere. Sed probat Vedrosius dictum suum, quòd gratis odio Catholicis sint, sed ita probat, ut pro fide risum referat. Ait enim pag. 197. fin. primò: *Ecclesias Reformatas sacratissimum divinorum monitorum semper adhibuisse opobalsamum, si (Roma) fortè curari posset.* Jerem. c. 51. v. 8 *Proin injustissimum esse odium illud Ecclesiæ Romanæ in omnes Reformatos*, utpote tam benevolos & beneficos chirurgos suos, qui tantùm pretiosi opobalsami sui, vulneribus Romæ curandis, alleverint, sed cum opera sua & balsamum perdiderint. Mi Vedrosi. Videor lupos audire operam offerentes suam, ut oviculas curent. Apage, olidum ab hæresibus balsamum vestrum: fœtet, putet. Apage à vulneribus venenum, quod pro sanitate mortem afferat. Ægra nunquam fuit Roma, quantùm ad fidem attinet. Lethargo solùm aliquo ante Calvinum & Lutherum laborabat, qui mores in pejus lapsos spectavit. Hunc Lethargum ut excuteret Ecclesiæ Catholicæ vigil ille Sponsus, loco ferri candentis Luthero & Calvino est usus, quo admoto evigilaret Sponsa. Et vigilat modò. Ferrum contrà vile, & intractabile, ferrum manet, nunquam in aurum mutandum.

Lupi operam suam offerunt ad curandos agnos.

Quæ sequuntur in Vedrosio, pessima rursus sunt, & in speciem religiosissima, talia quidem, ut si tam vera essent, quàm sunt speciosa, injustissimum omnino odium foret, quo tamen non ipsos, sed errores eorum prosequimur. Ita autem loquitur pag. 198 Vedrosius. Dividamus in numeros.

II. I. *Reformatæ Ecclesiæ*, inquit, *de DEO, rebúsque divinis, nil docent, aut sentiunt, quod Primarij Ecclesiæ Romanæ Theologi, extra æstum maximè disputationum constituti, totidem verbis, tum ante, tum in ipso Concilio Tridentino, magno conatu non propugnarint.* Ita Vedrosius. Audi Vedrosi. Primarij Romanæ Ecclesiæ Theologi sunt sancti Patres. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, &c. Hi vos Reformatos in multis, quæ

An Primarij Theologi nostri unquam cum Reformatis consenserint?

de

de DEO & divinis rebus perperam docetis, pro *blasphemis*, & omnino *amentibus* habent; ut suprà non uno loco vidimus. Doctrinas vestras inter hæreses ponunt, uti facit v. g. S. Augustinus, qui illos palam inter hæreticos collocat (ut uno tantùm, alteróve exemplo utar) qui negant pro vitâ functis orandum; sicuti vos cum Arriano Aërio negatis; qui *blasphemos* vocat illos, qui DEI mandata docere ausint observatu impossibilia esse, &c. En, Lector, quàm falsò itaque Primarios Romanæ Ecclesiæ Theologos (qui nobis sunt sancti Patres) ad partes suas Vedrosius trahat, & pro Patronis advocet, qui severissimi sunt eorum accusatores. Pergit Vedrosius innocentiam admirabilem Reformatorum Orbi sic probare. SS. Patres; Primarij Theologi nostri sunt. Ij autem sunt acres doctrinæ Reformatæ accusatores, non socij.

II. *Nil aut docent, aut sentiunt Reformati*, ait eâd. 198 pag. *quod veneranda, plurium post Apostolos seculorum, non crediderit & docuerit vetustas.* Quàm verè hæc dicas, imò quàm præfractè, superiori numero, & toto hoc opusculo est ostensum. Sed aliter non scribunt ij, qui *mendacium ponunt spem suam*, Isa. 28. 15. Pergit Vtinam verum hîc diceres, Vedrosi!

III. *Utrumque probatum dedêre præter alios, Author Catalogi Testium veritatis, Polanus, Hottingerus, Geringius. Utriusque specimina per totum hoc scriptum extant evidentissima.* Ita est, Vedrosi. Specimina extant evidentissima per totum tuũ scriptum, scripturarum detortarum, & depravatarum; falsitatum præterea & audacissimarum negationum, &c. quibus nulla propè pagina vacat. Simillimi autem sunt, quos in testes advocas, Hottingerus, Polanus, ac Geringius, ac præsertim *Catalogus* ille *testium veritatis* dictus, quo nullum æstimo librum editum esse propudiosiorem, etiam vobis. Nam in *testes* adducit *veritatis* fæces hominum quantumvis luridissimorum, dummodo Romanos Pontifices & Curiam eorum convitiis, etsi mendacissimis, proscindere sint ausi, ut sunt Waldenses, Mopsi illi incultissimi & indoctissimi; Albigenses, homines impurissimi, de quibus suprà; horúmque similes alii, quos vel nominare probrum sit. Sed cum Vedrosio pergamus. Testes intestabiles Vedrosij. Catalogus testium veritatis qualis?

IV. *Nil*

nichæi, &c. olim locuti sunt. Hodie autem omnes Lutherani ita loquuntur, & conscientiam testantur suam, à vobis Reformatis, nullâ suâ culpâ, merito nullo, odia se acerbissima sustinere. Sed probat Vedrosius dictum suum, quòd gratis odio Catholicis sint, sed ita probat, ut pro fide risum referat. Ait enim pag. 197. fin. primò: *Ecclesias Reformatas sacratissimum divinorum monitorum semper adhibuisse opobalsamum, si (Roma) fortè curari posset.* Jerem. c 51. v. 8. *Proin injustissimum esse odium illud Ecclesiæ Romanæ in omnes Reformatos*, utpote tam benevolos & beneficos chirurgos suos, qui tantùm pretiosi opobalsami sui, vulneribus Romæ curandis, alleverint, sed cum opera sua & balsamum perdiderint.

Lupi operam suam offerunt ad curandos agnos.

Mi Vedrosi. Videor lupos audire operam offerentes suam, ut oviculas curent. Apage, olidum ab hæresibus balsamum vestrum: fœtet, putet. Apage à vulneribus venenum, quod pro sanitate mortem afferat. Ægra nunquam fuit Roma, quantùm ad fidem attinet. Lethargo solùm aliquo ante Calvinum & Lutherum laborabat, qui mores in pejus lapsos spectavit. Hunc Lethargum ut excuteret Ecclesiæ Catholicæ vigil ille Sponsus, loco ferri candentis Luthero & Calvino est usus, quo admoto evigilaret Sponsa. Et vigilat modò. Ferrum contrà vile, & intractabile, ferrum manet, nunquam in aurum mutandum.

Quæ sequuntur in Vedrosio, pessima rursus sunt, & in speciem religiosissima, talia quidem, ut si tam vera essent, quàm sunt speciosa, injustissimum omnino odium foret, quo tamen non ipsos, sed errores eorum prosequimur. Ita autem loquitur pag. 198. Vedrosius. Dividamus in numeros.

II. I. *Reformatæ Ecclesiæ*, inquit, *de DEO, rebúsque divinis, nil docent, aut sentiunt, quod Primarij Ecclesiæ Romanæ Theologi, extra æstum maximè disputationum constituti, totidem verbis, tum ante, tum in ipso Concilio Tridentino, magno conatu non propugnarint.* Ita Vedrosius. Audi Vedrosi. Primarij Romanæ Ecclesiæ Theologi sunt sancti Patres, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, &c. Hi vos Reformatos in multis, quæ

An Primarij Theologi nostri unquam cum Reformatis consenserint?

de

de DEO & divinis rebus perperam docetis, pro *blasphemis*, & omnino *amentibus* habent; ut supra non uno loco vidimus. Doctrinas vestras inter hæreses ponunt, uti facit v. g. S. Augustinus, qui illos palam inter hæreticos collocat (ut uno tantùm, alteróve exemplo utar) qui negant pro vitâ functis orandum; sicuti vos cum Arriano Aërio negatis; qui *blasphemos* vocat illos, qui DEI mandata docere ausint observatu impossibilia esse, &c. En, Lector, quàm falsò itaque Primarios Romanæ Ecclesiæ Theologos (qui nobis sunt sancti Patres) ad partes suas Vedrosius trahat, & pro Patronis advocet, qui severissimi sunt eorum accusatores. Pergit Vedrosius innocentiam admirabilem Reformatorum Orbi sic probare.

SS. Patres; Primarij Theologi nostri sunt.

Ij autem sunt acres doctrinæ Reformatæ accusatores, non socij.

II. *Nil aut docent, aut sentiunt Reformati*, ait eâd. 198 pag. *quod veneranda, plurium post Apostolos seculorum, non crediderit & docuerit vetustas.* Quàm verè hæc dicas, imò quàm præfractè, superiori numero, & toto hoc opusculo est ostensum. Sed aliter non scribunt ij, qui *mendacium ponunt spem suam*, Isa. 28. 15. Pergit

Vtinam verum hîc diceres, Vedrosi!

III. *Utrumque probatum dedêre præter alios, Author Catalogi Testium veritatis, Polanus, Hottingerus, Geringius. Utriusque specimina per totum hoc scriptum extant evidentissima.* Ita est, Vedrosi. Specimina extant evidentissima per totum tuũ scriptum, scripturarum detortarum, & depravatarum; falsitatum præterea & audacissimarum negationum, &c. quibus nulla propè pagina vacat. Simillimi autem sunt, quos in testes advocas, Hottingerus, Polanus, ac Geringius, ac præsertim *Catalogus* ille *testium veritatis* dictus, quo nullum æstimo librum editum esse propudiosiorem, etiam vobis. Nam in *testes* adducit *veritatis* fæces hominum quantumvis luridissimorum, dummodo Romanos Pontifices & Curiam eorum convitiis, etsi mendacissimis, proscindere sint ausi, ut sunt Waldenses, Mopsi illi incultissimi & indoctissimi; Albigenses, homines impurissimi, de quibus suprà; horúmque similes alii, quos vel nominare probrum sit. Sed cum Vedrosio pergamus.

Testes intestabiles Vedrosij.

Catalogus testium veritatis qualis?

IV. Nil

III. Verba dat Vedrosius, nec aliud.

IV. *Nil credimus*, inquit ead. pag. 198. *nil docemus extra verbum Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum divinitus inspiratum; quo, missâ Traditionum humanarum Lesbiâ regulâ, ceu unico veritatis salvificæ & Religionis Principio & Canone perfectissimo, in solidum nitimur.* Ita Vedrosius, more omnium, quotquot extiterunt, sectariorum. Ita Arriani olim loquebantur. his planè iisdem verbis hodie utuntur, & Lutherani, quos tamen ipsi vos hæreticorum in numero & necessariò quidem ponitis, nisi duas velitis fides, & duos simul Deos admittere, quorum alter vestram, alter Lutheranorum fidem approbet. Ita loquuntur & Anabaptistæ &c. Ridentur hæc millies audita, millies explosa, nunquam à vobis aut probata, aut probanda. Nunc ad ipsam Confessionem Vedrosianam accedamus.

Omnes Sectarii Prophetarum & Apostolorum doctrinam sequi se gloriantur: cùm nihil faciant minùs.

PARS ALTERA ARTICULI II.

Cur, & quomodo Confeßio Vedrosiana, 24. Articulos continens sit gypsata.

AD fidem itaque suam, omniúmque Reformatorum contestandam ponit Vedrosius Articulos omnino 24. paginâ 198. quos nos viginti quatuor Vedrosiana CREDIMUS appellabimus, quia singulos articulos sic orditur: *Credimus &c.*

Primum CREDIMUS tale est. *Credimus Tres esse in Cælo, qui testificentur, Patrem, Sermonem, & Spiritum, & hos tres unum esse.* 1. Joan. 5. ℣. 7. *Hunc Deum Trinum & Vnum, Dominum nostrum, adoramus, & ei servimus.* Matth. 4. ℣. 10. *In Spiritu & veritate.* Joan. 4. ℣. 23. Ita Vedrosius. Utinam in Veritate, mi Vedrosi, utinam! Dein qualem Patrem credat Calvinus, qualem Filium, qualem etiam Spiritum Sanctum, vidimus, & horruimus suprà P. 3. Sect. 7. art. 3.

Sed ponere singula CREDIMUS, nihil est necesse, necessarium verò nostram de iis sententiam indicare Lectori.

IV. Percurrenti mihi itaque, & expendenti 24. hos Articulos Vedrosianos, sive viginti illa quatuor CREDIMUS, occurrebat

bat continuò illud S. Irenæi l. 3. c. 19. quo loco contra hæreticos sui temporis, speciosas itidem, sed fraudulentas simul confessiones fidei suæ edentes disputans: *Lacte gypsum malè miscetur*, inquit. gypsum enim venenum est potanti, lac contrà nutrimentum. Sed & illud in venenum vertitur, si gypso misceatur. & utrumque tamen, colore candido simile est. ita autem agere hæreticos ait, & doctrinas suas venenatas, velut gypsum, aliis sinceris, velut lacti miscere, *ut coloris similitudine fallant*, in quo omne hæreticorum ingenium semper consumptum est, & consumitur hodiéque, scilicet ut similitudine veri decipiant incautos & fallant. quod ipsum explicatiùs alibi tradit idem, S. Iren. l. 6. contra hæreses. *Ingerunt nobis hæretici*, inquit, *primùm nomina veritatis, ut virus falsitatis introeat.* Hoc profectò unum egit quoque Vedrosius per totam suam Confessionem. Etenim per Duodecim priora CREDIMUS, sive articulos confessionis suæ, ingerit mera *nomina veritatis*, ut S. Irenæus loquitur: sed *virus falsitatis, & gypsum* fallaciæ sequitur in sequentibus. Nam in *artic. 13* ita loquitur. *Nec tamen bona opera merentur salutem.* & quomodo id probat? ex ipsa scriptura, scilicet, adducit enim illud Luc. 17. ℣. 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta* (non dicta, ut Vedrosius legit, sed *præcepta*) *sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* An verò hæc sententia Christi, prǽterquam quòd corruptelam contineat suprà annotatam, quidquam ad propositum Vedrosij facit? An ex ea ullo modo sequitur: *Ergo opera bona non merentur salutem?* Nihil minùs. ecce gypsum jam lacte mistum.

Gypsum lacti miscet Vedrosius.

Usque ad decimum tertiū CREDIMUS lacteus: In decimo tertio gypsatus.

Articulus 14. de Christo Mediatore, rursum sincerus est, salubris, & lactis instar. sed etiam sequitur gypsum in *Artic. 15.* ubi contra cultum tum Angelorum, tum omnium Sanctorum, inducit ex S. Paulo locum illum ad Coloss. 2. ℣. 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum.* quæ sententia nihil prorsus facit contra cultum Catholicum Angelorum, sed contra illos antiquos tum hæreticos, tum Philosophos ethnicos, qui ex Angelis minores Deos faciebant, qui homines & mun-

In Articulo 14. sincerus, in 15. rursus est gypsat⁹.

mundum fabricassent, eósque hoc nomine colebant; quales erant Simon, Menander Cerinthus &c. quales contrà Catholici nulli sunt. Vide Cornelium à Lapide hoc loco.

V. *Articulus* 16. de sanguine Christi emundante nos ab omni peccato, rursus sincerus est, lac est, mel est; sed qui sequitur *Articulus* 17. gypsum & venenum, dum ait, *Christum dedisse Apostolis & successoribus illorum, Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, potestatem ligandi & solvendi*, Matth. 16. ℣. 28. *annuntiando remissionem peccatorum pœnitentibus.* ubi prior pars vera & sincera est, quòd Christus dederit *Pastoribus Ecclesiæ potestatem ligandi & solvendi*, ex verbis ipsius Christi. Altera pars hæretica est, ex verbis non Christi, sed Calvini, & Vedrosij, quòd id fiat *annuntiando remissionem peccatorum*, quomodo Calviniani & Lutherani Ministri à peccatis, ut sibi imaginantur, suos solvunt. Non *annuntiando remissionem* pœnitentibus, sed sacramentalem absolutionem impertiendo, à peccatis suis solvunt Pastores Catholici Peccatores, dicendo: *Absolvo Te.*

Articulus 16. rursum Lac est: Artic 17. gypsum.

Articulus 18. rursus venenum est lacti mistum, & tendit contra Primatum S. Petri, de quo abunde contra Reformatos suprà Sect. 5. c. 1. art 2.

Talis est quoque Artic. 18.

Articulus 19. & ipse gypsum rursus est, cùm in eo Vedrosius ait, *in Novo Testamento non reperiri nisi duo Sacramenta*; & ineptissimè probat ex Paulo 1. Cor. 10. ℣. 2. & 3. qui sic habent: *Patres nostri omnes baptizati sunt in nube & mari: & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Nam ex hoc loco Pauli neque duo, neque septem, sed nec unum Sacramentum probabitur, quod Lectori ipsi judicandum relinquo.

Talis 19. de 2. tantùm Sacramentis.

Articulus 20. rursum sincerus est, & lac fundit; qui est de baptismo Christi, ceu lavacro regenerationis.

Articulus 21. & ipse lac stillat, & sanam habet doctrinam de Cœna à Christo instituta, dum in genere solùm, historiam institutionis verbis Evangelistarum, commemorat. Sed continuò sequitur venenum in articulo seq.

Arti-

Articulus 22. merum toxicum est in eo, dum realem Christi præsentiam in SS. Eucharistia negat, & solum Panem cum figura agnoscit. *Credimus*, inquit, *nos in sacrosancto hoc Sacramento edere panem, juxta Apostolum dicentem: Exploret quisque seipsum & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat 1. Cor. XI.* Et quid ista Pauli verba hæresin tuam juvant? Est panis, non tantùm juxta Apostolum hic, sed & juxta Christum Joan. 6. Sed *Panis vivus de Cælo descendens. Ego sum Panis vivus, qui de Cælo descendit*, ait Christus Joan. 6. ℣. 41. & rursus ℣. 50. *Hic est Panis de Cælo descendens, ut si quis ex illo manducaverit, non moriatur.* Ecce Eucharistia Panis vivus est, Caro scilicet viva Christi, in Christi schola: Panis mortuus est, & figura solùm carnis Christi, in schola Calvini.

Post Articulos 20. & 21. sinceros, sequitur 22. toxicatus.

Articulus 23. rursus intoxicatus est, nempe continuatio prioris erroris.

Qualis est etiam 23.

VI.

Articulus 24. priori sui parte Lac fundit.

Articulus 24. & ultimus priori suâ parte lac propinat, alterâ venenum. Ita orditur: *Credimus edentem carnem Christi, & bibentem ejus sanguinem, habere vitam æternam, & Christum eum suscitaturum ultimo die* Joan. 6. ℣. 55. Adde etiam, quæso te, Vedrosi, clarissima Domini verba, quæ continuò ℣. 56. sequuntur. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: quo nihil clariùs dici poterat à Christo de suæ benedictæ carnis & sanguinis in Eucharistia præsentia reali. Lac hæc sunt, mi Lector, quod propinat Vedrosius hucusque, & manna. Sed continuò sequitur, tectissimum tamen venenum. Pergit enim: *Credimus autem Spiritum id esse, quod vivificet; carnem non prodesse quidquam &c.* quæ sunt verba Domini in eod. c. 6. Joan. ℣. 64. quæ ita habent in nostra vulgata & sincera translatione. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Et quod hîc venenum? inquies. Explico. Probare ex hoc loco nituntur Calvinistæ, sive Reformati, Christum carnem nobis suam in Eucharistia non dare, quia *Caro non prodest quidquam*, ut ipse Dominus loquitur. Si nihil ergo prodest Caro, cur illam nobis daret, nihil profuturam?

Posteriori autem Venenum, sed illud tectissimum.

Abutitur eâdem scripturâ Vedrosius, quâ jam olim antiquissimi Hæretici sunt abusi, ex Tertulliano.

Et hoc voluit Vedrosius, quando isto loco S. Joannis, Confessionem suam, malè utique conclusit, quia cum hæresi; in quo tamen Reformati habuerunt Antecessores hæreticos antiquos, illos nimirum, qui Carnis resurrectionem negabant, contra quos Tertull. pugnavit lib. illo, quem de Resurrectione carnis, præclarè scripsit. Ait enim dictus Tertull. impios illos hac eâdem Christi sententiâ abusos fuisse, cùm dicerent: *Caro non prodest quidquam* ex Christi effato. cur ergo resurgat? Cernis venenum occultissimè inspersum. Si autem quæris quis verborum istorum Christi Catholicus & orthodoxus sensus sit, ita habe. Quando ait Christus: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*: vult dicere: Caro mea non præbebitur vobis spiritu, & divinitate destituta, sed cum divinitate conjuncta, & sic divinus meus spiritus carni meæ conjunctus vivificabit, sive vitam tum gratiæ, tum suo tempore gloriæ tribuet. Ita S. August. tract. in Joann. 27. & lib. 4. de cons. Evang. c. 10. & lib. 10. de Civit. c. 24. Quartus D. Augustini locus ita explicans hæc verba Christi, est commentarius ejus in Psal. 98. Qui dubitat verò, plúsne Augustino, an Vedrosio, aut etiam Calvino hac in parte credendum & assentiendum sit, nescio quo eum nomine compellem. Eodem modo interpretantur S. Cyrillus l. 4. c. 23. S. Bernardus serm. 33. in Cant. & ipse antiquissimus scripturæ interpres Ammonius, cujus verba sunt: *Christus Dominus Spiritum hîc vocat plenam vivifici spiritûs virtute carnem.* His ergo fidem & assensum potiùs, quàm mille Vedrosiis adhibemus, malè Confessionem suam jam olim hæreticis suetâ interpretatione claudentibus. Et sic habes hîc lac, habes & gypsum.

Orthodox' sensus illorum verborum Christi: Caro nō prodest quidquam quis sit?

ARTI-

ARTICVLVS III.

Epilogus operis Vedrosiani, quo Catholicos ad Calvini partes heu nimis debili machinâ! nititur attrahere, expenditur ab Apologista, & è contrario Reformati ad repetendam antiquam, quam deseruerunt, fidem & Ecclesiam commonentur.

EPilogus Vedrosij pag. 204. talis est. *Hic gradum sisto*, inquit Vedrosius, *conscientiam quorumcumque appellans, an non immeritò oderint nos.* Mi Vedrosi. Non odimus vos, nos Catholici, quos hîc sugillas, sed errores & seductiones vestras: Personas contrà odij loco miseramur. Et si quidem *imprudentiùs fortassis, quàm malitiosiùs*, ut cum S. Augustino rursus loquar, Sectæ vestræ adhæsistis hucusque, simpliciter miseramur. Si verò aliqui vestrum *malitiosiùs* fortassis, *quàm imprudentiùs* eidem adhærescunt, *vidéntque meliora, quæ & probant, deteriora autem sequuntur*, eos enimverò, quia dupliciter miseros, etiam dupliciter miseramur. Pergit Vedrosius. I.

Catholici non oderunt Reformatos, sed miserantur.

Vtinam tandem sapiant, multorum exemplo, qui in ipso mortis agone experti sunt, durum esse contra stimulum calcitrare, & fassi, certis DEI vindictam, etsi seris, seriis tamen venire pedibus! De quibus tu hæc, Vedrosi? si de Reformatis tuis; rectissimè voves, quòd idem vovemus omnes Catholici, ut tandem scilicet sapiant *multorum Reformatorum exemplo, qui in agone positi, quàm durum esset contra stimulum calcitrare*, serò agnoverunt; quos inter ipse vester Calvinus fuit, cujus mors miserabilis, & desperationibus ac seris pœnitentiis plenissima erat, ut ex historia vitæ ipsius constat; qui expertus itidem est *Vindictam divinam, seris quidem, sed nimis quàm seriis pedibus* adventare, à vermibus, uti Herodes alter, corrosus. Jure ergo tecum exclamamus: *Vtinam tandem sapiant* & hoc Calvini, & aliorum *plurium exemplo*, Reformati! II.

Seris, etsi serijs pedibus venire vindictam DEI Calvinus expertus est, omnes in agone literas execratus.

Utinam & ipse Vedrosius non sapiat serò nimis, neque vindictam Dei similem experiatur! Nam de Catholicis, quos suæ sanctæ fidei in agone pœnituerit, uti Vedrosius hic videtur insinuare, scio omnino neminem; plures autem, qui ingentibus affluxerint gaudiis in agone suo, quòd sive vestram, sive Lutheranam Sectam, vocante & stimulante DEO, reliquerint; qualis ipse ille, de quo toto hoc opere egimus, D. Georgius Rhætus fuit, gloriosus transfuga vester, & miles noster, summo suo & aliorum solatio, anno 1665. mense Novembri, omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis, hoc est, Confessione sacrâ, Communione Corporis & Sanguinis Domini, & Extremâ sacrâ Unctione ritè munitus, inter Filij, itidem Joannis Georgij, sacras manus, utpotè Catholici Sacerdotis, *in spe gloriæ Filiorum DEI* piissimè mortuus. Nec dubium est mihi, id quod in calamo frequens fuit D. Georgio, ex Augustino suo, in ore quoque, certè in corde intimo etiam momentis fuisse illud, ex Serm. 1. de verbis Apostoli: *Nullæ sunt majores divitiæ, nulli Thesauri, nulli Honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est Fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, Regnis cœlestibus præparat* (uti præparavit illum) *& in æterna hæreditate cum Angelis communicat, &c.* Oro DEUM, mi Vedrosi, ut te quoque Regnis illis eadem Fides, omnésque tibi charos præparet. Pergis:

Contrà in agone suo lætissimus D. Georgius apparuit.

Nullus thesaurus major verâ fide.

III. *Quod si autem porro optimæ caussæ insultare allubuerit, atque nec linguæ petulantiæ, nec siti sanguinis eorum, qui testimonium JESU habent, temperare; ne dubitent, quin sceleratæ suæ crudelitatis, vindici illi oculo, & ipsi aliquando pœnas sint daturi. Interea Beatos nos censemus, non quia prospero rerum omnium utimur successu; sed quia bene agentes afficimur malis.* 1. Pet. 3. 17. Ita epilogizat Vedrosius. Qui verò illi sunt, obsecro te, mi Vedrosi, qui *optimæ caussæ insultant?* tu enim nullos nominas. Qui etiam illi, crudeles sanè homines, qui *sanguinem sitiunt* eorum, qui *testimonium habent* JESU *Christi*? Certè Catholici soli gloriantur, *Testimonium se habere JESU Christi*, sempérque gloriati sunt, & potuerunt. Et ecce Vedrosius hoc ipse testatur, etsi nesciens fortassis & nolens.

Reformati non habent Testimonium Iesu Christi.

Dum

Dum enim citat ista verba S. Joannis: *Qui habent Testimonium JESU Christi:* ex cap. 12. Apoc v. 17. Catholicos, & valde quidem, honorat, & detestatur omnes illos, qui Catholicorum sanguinem & interitum sitiunt. Nam integra sententia S. Joannis talis est, vers 17. *Et iratus est Draco in mulierem* (id est, Diabolus in Ecclesiam) *& abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata DEI, & habent Testimonium JESU Christi.* Audi, Vedrosi, qui sint illi, *qui testimonium habent JESU Christi.* Teste Joanne illi soli sunt, *qui custodiunt mandata Dei.* Unde sic ratiocinor. Atqui Reformati non *custodiunt Mandata DEI*, utpote quæ & sibi, & omnibus aliis observatu & custoditu impossibilia esse docent. Non sunt itaque ij, *qui habent testimonium JESU Christi.* Si qui ergo sunt, qui nos non sumus, qui *sitiunt sanguinem* Reformatorum, ij non sitiunt sanguinem *habentium testimonium JESU Christi.* Salutem vestram æternam, ô Reformati, non sanguinem nos Catholici sitimus. Si verò sint, qui nostrum Catholicorum sanguinem sitiant, uti certè sitiebant olim in Gallia & alibi Reformati, quo & proluerunt se, & penitus ingurgitarunt, ij sunt, quos hic Joannes stringit. Sitiunt enim sanguinem eorum, *qui custodiunt mandata DEI*, & custodienda docent, & sic *habent Testimonium JESU Christi*, quod est vita verè Christiana, & ad Præcepta DEI exacta, quod facere Catholici veri omnes nituntur, & plurimi adjuvante DEI gratiâ reipsa faciunt. Dein quæro ex te, Vedrosi, qui sunt illi, de quibus in hoc Epilogo tuo conquereris, quod *caussæ optimæ insultant*, quibus tu meritò pœnas gravissimas & minaris & ominaris? & qui illi, quorum Caussa optima est, cui insultatur? An Reformatorum caussa, cui omnes rectè sentientes, fateor, insultant? Sed quis præter vos dicit, *Caussam* vestram *optimam* esse? Nos verò Catholici, sed nec soli nos, & dicimus, quod parum tamen est, & probamus, quod fieri est æquum, vos *pessimam caussam* habere, utpote quæ ab omnibus prorsus totius Orbis Christiani tribunalibus Iniqua judicatur, & ut talis condemnatur. Et ecce totus liber D. Georgij, totus quoque hic liber apologistæ ipsius, hoc unum probant, malam esse caussam

Quod ipse ille S. Ioannes probat, quem contra se adduxit Vedrosius.

Qui custodiunt mandata DEI, illi soli hoc testimonio gaudent.

Catholici non sanguinem, sed salutem sitiunt Reformatorum.

IV. Iidem non insultant caussæ optimæ, dum Calvinianæ insultant.

caussam vestram. An evicerint id probationes nostræ, Lectores nostri Judices sunto. Rursus igitur frustra quiritaris, esse qui *optima caussa* insultant, eos nimirum, qui errores vestros in lucem protrahunt, & nocentissimas fallacias Orbi Christiano produnt. Quod autem *Beatos*, & te, & Reformatos tuos ex eo prædicas, *quòd bene agentes*, juxta vaticinium S Petri, *afficiamini malis*, profectò S. Petro grandem injuriam facis, qui sententiam ipsius tam bonam, tibi & tuis tam applicas malè: nunquam enim vestri similes intellexit Princeps ille Apostolorum & Caput Ecclesiæ Petrus, cùm dixit in sua 1 Epist c. 3 v. 17. *Meliùs est bene facientes pati, quàm malefacientes.* Aut quando scripsit v. 15. *Si quid propter justitiam patimini, beati.* Vos enim neque *propter justitiam patimini*, neque *ut benefacientes.* Unde beatitudinis illius ex hoc capite nihil ad vos pertinet. Fuêre & olim hæretici, S. Augustini tempore, qui sibi de insigni quadam patientia, & per hanc beatitudine, ob exantlatas persecutiones, blandiebantur, & omnino Martyrij, ob id titulum affectabant, quibus quid S. Augustinus responderit, notum est: *Martyrem*, inquiebat, *non pœna, sed caussa facit.* Ubi *Caussam* intellexit sanctam, caussam scilicet fidei rectæ & sinceræ, non fidei qualiscunque, distortæ & falsæ. Nam ob talem fidem miseram, pati, ac persecutiones sustinere, & in perfidia nihilominus perseverare, non patientiæ, sed obstinatæ pertinaciæ est, quæ nullam beatitudinem vitæ futuræ, sed infelicitatem sempiternam meretur. Beati autem tunc futuri estis, ô Reformati, si malis hujus vitæ à DEO hominibúsq;, non vos, sed errores vestros, zelo optimo, persequentibus eruditi errare à via Cœli desinatis, & relictâ *viâ latâ*, quam Calvinismus pandit (sed ad interitum æternum) *arctam* Catholicæ veritatis *semitam*, quæ sola ad Cœlum ducit, Matth 7. amplectamini. Ita vovens, & precatus DEI bonitatem finit suas cum Vedrosio controversias Apologista.

Frustra beatos prædicat suos Vedrosius.


Non qui patiuntur, beati, sed qui propter justitiam patiuntur.

Beati eritis, si Calvinismum vestrum ejuretis, aliter miseri æternùm.

FINIS.

Omnia ad majorem DEI Gloriam, & S. Matris Ecclesiæ Catholicæ incrementum.





INDEX

Materiarum ad Controversias Fidei præcipuè spectantium, quæ in hoc opere tractantur.

SCRI-

FINIS INDICIS.






Errata Verborum & Numerorum sic corriges.

Paginâ 7. *lin* 8 *à fin. pro* Concilium Arimense, *Leges, Ariminense. Pag.* 9. *lin.* 12. eos revincimus, *L. vos revincimus. Pag.* 16. *lin.* 14 *a fin. bis ponitur:* Intelligamus. *alterum horum dele. Pag.* 28. *in med.* Fide, inquam. *L. Fides Pag.* 29. *lin.* 13. Probationem quartam, *L. tertiam. Pag* 39 *lin.* 6. cur admitti, Calvine? *L. cur admittis. Pag.* 48 *lin.* 12. *à fin:* omnium Ecclesiarum. *adde & lege: omnium Ecclesiarum Caput. Pag. ead lin.* 8. *à fin.* Principatu, *L. Principatum Pag.* 53 *in margine, lin.* 13 Solvent, *L. Solent. Pag* 73. *lin.* 2. In ceteris quale munus est? *L In ceteris Sanctis Sacramentis. Ibid.* 8. Exocrismus, *L Exorcismus. Pag.* 83. *lin.* 13. Discupulus, *L. Discipulus. Pag.* 123. *lin.* 14. *à fin* Qui hoc negabat, *adde: Ita S. August. l.* 2. *act. cum Felice. c.* 3. *Pag* 124. *lin.* 2. *à fin.* & esse arbor mala. *adde: aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona. Pag.* 127. *lin* 16. *a fin.* S. Augustin. conc. 1. in Ps. 29. *L. in præfatione ad conc.* 2. *in ps.* 29. *Pag.* 128. *lin* 16. & qua hominem, *adde: & qua DEUM. Pag.* 138 *lin* 10 S August. q. 127. ex utroque Testamento, *adde: Vel quisquis harum quæstionum est auctor æquè antiquus. Pag.* 141. *in margine, lin.* 6. victa. *L. ficta. Pag* 146. *lin.* 2 *à fin. omissa est citatio loci ex S. Cypriano desumpti. adde ergo:* In libro de habitu virginum. *Pag.* 149. *in margine, lin.* 1. an nulla voto, *L an nulla de voto Pag.* 167 *lin.* 12. Ipse quoque invocare. *L. ipse quoque volo invocare Pag* 180. *lin.* 16. tuendi suos errores. *L. aliter tuendi. Pag.* 265. *lin.* 2. *à fin.* cujus instincta, *L. instinctu. Pag.* 292. *lin.* 11. longissimam Collectionem, *L. Collationem. Pag.* 299. *lin.* 15. *à fin.* ex clauso & reserato sepulcro. *L. & non reserato. NB. Pag.* 361. *lin.* 16. *à fin* Rerum earum, quæ videntur, panis & vini naturam mutans. *include parenthesi hæc duo verba* (Panis & vini.) *Pag.* 400. *lin.* 12. ut votum est. *L. ut notum est. Ibid. lin.* 5. *à fin.* Istæ liliarus. *L. Iste. Pag.* 404. *lin.* 2. Blasphæmiis, *L. Blasphemiis. Pag.* 406. *lin.* 13. Illa Satan. *L. Ille. Pag.* 427. *lin.* 11. βρεβλοῦσι. L. στρεβλοῦσι. NB.

Errata Numerorum, qui facilius in typum irrepunt.

Pag. 11. *lin* 7 *a fin. S. August. l.* 1. *c* 3. *lege c.* 2. *Post pag.* 75. *notantur sequentes duæ facies his cifris.* 74. & 75. *L.* 76. & 77. *Pag.* 147 *lin.* 5. S Chrysost. hom. 3. de Pœnitent, *L. homil.* 8. *Pag.* 180 *lin.* 10. *à fin. Euseb l.* 7. *c.* 18. *L. c.* 14. *Pag* 183 *in columna suprema legis: Artic. II. L. Art. III. eod. modo in pag seq. Pag.* 246. *lin.* 10. *à fin. S. August. l.* 2 *c.* 15, *verte & lege c.* 51. *Pag.* 254. *lin.* 4. *à fin. S. Aug. epist.* 20. *L. epist.* 28. *Post pag.* 259. *in seq. facie cifra columnæ est* 206. *verte & lege* 260. *Ibid. lin.* 18. *à fin.* S. Ambr. l 4 de Pœnit *L. lib* 1. *Ibid. lin* 17. *à fin.* Socrates l. 4. c 23. *L. c.* 13. *Ibid. lin. ead.* Euseb. *c.* 39. *L.* 33 *Pag.* 268. *lin.* 13 D Georgius *pag.* 156 *L. pag.* 155. *Pag.* 173 *lin.* 5. *à fin.* Teste Socrate *l.* 13. *c* 43. *L. c.* 33 *Pag.* 274. *lin.* 5. *S. Epiph hær.* 30 *L. hæresi* 80. *Pag.* 275. *lin.* 13. *S. August. hæresi* 28 *L* 82. *Pag.* 345. *lin.* 8. *ARTIC. VII. Lege, ARTIC IX Pag.* 386. *lin.* 5. *S. Irenæus l.* 1. *c.* 1. & 20. *dele istud:* & 20. *Pag.* 433. *lin.* 12. *S. Irenæus l.* 6. *contra hæres. Lege l. cit.*






B. BIBLIOTECA